FLORES
QVÆSTIONVM
IIII SENTENT



1581

Quid si aliqua respublica imponeret noua rebus nomina et Deum nominaret Patrem et Filium et Spiritum Sanctum liceret ne ita baptizare? liceret Ratio quia seruatur idem orationis sensus.

Intentio Est actus exterioris Volitio ut Virtus

Est dolor de peccatis commissis cum proposito amplius non peccandi et spe veniae obtinendae

Ordo Est sacramentum per quod ordinato ~~datur spiritualis~~ imprimitur character et potentia animae ~~potestas~~ datur, potestas spiritualis ad conficiendum corpus et animam Christi aliaque rite et debite administranda

Poenitentia ut Sacramentum

Est absolutio poenitentis facta a sacerdote iurisdictionem habente sub certa verborum forma cum debita intentione prolata ex institutione diuina significatiua et effectiua absolutionis animae a peccatis

Contritio,

Est praeteriti peccati ut est Dei offensa voluntaria super omnia detestatio, cum proposito vitandi illud super omnia vitabili, insuper cum proposito illud confitendi data copia confessarii.

Confessio

Est integra peccatorum cum suis circumstantiis ab ipso met poenitente ultro suscepta narratio.

Attritio est dolor quo nobis displicet peccatum a nobis commissum supra omne odibile, cum proposito vitandi illud supra omne vitabile ob aliquod motiuum supernaturale, quod non est Deus ipse, quatenus est summe bonus a quo peccatis censeretur

A

FLORES THEOLOGICARVM QVAESTIONVM, IN QVARTVM LIBRVM SENTENTIARVM.

COLLECTI A REVERENDO P. FRATRE Iosepho Angles Valentino, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ Prouinciæ Sancti Iacobi, & Sacrosanctæ Theologiæ professore, & prælectore.

AD ILLVSTREM DOMINVM ANTONIVM Perez, Catholicæ Maiestati à secretis status.

Pars Prima.



ANTVERPIAE,
Apud Petrum Bellerum sub Scuto Burgundiæ.
M. D. LXXX.
CVM PRIVILEGIO REGIO.

LICENTIA REVERENDISSIMI Patris Generalis totius Ordinis Minorum.



RATER Christophorus à Capite fontium totius Ordinis Minorum regularis obseruãtiæ generalis Minister, & seruus, dilecto nobis in Christo, ac venerãdo admodum Patri fratri Iosepho Angles eiusdem ordinis, sacrarum literarum professori, & prælectori eruditissimo Prouinciæ Valentiæ salutem in Domino sempiternam. Cum nuper nobis relatum sit, te quoddam opus, cui titulum prætulisti, Flores Theologicarum quæstionum super quartum librum sentẽtiarum Magistri, summis vigilijs, & laboribus ad iuuandam Rempublicam Christianam conscripsisse: cũque obnixius, & impensius à nobis petieris, vt tibi liceret illud typis mandare, eam ob rem opus ipsum maximæ frugis studiosæ iuuentuti fore, atque ad Sacræ Theologiæ isagogen, sine qua nullus sacræ Scripturæ sensa & mistyca arcana penetrare potest, facilẽ viam, & methodum demonstraturum esse rati cũ benedictione paterna, atque ad salutaris obedientiæ meritum, tibi liberam impertimur facultatem dictos Flores Theologicarum quæstionum (modo Sacræ Inquisitionis officio id consultum visum fuerit) excudẽdi, atque omnia, quæ ad hoc opus imprimendum spectant libere exequendi nemine nobis inferiori impedimentum ponente, aut contradicente. Vale in Domino eundem pro nobis oraturus. Dat. in nostro conuentu Hispalensi, Nonis Maij, Anno Domino 1573.

Frater Christophorus, qui superius propria manu.

APPRO-

APPROBATIO D. RECTORIS & Doctorum Vniuersitatis Complutensis.



IOANNES Ramirez in Sacratissima Theologia doctor, insignis collegij, & Vniuersitatis Complutensis Rector, librum, quem frater Iosephus Angles instituti D. Francisci composuit; & Flores Theologicarum quæstionum inscribitur, quem Regius Aragoniæ Senatus ad hanc Complutensem academiam misit; vt inspiceret, dignus ne sit, qui prelo mandetur: ex mea commissione legerunt, atque inspexerunt diligenter Didacus Lopez, Gaspar Cardillus Villalpandeus, Franciscus Ximenius, Ioannes Ruiz, Franciscus Muñnoz, Nicolaus de Palacios, Doctores Theologi, eo autem inspecto, atque examinato summa cura, & diligentia, cum simul essent apud me, omnes retulerunt in eo libro nihil omnino reperiri, quod fidei, religioni, Christianæ Reipub. aut bonis moribus sit contrarium, sed vtilem admodum esse ad iuuanda, & promouenda Theologiæ studia: tum propter res, quæ in eo explicantur; tum etiam propter stylum, quo res tractatæ sunt. Quamobrem dignum esse iudicauerunt, qui typis mandatus, in vulgus prodeat, vt ad plures ex eius libri lectione vtilitas peruenire possit, in huius rei fidem has literas dedi propria subscriptas manu, Academiæ sigillo; Compluti in Collegio nostro, die secunda Mensis Augusti, Anni Millesimi, quingentesimi, septuagesimi tertij.

Doctor Ramirez Rector.

Alphonsus de Laserna Notarius.

APPRO-

APPROBATIO ADMODVM reuerendi & Doctissimi Patris Fratris Michaëlis Carrança, Sacræ Theologiæ D. & Sanctæ Inquisitionis Valentiæ consultoris, & calificatoris.



GO Frater Michael Carrança Sacræ Theologiæ Doctor, ac in conuentu Carmelitarum eiusdem Theologiæ immeritus interpres, & lector, necnon ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D. Ioanne à Ribera, Dei & Apostolicæ sedis gratia Patriarcha Antiochiæ, Archiepiscopo Valentino, & S. C. R. M. Consiliario, librorum imprimendorum in prædicta ciuitate, & regno examinator specialiter deputatus vidi, & diligentissimè perlegi primam partem cuiusdam libri, Flores Theologicarum quæstionum in quartum librum sententiarum, nuncupati, authore admodum Reuerendo P. F. Iosepho Angles ordinis seraphici Diui Francisci, vtriusq; Philosophiæ, & sacræ Theologiæ eximio professore & prouinciæ Sardiniæ sui ordinis commissario generali, omni scientiarum, & virtutum genere ornatissimo. In quo quidem libro nihil est meo iudicio, quod cum Sacræ Scripturæ, fidei Sanctionibus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dogmatibus, vel cum bonis moribus, pugnare videatur; nec denique, quod vtramque potestatem, Ecclesiasticam. s. aut ciuilem mordicus lædat; quin potius tanti viri acumen ingenij, docendi dexteritatem, scribendi facilitatem, sermonis, prout res ipsa patitur elegantiam, rerum abditarum interpretandi subtilitatem, & in eligendis, & seligendis Sanctorum doctorum floribus, instar apis argumentosæ innatã prudentiam, & in Christianam Rempub. in Deum summam animi charitatem, & pietatem contemplatus, merito imprimendum, manibusque sapientium circumferendum, et euulgandum censeo. In quorum fidem, hoc publicũ meæ examinationis, & approbationis instrumentum manu propria subsignatum exhibui. Dat. in præfato conuentu Carmelitarum Valentiæ, Decimo Quarto Ianuarij, Anno à Natiuitate Domini Millesimo, Quingentesimo Septuagesimo Quarto.

Frater Michael Carrança.

APPROBATIO REVERENDI admodum, & eruditissimi P. F. Ioannis Baptistæ Burgos Sacræ Theologiæ, & iuris Canonici eximij D. & Sanctæ Inquisitionis Valentiæ consultoris, & calificatoris.



GO frater Ioannes Baptista Burgos, Augustinianus, Sacræ Theologiæ, & iuris Canonici Doctor, ac in Academia Valentina publicus Sacræ Theologiæ professor, necnon pro Illustrißimo ac Reuerendißimo D. D. Ioanne de Ribera Patriarcha Antiocheno, & Archiepiscopo Valentino librorum imprimendorum examinator, & corrector, fidem facio vidisse me secundam partem libri, cui titulus est Flores Theologicarum quæstionum in quartum librum sententiarum, quem ædidit admodũ Reuerendus Pater frater Iosephus Angles ordinis Sancti Francisci de obseruantia, Sacræ Theologiæ Doctor, quo summa diligentia viso per me & examinato fateor nihil in eo esse, quod non sit catholicum, vtile, & absque vlla hæresis, aut alicuius erroris suspicione, & plane redolens authoris sui sanam Catholicam, & eximiam eruditionem, dignumque quod in manus omnium communemque vtilitatem veniat, ac typis excusum euulgetur, & in publicum prodeat. In quorum omnium fidem præsens publicum testimonium dedi manu mea scriptum, ac subsignatum, Decima Quinta Ianuarij, Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Quarto.

Frater Ioannes Baptista Burgos.

NOS

NOS DON FRANciscus Perez Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Calaritanus, & Episcopus Vnionum, Prior Sancti Saturnini, primas Sardiniæ, & Corsicæ, suæq; Sanctitatis vexillarius, & de consilio suæ Catholicæ Maiestatis. Cunctis pateat euidenter, & sit notum; Qualiter coram nobis comparuit Reuerendus admodum Pater Frater Iosephus Angles, Sacræ Theologiæ professor, & ordinis Sancti Francisci de Obseruantia in præsenti Sardiniæ Regno Commissarius Generalis, & exhibuit, atq; videndum nobis obtulit librum ab eo recopilatum, & compositum, inscriptum, seu intitulatum Flores Theologicarũ Quæstionum iam antea visum, recognitum, & approbatum ab insigni Vniuersitate Complutensi de manda-

to Regij Consilij Aragoniæ, necnon cum facultate & licẽtia illum excudendi ab examinatoribus librorum imprimendorum ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Archiepiscopo Valẽtino deputatis, prout de approbatione, & licentia nobis in publica forma cõstitit, obtenta. Et nobis institit, quatenus licentiam, & facultatem illũ imprimendi in præsenti Ciuitate & Castro Calaris sibi cõcedere dignaremur. Quapropter præfati R. P. tam iustis petitionib' annuere, & simul publicæ vtilitati consulere volentes librum prædictũ R. Antonio Montano Ecclesiæ nostræ Calaritanæ Canonico, & in sacra Pagina Doctori visendum, relegendum, recognoscendum, ac nobis quid de eo sentiret, referendũ cõmisimus. Qui quidẽ R. Antonius Mõtanus priorẽ ipsius libri partẽ sedulo recognouit,

vidit, & relegit, & cũ originali à præfatis Examinatoribus, vt videre est, approbato, atq; subscripto diligenter, fideliterq; contulit, & comprobauit, imo transumpta, seu etiam impressa cum eodem originali omnino concordare, & conuenire nobis retulit; atq; insuper nihil in eius priori parte, suo quidẽ iudicio, reperisse, quod Sacræ Scripturæ, sacrisq; Canonibus, aut œcumenicis Concilijs, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, & bonis moribus aduersetur. Ipsũq; fore Christianæ Reipublicę mirum in modum proficuum, ac salutarẽ, non solum eiusdem Sacræ Theologiæ studiosis, verumetiam quibusuis Ecclesiasticis, atque animarum curã exercentibus. Quamobrem euulgandi, imprimendi, atq; impressum eundem librum legendi, tenendi, ac transferendi absque alicuius pœnæ,

vel cẽſuræ incurſu tenore præſentiũ licẽtiam, & facultatem in Domino concedimus, & elargimur. In quorum fidem præſentes literas manu noſtra ſignatas, & ſigillo munitas, ac per Notarium, & Curiæ noſtræ Secretarium infraſcriptum referendas expediri iuſſimus, & mandauimus. Dat. Calari in noſtro Archiepiſcopali Palatio. Die XV. Menſis Iulij, Anno à Natiuitate Domini M. D. LXXV.

F. Archiepiſcopus Calaritanus.

Sua admodum Illuſtris & Reuerendiſſima Do. Mandauit mihi Auguſtino Sabbater Not. & Curia Archiepiſcopalis Calaritanæ Secretario.

ILLV-

ILLVSTRI DOMINO Antonio Perez, Catholicæ Maiestati à secretis status, Frater Iosephus Angles ordinis Minorum; perpetuam optat fœlicitatem.



Vm animaduerterem; vir Illustris, quanta cum diligentia antiqui Doctores, & qui nostra ætate literis, virtutibus, & Religione floruerũt, intellectũ iuuauerint. Quæstiones 4. lib. sententiarum Magistri Petri Lombardi multis Diuinæ Scripturæ testimoniis, Sacrorum Conciliorum decretis, sanctorum Authoritatibus, Philosophorum dictis, & rationibus acutissimis ita perfecte dilatantes: vt nihil amplius desiderari posse videatur. Neminem vero hactenus, quem ego legerim, memoriæ adiumento fuisse, Quæstiones illas breui compendio cõprehendentem; ita vt facile vel semitheologus de quauis quæstione interrogatus recte quod tenendum est, respondere posset. Decreui Quæstionum, quas Valentiæ apud seraphicum Patrem meũ Frãciscum publicæ interpretatus sum, flores colligere. Tum, vt publicæ vtilitati studentiũ, tũ etiã vt petitionibus meorum Auditorũ Religiosorũ, & sæcularium, quorum frequẽs cõcursus, virtutes, atque rerum Theologicarũ amor hoc promerebatur, satisfa-

tisfacerem. Quæ enim hactenus sunt in lucem æditæ, ad memoriam iuuandam, Aut ita breues sunt, vt summulæ potius, quam summæ sint appellandæ, Aut ita copiosæ de rebus disputant: vt summæ nomen sibi falso vendicent. Hoc autem nostrũ Opusculum, ita quæstiones omnes 4. lib. sententiarũ comprehendit: atque ita de illis differit: vt nulla quæstio necessaria prætermittatur, nec quicquam superfluum (vt mihi videtur) in eo cõtineatur. Prætermissis namque spinis, argumentis inquam, quibus veritas pungi videtur, solos flores colligere visum fuit: quos Christo Iesu saluatori nostro, cuius est totum, quod est optimum, consecraui. Cæterum, cum in more positum sit, institutoq. maiorum, ex multis virum vnum Illustrem eligere, cuius nomine opus, quod denuo in lucem æditur, à maleuolis, & detractoribus defendatur, rationi consentaneum fuit: vt huic consuetudini morem gererem, vnumque deligerem, cui meos hos flores offerrem? vt araneæ, quæ ex floribus virus colligere solent, abigerentur, & apes, quæ mel suauissimum ex eisdem conficiunt, admitterentur. Ad quam rem præstandam tu mihi primus obuius fuisti. Tibi enim multis nominibus istos primos flores meo labore collectos offerre debeo, ne ingratus tibi esse videar, qui plurima in me beneficia contulisti. Nam cum Salmanticæ essemus, atque ego cathedram peterem, publi-

casque

casq. lectiones, vt ibi fierit solet, haberem: quis illas magis sua præsentia, & fauore, te vno, illustrauit? Quis magis ad cathedram obtinendam mihi adiumento fuit? quis maiori gaudio, & exultatione eiusdem consequutionem celebrauit. Hæc inquam beneficia, atque alia innumera, quæ indies in me confers, me compulerunt: vt te defensorem, & patronum huius mei opusculi eligerem. Hæc autem testari possunt, Ferdinandus à Scobar, qui ob singularem morum integritatem, & literarum cognitionem, tui olim ipsius, nunc vero primogeniti tui Cōçali Perez curam gerit, & doctissimus Cosmas à Medina, qui, quæ sua est medicæ facultatis singularis peritia, per gradus omnes ad primam cathedram, cui modo prefectus est, peruenit, eius etiam Frater Didacus à Medina iuris vtriusque peritissimus, vallis oleti collega, & Cathedræ Codicis præpositus, quos etiam veros mihi Fratres semper fuisse optime nosti. Verum si virtutes, quæ in te ab ineunte ætate semper resplenduerunt, si amor erga bonas literas, si charitas, qua semper viros doctos prosequutus es, diligenter considerarentur: profecto omnes viri docti sua opera tibi dicare deberet. Adducerem innumerabiles viros eruditissimos, & probatissimos huius rei testes, quos olim, & nunc singulariter amas, quibus etiam semper, vel adhuc adolescens familiariter vtebaris, nisi timerem molestus

lestus eße. Vnus tamen pro omnibus loquatur Gasparus Cardillus Villalpandeus sacræ Theologiæ Doctor Complutensis, quem tu vnice propter eius incredibilem rerum humanarum, ac diuinarũ cognitionem, & admirabilem virtutum splendorem diligis. Et quoniam melius multo erit virtutes, & dotes, quibus Deus Optimus Maximus te illustrauit, tacere, quam de illis pauca dicere, scribendi finem facio, at non orandi diuinam maiestatem: vt te diu seruet, tuaq. omnia sic secundet: vt post vitæ longitudinem, in qua sis omnibus charus, cum Sanctis omnibus in cœlis triumphes.

Ad


Nimaduerte Christiane lector in his floribus animum meum ingenuum in deligendis, & sequendis opinionibus, atque sententiis. Aliquando enim à communi doctrina Sancti Thomæ, & Diui Bonauenturæ videor discedere. Nõ quod eam falsam aut improbabilem existimem; sed vt aliorum scolasticorum doctorum sententiã haud falsam, imo aliquando sequendam esse demõstrem, variis hinc, inde iactis fundamentis. Noui namq. diuum Thomam, Dominicanæ familiæ singulare ornamentum, cum quatuor Ecclesiæ sanctæ doctoribus à sanctissimo P. V. quintum Doctorem fuisse connumeratũ, ac proinde eius doctrinam sanam, & Catholicã & tuto sequendam. Noui etiam Diuum Bonauenturam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ olim Cardinalem, Episcopum Albanensem, ex nostro Seraphico ordine desumptum in suis sentẽtiis, & piis perinde, ac doctissimis scriptis Seraphicum ab omnibus Christiani nominis, & Sacræ Scripturæ professoribus passim, & indies vocitatum. Vtrumq. deniq. noui diuino pollentem spiritu. Sacræ matris Ecclesiæ Sydus fulgentissimum omni adoratione, & veneratione, & obseruatione, pro sua sanctitate dignum. Verum enimverò noui quoque Deum Optimum Maximũ suas veritates, & occultissimos suæ mentis conceptus aliquando per doctores, quãuis sanctorum numero non ascriptos declarasse. Hinc mihi permissum intellexi Alexandri, Scoti, Ricardi, & aliorum meæ familiæ doctorum

sen-

ſententiam veram ſequi, ſuſpicere, ac venerari (veritas enim à quocunque prolata Spiritus Sancti eſt) vt ſicut Deus oſtenditur admirabilis in ſanctis ſuis, oſtendatur quoque admirandus in doctoribus ſuis, quos hactenus Eccleſia ipſius ſponſa, tamquam amicos ſponſi fideles amplexata eſt, ſuis honoribus, titulis, & dignitatibus extollendo.

Prætereaubicunque Alex. Alen, S. Tho. & reliqui Doctores citantur, & liber, in quo de quæſtione propoſita diſputant, prætermittitur, intellige, vel in 4. par. Alex. Alen. aut in 3. parte Sácti Tho. ſiue in 4. lib ſent. talem locum contineri: nam ſi alterius libri locus citatur, ibidem liber exprimitur.

FLORES QVAESTIONVM DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVAESTIO PRIMA DE HIS, QVAE AD ESSENTIAM SACRAMENTI PERTINENT.

Alex. Alen. in 4.p.q.1.m.1. & qō. 3.m.1. S.Tho.3.p.q. 60 Docto.d.1. 4.lib.Ric.art. 1.Sco.q.2.Duran.q.1.& Gabri.q.1. Mag. dist. 1.

Art. 1. De definitione Sacramenti.



VARIAE à doctoribus, & exactæ Sacramenti definitiones afferuntur, qualis illa est. D. Augustini, scilicet, in quo sub tegumento rerum sensibiliū, diuina virtus secretius operatur, & refertur. 1. q. 1. canon. multi, & illa eiusdem. B. Augustini, & magistri, inuisibilis gratiæ visibilis forma: ita ut imaginem gerat & causa existat.

Et illa Hugonis, materiale, siue sensibile elementum, foris propositum ex institutione diuina significans, & ex sanctificatione spiritualem gratiam continens. *Lib.1.de Sacr. p.1.cap.1*

Et illa B. Thomæ: signum gratiæ sanctificantis, his omnibus tamen perfectior esse videtur, quæ in sequenti conclusione continetur. *3.p.q.60. artic.1.*

Flo. Theo. q. super 4. lib. sent.

CONCLVSIO.

SACRAMENTVM est signum sensibile, gratiam Dei, vel gratuitum effectum, ex institutione diuina efficaciter significans, ad salutem hominis viatoris ordinatum, singulas partes breui declaremus, primum, signum sensibile nominatur, gratiam Dei efficaciter significans; quia præter speciem quam ingerit sensibus, significat gratiam tunc recipienti Sacramentum exhiberi; idq; efficaciter, quia fides Catholica docet. Posito, verbi gratia, baptismi Sacramento, tunc baptizato, nisi ponat obicem gratiam dari; ut habetur apud D. Marcum, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, hinc signum practicum nominatur; deinde additur in definitione, vel gratuitum effectum: propter Hostiam consecratam, quæ est Sacramentum, quia per illam, tanquam per certam cæremoniam Deum colimus, & adoramus, atque hæc non significat

Scot.est dist.1. quæst.2.

August. 2. de doct.Christiana.

Marc. ult.

ficat gratiam inhærentem; non enim illa datur; nisi quando Hostia recipitur; sed significat gratuitum Dei effectum, id est, Christum Iesum, & eius sanctissimam passionem; iuxta illud
Lucæ. 22. Lucæ, Hoc facite in meam commemorationem, præterea ponitur ex institutione &c. quia non natura; ut fumus, ignem, ablutio, verbi gratia exterius facta ablutionem animæ interiorem per gratiam à peccatis significaret, nisi Christus Dominus ita constituisset; tandem ad salutem hominis viatoris &c. qua particula & sacramenti necessitas, & finis institutionis eiusdem, qui est nostra iustificatio, declaratur.

Artic. II. An determinata materia, & forma sint de essentia cuiuscunque Sacramenti?

Vide S.Th. ubi supra art. 6.7. Homil. 8. super Ioan. & habetur. Cano de trahe. 1. q. 1.

CONCL. I.

OMNIA sacramenta nouæ legis ex rebus tanquam materia, & ex verbis tanquam forma, constant; definita est in Conc. Flor. sub Eugenio IIII. & patet ex B. Augustino dicente, accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.

CONCL. II.

ITA est in unoquoque Sacramento determinata materia; & forma: ut sub alia materia, vel forma non possit Sacramẽtum confici. Ratio est, quia solus Deus, qui potest gratiam conferre, potest materiã, & formam, ex quibus Sacramẽtum, quod est gratiæ signum, constat, instituere. Hinc collige in
APPEN.
oleo lineaceo, quamuis in aliquibus effectis cum oleo oliuarũ conueniat, non licere confirmationis, aut extremæ Vnctionis sacramentum conficere.

CONCL. III.

RES in unoquoque sacramento dicitur materia, & verba forma. Ratio est; quia quemadmodum materia ex se est indeterminata ad plures formas, determinatur verò ad certam speciem per certam formam; ita etiam res sensibiles in unoquoque sacramẽto sunt indeterminatæ ad significandum plura; determinantur verò per verba ad significandum gratiam, vel gratuitum effectum. Hoc autem fiet perspicuum, si inductione singulorum sacramentorum utaris: ut, exempli gratia, in Baptismo ablutio multa significat. Nam potest quis seipsum abluere: ut lauet se, & refrigeret; restringitur verò ad significandam ablutionem sordium peccatorum per formam; Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & in sacramento Pœnitentiæ confessio, & reliqui actus pœnitentis, qui sunt quasi materia; possunt diuersimode fieri, & restringũtur per formam &c. Cau. Dur. qui tenet contra primam, & secundam conclusionem, Matrimonium non constare

quæst. 3. dist. 1. Duran. Cauẽ.

stare rebus; sed verbis tantum. Contra Concil. Flor. verum quia fuit illo Concilio antiquior, non est crimine notandus, sed cauendus.

Scotus accusatur, sed falsò; quod dixerit Sacramentum Pœnitentiæ non constare ex rebus, vel materia. Verùm infra q. 1. de Pœnitentia liberatur, & quid senserit declaratur. *dist. 14. infra.*

Art. III. An liceat Sacramentorum formas variare?

CONCL. I.

QVANDO variatur forma in terminos Synonimos, dummodo non varietur sensus, manet sufficiens forma, & verum conficitur Sacramentum: ut si quis Hispanè dicat, *este es mi cuerpo*, aut mixto idiomate, hoc est, *mi cuerpo*; & ratio est, quia quotiescunque seruatur idem sensus orationis, quãuis nomina varientur, sufficiens Sacramenti forma seruatur.

CONCL. II.

SI aliqua Respublica imponeret noua rebus nomina, quæ essent cum formis Sacramentorum consuetis Synonyma, liceret cum illis sacramenta conficere: ut si statueret: ut A. significaret Patrem. B. Filium. C. Spiritum Sanctum, liceret tunc baptizando dicere, Ego te baptizo nomine A, B, & C. Ratio est, quia seruatur idẽ orationis sensus; sunt enim termini illi ex impositione Synonymi cum verbis formæ cõsuetæ.

CONCL. III.

QVANDO termini idem significãt ex accommodatione usus, licet ex loquendi consuetudine, remanet sufficiens forma: ut si quis regem absoluens dicat, ego absoluo maiestatem vestram. Ratio est eadem quæ superioris conclusionis, esset tamen ridiculus, qui hac forma uteretur, idem iudicium est de figurata locutione: ut in consecratione Calicis, Hic est enim Calix &c. ubi continens pro contento sumitur. *Soto. dist. 1. q. 1. artic. 8.*

CONCL. IIII.

QVOTIESCVNQVE per terminorum mutationes pœnes augmentum, vel diminutionẽ siue interpositionem consuetæ formæ sensus non variatur, verum Sacramentum conficitur. Propterea quod cum obseruetur idem orationis sensus, forma sufficiens obseruatur, unde sub hac forma, Baptizo te, in nomine Patris omnipotentis, & Filii sapientis, & Spiritus Sancti diligentis, verum fit Sacramentum; quia istæ additiones non mutant formæ consuetæ sensum; item sub hac, hoc est corpus meum, quia detractio particulæ, enim non mutat sensum &c. Et tandem si intercapedo temporis, aut alicuius orationis interpositio fuerit, adeò breuis: ut non discontinuet intentionem, vel sensum, vel communem concipiendi usum,

Sacramentum conficietur: ut si sacerdos dicat, Ego te baptizo (*alumbra moçhacho*) in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen.

CONCL. V.

QVANDO fit mutatio in fine tantum terminorum, non autem in principio, & non animo inducendi errorem, sed ex imperitia sermonis, vel ex defectu linguæ, sufficiens forma non mutatur, patet; quia seruatur formæ consuetæ sensus, qui non seruaretur, si in principio fieret mutatio: ut si loco patris diceretur matris, & confirmatur ex Cano. Retulerunt de consec. distin. 4. de eo, qui baptizabat in nomine patrias &c. Vbi respōdet Zacharias Papa, verum fuisse collatū baptismum; quia ex accōmodatione vsus, verba corrupta, & integra idē signāt.

CONCL. VI.

QVI ex industria corrumperet fines terminorum dicens, Ego te baptizo, in nomine patrias &c. Verè conficeret Sacramentum, & ratio est, quia quotiescunque minister seruat sufficientem formam cum animo faciendi, quod facit Ecclesia, & Christus faciendū instituit, verè conficit, & qui ex industria corrumpit fines terminorum, ita se habet, verè igitur conficit; seruatur enim idem orationis sensus, nam balbutientes in comœdiis ex industria non mutant orationis sensum; eundem quidem concipiunt sensum ex accommodatione usus, audiētes verba integra, atque corrupta.

CONCL. VII.

QVANDO transpositis terminis seruatur sensus formæ consuetæ, verum conficitur Sacramentum, quoniam seruatur forma sufficiens; cum formæ consuetæ sensus retineatur, exemplum reperies. q. 1. de Eucharistia.

Prima difficultas. An qui prætermissa forma consueta, utitur sufficienti. Mortaliter peccet?

RESPONDEO per duas propositiones. Prima propositio in casu primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ & septimæ conclusionis, peccat tantum venialiter Probatur, quia quando charitas Dei, vel proximi non violatur, Mor. peccatum non committitur: hic autem charitas Dei non violatur; quia non agitur contra præceptum primæ tabulæ, cum seruetur formæ sensus à Christo institutæ; nec contra præceptum secundæ tabulæ, neque enim proximus læditur; cum verum recipiat Sacramentum, neque enim fit sacramento iniuria: quare peccabit tantum venialiter, dummodo aliàs vel ex contemptu, vel ratione scandali, non fieret Mortale.

Secūda propositio circa sextam conclusionem de sententia D. Tho-

D. Thomæ, qui tenet non confici Sacramentum, ex industria corrumpens verba, Mor. peccat, & baptismus de sententia eiusdem est sub conditione reiterandus. Quod peccet mortaliter, patet, quia secundum illam opinionem exponit se periculo Mor. peccandi, est tamen hæc propositio limitanda, nisi Minister sit Theologus, qui contrariam opinionem defendat. Quia tunc in nullo periculo constituitur, cum non agat contra conscientiam.

Secunda difficultas. An qui relicta forma consueta animo inducendi errorem, utitur sufficienti, verè conficiat?

DVAE sunt contrariæ opiniones, prima D. Thomæ, q. 60. art. 7. ad 3. & art. 8. contraria opinio est Palu. in 4. dist. 3. q. 1.

Alexand. Alē. q. 13. m. 3. ar. 3. S. Tho. q. 60 art. 7. & 8. doctores d. 3. Di. Bona. q. 3. 1. p. dist. Ricar. ar. 2. q. 3. Scot. & Dur. q. 2. Gab. q. unica art. 1. S. Thomæ est.

CONCL. I.

QVI non seruat consuetam formam, sed sufficienti utitur, cum intentione tamen faciendi quod Ecclesia præcipit, & Christus instituit; quamuis habeat animum inducendi errorem, nihilominus verum conficit Sacramentum. Ratio est, quia formæ sacramentorum, & illorum ministri habent virtutem ex institutione Christi, & non ab Ecclesia; unde si habeat animum faciendi, quod Christus instituit &c. Et confirmatur exemplo Græcorum, qui conficiunt in fermentato existimantes nos in azymo pane consecrantes, errare.

CONCL. II.

Si minister habuerit animum inducendi errorē in forma, dicendo in nomine patrias, filias &c. Volens innuere Deum habere filiam, non conficiet Sacramentum. Ratio est, quia forma tunc non est sufficiens, cùm non habeat eundem sensum cum forma consueta, est etiam definita in Can. retulerunt de consecr. dist. 4.

QVAESTIO SECVNDA DE INSTITVTIONE SACRAMENTORVM.

Alexād. Alen. q. 1. m. 2. per 4 ar. S. Tho. q̄o. 61. DD. dist. 1. D. Bona. q̄o 1. Ricar. toto ar. 2. et 5. Scot. q. 3. Gab. q. 2. Magist. Vega ca. ultim. lib. 7. super Cōc. Trid. Dur. q. 1. ar. 3. In. 3. sē. dis. 20.

Art. I. An sacramentorum institutio fuerit ad salutem necessaria?

CONCLVSIO.

NON fuit illorum institutio simpliciter necessaria. Ratio est, quia neque passio. Christi Iesu, ex qua sacramenta habent virtutem: ut est communis Theologorum sententia, fuit simpliciter necessaria, fuit tamen necessaria; quia conueniens ad nostram eruditionem. Hanc probant S. Thomas & Doctores multis rationibus congruentibus.

Art. II. An in statu innocentiæ fuerit aliquod sacramentum necessarium?

COMMVNIS est Doctorum sententia de hac re; verum Alex. & Duran. arbitrantur quod si in statu innocentiæ homines perstitissent, tenerentur aliqua sacrificia ad fidem sanctissimæ Trinitatis protestandam offerre.

CONCL. I.

IN statu innocentiæ nullum fuisset Sacramentum propriè dictum necessariũ, quia tale sacramentum est medicina contra morbum, & cùm ibi nullus fuisset morbus, nulla profectò opus esset medicina, Dicit enim Christus Redemptor noster, non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.

Math. 9.

CONCL. II.

IN illo statu nullum fuisset, si homines non cecidissent, sacrificium. Primum enim, non opus esset illo ad exteriorem fidei protestationem, quia satis fuisset verbotenus illam protestari. Secundò neque ad distinctionem religionis. quia tunc unus fuisset Dei cultus in toto terrarum orbe. Tertiò, neque ad redimendã pœnam temporalem peccatis debitam. Quia in illo statu nulla fuisset culpa; Vltimò neque ad scientiam Dei comparandam: ut Deo debitum honorem exhibere discerent, nam ut Magister sententiarum ait; homo in illo statu sine medio videbat Deum, id est non indigebat creaturis ad creatoris notitiam inuestigandam, per diuinam siquidem reuelationem illam habebat, non enim plures causæ institutionis reperiuntur.

distin. 1

Art. III. An in statu legis naturæ fuerit aliquod sacramentum propriè dictum?

TRES sunt circa hunc articulum opiniones. Prima est S. Tho. qui utramq. partem probabilem esse iudicat.

Secunda Ricardi, qui defendit sola fide parentum, nullo exterius adhibito signo homines, tunc à peccato purgari.

Tertia Scoti, cui subscripsit Gabriel, hi affirmant ibi fuisse aliquod sacramentum propriè dictum, idem tenuit Alex. 4. p. q. 2. & 5.

3. p q. 70. artic. 4. d. 1. art. 4. per tres q in 4. d. 1. q. 3. & 4. Gabr. d. 1. q. 2. ar. 3. & Palud. q. 5. art. 5.

CONCL. I.

IN lege naturæ fuit aliquod sacramentum propriè dictum, quo paruulis originale peccatum remittebatur. Cõstat multis rationibus, nam primum erat tunc sacerdotium Melchisedech quod non fuit in aliqua lege institutum, nisi ad sacramentorum administrationem, deinde fœminæ tempore legis scriptæ à peccato originali per aliquod sacramentum legis naturæ liberabantur. Præterea ubi est morbus debet esse aliqua medicina,

dicina, tādem erant tunc fideles ab infidelibus separati; quamobrem indigebant sacramento sensibili iuxta sententiam D. Aug. dicentis, in nullum nomen religionis, siue verum, siue falsum, coadunari homines possunt; quin aliquorū signorum, vel sacramentorum sensibilium consortio colligantur. *Gen. 6. & 24. & 27. & Deu. cap. 7. Lib. 19. contra Faustū cap. 11.*

Hinc colligitur solā fidem interiorem adultorum non satis fuisse paruulis, tunc ad salutem. Ratio est; quia cum esset opus sacramento, & sacramentum sit signum sensibile, necesse erat fidē aliquo signo exteriori protestari. Dicit enim D. Paulus corde creditur ad iustitiam; ore autē cōfessio fit ad salutē. APPEN. 1. *Rom. 10.*

CONCL. II.

SACRAMENTVM legis naturæ originale peccatum paruulorum delens non erat aliquod sacrificium; sed fides verbo, vel facto aliquo protestata. Patet iisdem rationibus, quibus confirmata est Appendix & concl. 1. nam quando D. Greg. dicit, solam fidem; (ut refertur de consecr. dist. 4. Can. Quod apud nos) esse remedium pro paruulis; intelligitur pro fidei confessione verbo tantum facta, vel facto aliquo protestata: non autem pro solo actu interiori credendi. *Vide Sco. q. 2. ubi supra.*

CONCL. III.

HVIVS sacramenti non erat definita verborum forma, sed præcipiebatur tātum: ut super paruulum verbo, aut facto fides mediatoris futuri inuocaretur, fortassis in hunc modū: futurus mediator te saluet. Perspicua est concl. illius enim Sacra scriptura meminisset: sicut & circoncisionis mētionem fecit, quæ tempore eiusdem legis fuerat tradita Abrahæ, quod autem fides; mediatoris (ut dictum est) esset necessaria, cōstat apertè quia peccata nunquam fuerunt dimissa, nisi propter merita unius mediatoris, unde Iob, scio, quod Redēptor meus viuit &c. quo loco fidem unius mediatoris habuisse declarat. *Iob. c. 19.*

Hinc in lege naturali non sufficiebat actus alicuius infidelis intendentis facere super paruulum, quod fidelium congregatio faciebat. Ratio est ex 4. concl. Deprompta, quia cum illius sacramenti non esset definita verborum forma; sed actus fidei interioris talem fidem exterius explicans, & infidelis interiorē fidem non haberet, non poterat exteriori actu verbo, scilicet, aut facto fidem, siue actum, quem non habebat, verè explicare. hic, aduerbium verè nota diligenter. APPEN. 2.

CONCL. IIII.

ADVLTI in lege naturali virtute sacrificiorum iustificabātur. Constat ex Can. quod apud nos proximè citato; erat nihilominus necessaria fides mediatoris, ad Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem &c. Erat quoque *Rom. 3.*

Iob ca. 1. necessaria pœnitentia; quia confessio erat in lege naturali, tandem confirmatur Iob 1. Qui singulis diebus offerebat sacrificium pro filiis dicens, ne forte peccauerint filii mei &c.

CONCL. V.

Scoti est Dur. & Palud. ADVLTI in lege naturali habebant sacrificandi præceptum. Ratio est; quia remedium contra peccatum fuit sub præcepto: ut est modò baptismus atque pœnitentia, & sacrificia erant in illa lege remediū contra peccata: ut ex Canone quod apud nos B. Grego. constat.

APPEN. 3. Falsò colligitur à Magistro Soto, ubi supra contra Scotum ex illius solutione non esse discrimen inter remedium paruulorum, & adultorum, contra D. Grego. nunquam enim Scot. *Sco. defēditur* dixit fidē sacrificio protestatam, sed verbotenus, unde maximum discrimen inter utrumq. remedium constituit, quod erit legenti Scotum facilè perspicuum.

APPEND. 4 Hinc intelliges quoq, illud præceptum non scriptura, sed per traditionē à parentibus in filios fluxisse; quemadmodum de præcepto fidei unius mediatoris, quod erat necessarium *2.2. q. 2. ar. 7.* ad salutem, nulla scriptura habebatur: ut D. Thom. docet. Dices, non potuit sine scriptura esse idem apud omnes, ergo vel erat scriptum, vel non erat sacramentum. Respondeo, erat idem secundum actum interiorē fidei unius mediatoris: non autem secundum actum exteriorem; quia non erat traditum hoc sacramētum sub certa forma, & confirmo ex sententia D. Tho. nam sicut ille docet. Solo instinctu interiori, *que. 60. ar. 5. ad 3.* tunc mouebantur ad eligendas res pro remedio adultorum, id est, pro sacrificio; ita à simili eodem instinctu ad eligendum actum exteriorē ad fidem pro paruulis manifestandam moueri, tunc manifestum est.

QVAESTIO TERTIA DE CAVSALITATE GRATIAE.

DD. d. 1. D. Bona. q. 4. 2. p. Ricar. art. 4. q. 1. Durā. q. 4. Castro V. Bapt. hæres. 3.

Art. 1. An sacramenta noua legis sint causa gratia?

CONCLVSIO.

DE fide tenendum est sacramentum nouæ legis, causam esse gratiæ; est enim definita in Conc. Flor. sub Eugenio IIII, his verbis. Sacramenta nouæ legis continent gratiā, & eam dignè suscipientibus conferunt: & in Conc. Trident. cap. 5. in præfat. Sessio. 5. & 7. Canc. 6. 7. 8. ubi Anathematiziuntur, hanc Catholicam veritatem negantes.

1. Diffic. Quomodo sacramenta sunt causa gratia?

VARIAE sunt de hac difficultate opiniones, quæ illam difficilem admodum reddunt. 1. est Alex. Alen. q. 8. m. 3. art. 5. &

& qō. 19. m. 2. cui adhæsit D. Tho. in 4. sent. d. 1. q. 1. art. 4. hi Doctores tenent esse sacramenta, instrumentalem gratiæ causam; quia quandam qualitatem efficiunt in anima, per quam disponitur ad gratiam suscipiendam; quam dispositionem in sacramentis characterem imprimentibus, dicunt esse characterem; in aliis verò quendam animæ ornatum.

Secunda opinio dicit sacramenta efficere gratiam; ita ut sint causæ morales gratiæ: quia in illis applicantur nobis merita Christi, quæ sunt causa gratiæ; hāc defendit Mag. Cano. in prælectione de sacramentis in genere 4. p. quam dicit esse D. Tho. multis in locis, quæ ibidem citat.

Tertia opinio est Scoti d. 1. q. 4. dicentis sacramenta gratiam efficere, ita quòd se habeant, sicut effectus priores destinati, ad effectus posteriores, scilicet ad gratiā, nam sicut notitia dicitur efficere volitionem. quia ad volitionem præsupponitur (nihil enim volitū quin præcognitum); ita sacramenta dicuntur gratiam efficere: quia ex lege Diuina ad illam præsupponuntur.

Quarta opinio est Gab. d. 1. q. 1. scilicet, quod sacramēta causant gratiam; sicut causæ naturales suos effectus, cuius ratio nititur huic propositioni, scilicet, causam secundam producere suum effectum nihil aliud est, quàm Deum talem effectum producere ad præsentiā illius causæ quæ quidem videtur contra fidem, quia si operationes nostræ voluntatis non producuntur ab illa, sed à Deo, volūtate tamen nostra præsente, contra iustitiā, profectò faceret Deus, puniēdo peccata nostra, quæ ipse, nobis præsentibus facit.

Quinta opinio est Mag. Soto dist. 1. q. 3. art. 1. 4. asserētis sacramenta causare gratiam mediatè & consecutiuè.

CONCL. I.

SACRAMENTA possunt quodammodò morales causæ gratiæ appellari, nam moralis causa est, quæ mouet efficiētem mediante aliquo obsequio, & sacramenta mouent quidem Deum Opt. Max. mediante Christi Iesu obsequio, ad conferendam nobis gratiam.

CONCL. II.

SACRAMENTA possunt quoque suo modo causæ, sine quibus, re, susceptis sacramētalis gratia non confertur, nominari, nam per sacramenta, confertur gratia ex opere operato; quare nisi re ipsa suscipiantur, non dabitur talis gratia, atque ita erunt causæ sine quibus non re, scilicet susceptis, confertur gratia sacramentalis.

Hinc sequitur sacramenta; ut in 1. & 2. concl. considerantur, APPEN.

non mereri nomen Causæ instrumentalis. Tum quia causa moralis non est ens reale; quēadmodum instrumentalis causa. Tum etiam, quia causa sine qua non præsupponitur ad effectum, & non operatur illud; ut apertio fenestræ præsupponitur ad introductionem luminis; at verò causa instrumentalis producit effectum.

CONCL. III.

SACRAMENTA sunt instrumentalis causa gratiæ, quia illam supernaturaliter efficiunt, eo modo quo instrumentalis causa artificiosè simul cum suo artifice, effectum producit. Constat ex proprietatibus instrumētalis causæ, nam per illam primam reddit Deus, qui est principalis causa, animas sibi similes. Confertur enim gratia, qua animæ deificantur, & diuinæ naturæ consortes efficiuntur. Secundò, quia non virtute propria sed Dei, meritorumq. Christi operantur, deferuntq. actionem Dei ad passum, nam sunt media inter Deum, & animam illa recipientem, & confirmatur authoritate Conc. Trident. Sessio. 6. ca. 7. ubi baptismus instrumentalis causa iustificationis nuncupatur.

Art. II. An possit creatura instrumentaliter creare, vel ad creationem concurrere?

HAEC quæstio breui in præsentia explicatur; quoniam instituta est de causa gratiæ disputatio. Duæ sunt opiniones, una affirmans, Gab. d. 1. q. 2. art. 3. dub. 2. Alma. quem ibi citat, & Mag. Vega super Conc. Trid. lib. 7. ca. 13. Altera & communis est opposita, de qua lege Alex. Alen. in 2. p. q. 6. m. 2. art. 4. Mag. sent. in 4. d. 5. D. Tho. 1. p. q. 45. art. 5. Sco. in 4. d. 1. q. 1. Ricar. in 4. d. 5. q. 4. art. 1. & in aliis locis, quæ ibi citantur Alber. Mag. in 2. d. 1. art 7. Duran. in 2. q. 1. d. 1.

CONCL. I.

NULLA creatura etiam per Dei omnipotentiam potest esse instrumentalis causa creationis; propterea quod, de ratione instrumenti est; ut agat circa aliquod passum, & prius natura quàm principale agens, illud tangat, sitq. medium inter principale agens & passum: quæ quidem in creatione cum fiat ex nihilo haud esse possunt.

CONCL. II.

BENE tamē potest esse causa sine qua non creationis, quia imperium diuinum, quod defertur ad nihil, id est, ad nullum subiectum, non utitur creatura tanquam instrumento.

APPEN. Hinc sequitur; quod si Deus per orationes, & preces alicuius sancti crearet aliquam formā, tales preces non essent causæ instrumentales, sed morales per rationem modo dictam.

Artic.

Art. III. An sacramentalis gratia in nobis aliquem peculiarem effectum operetur?

CONCLVSIO.

SACRAMENTALIS gratia, etsi à gratia gratum faciēte nō distinguatur specie; habet nihilominus peculiares effectus. Ratio est, quia Deus & natura nihil faciunt frustra; atque ita frustra ponerētur plura sacramenta, si illorum non essent diuersi effectus. Quamobrem in unoquoque sacramento promittit Deus simul cum gratia peculiare auxilium ad illius sacramenti effectum; ut in baptismo præstat Deus cum gratia peculiare auxilium ad reliqua sacramenta, dignè suscipienda, confirmatione ad fidem publicè confitendam, & contra inimicos Ecclesiæ defendendam, in Eucharistia delectationem, & deuotionis augmentum, in confessione peculiare auxilium ad persistendum in gratia, ne in eadem, vel alia peccata pœnitens relabatur, in extrema Vnctione contra tentationes dæmonum, qui nos in desperationem ducere conantur, demum in matrimonio Deus Opt. Max. speciale auxilium ad superandas carnis concupiscentias concedit.

Alex. Alen. q. 8. artic. 2. §. 1. D. Tho. q͠o. 62. art. 2. & DD. d. 1. D. Bona. q. 6. ar. 1. Ricar. q. 4. ar. 4. Sco. d. 2. q. 1.

Art. IIII. An sacramenta virtutem efficiendi gratiam à passione Christi Iesu habeant?

CONCLVSIO.

† VIRTVS quæ est in sacramētis conferendi gratiam, ex meritis passionis Christi Iesu emanat. Ratio est, quia gratia nulli datur, nisi propter merita passionis Christi, & confirmatur ex Glossa, super illud Rom. 5. in similitudinem præuaricantis Adæ; ubi legitur ex latere Christi dormiētis fluxisse sacramenta, per quæ saluata est Ecclesia.

† Alexā. Alen. q. 8. m. 3. art. 5. §. 5. 6. & 7. D. Tho. q. 62. ar. 3. 4. 5. D. Bon. d. 1. ar. 1. q. 3. & d. 3. ar. 1. q. 2. Sco. d. 1. q. 5. & d. 2. q. 1 Ricar. dist. 1. q. 3. ar. 4. Dur. d. 1. q. 4. & 5. Gabri. dist. 2. q. 1. art. 3. dub. 1.

Hinc colligitur sacramenta esse vasa, in quibus merita Christi deferuntur, & per quæ nobis applicantur, gratiaque confertur, habita quidem ratione non ad merita nostra, sed Christi, ex quibus virtutem habere dicuntur.

APPEN.

1. Diffic. An habeant virtutem efficiendi gratiam à qualitate vel virtute aliqua supernaturali illis inhærente?

CONCL. I.

VIRTVS in sacramentis existens non est specialis qualitas, sed motus à ministro, prout minister est, effectus; ut virtus ablutionis id est baptismi: ut sit sacramentum est, quod moueatur à ministro, utpote, infundendo aquam animo faciendi, quod Christus instituit. Ratio est, quia virtus cuiuscunq; instrumenti est motus artificiosus factus ab agente principali, vel ministeriali; & cum sacramenta sint gratiæ instrumenta,

ut supra diximus, erit profectò virtus illorum motus effectus à ministro prout minister est, id est, animo faciendi, quod Christus instituit.

APPEN. Virtutẽ aquæ in sacramento baptismi, & olei in Sacramento confirmationis, & extremæ Vnctionis esse ablutionem, & unctionem, & cœterorum sacramentorum esse motum, qui efficitur à ministro animo faciendi, quod Christus instituit,

d. 1. q. 1. 4 hinc manifestissimè colligitur. Et nota, quod quãdo Sco. dicit virtutem Sacramenti esse, quod sit signum certum, loquitur de Sacramento, ut est signum: at verò ut est instrumentalis causa, nõ it inficias sacramenti virtutẽ esse prædictũ motum.

CONCL. II.

SACRAMENTA, quatenus sunt instrumentales causæ gratiam continent. Ratio est, quia causam continere effectum, nil aliud est, quàm habere virtutem producendi illum: & cum sacramenta, quando applicantur à ministro (ut proxima conc. diximus) habeant virtutem efficiendi gratiam, dicentur profectò continere illam quatenus instrumentales causæ sunt, ad differentiã Dei Opt. Max, qui solus est prĩcipalis gratiæ causa.

Art. V. De numero, excellentia, & necessitate Sacramentorum nouæ legis.

Alex. Alen. q. 8. m. 7. artic. 2. D. Thom. q. 65 ar. 1. & DD in 4. D. Bon. d. 2. q. 3. Scoti q. 1. Ricar. q. 4. ar. 1. Duran. q. 2. Gabr. q. 1. art. 1 in eadẽ d. 2.

DE NVMERO, AN SINT SEPTEM TANTVM?

Hoc dubio explicatur 2. par. 2. distin. Magistri.

CONCL. I.

SEPTEM tantũ sunt nouæ legis sacramẽta ita enim definitur in Conc. Florẽ. expressè & Tridẽ. Sessio. 7. de sacramẽtis in genere ca. 1. ubi ita habetur; si quis dixerit sacramẽta nouæ legis nõ fuisse omnia à Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora, quàm septem, &c. Anathema sit.

APPEN. Hinc colligitur cautè legendos esse Alex. Alen. in 4. p. qõ. 24. m. 1. ubi dicit sacramẽtum confirmationis fuisse ab Ecclesia in Concil. Meldensi institutum; & D. Bona. d. 7. q. 1. qui tenet cum Alex. & Hugo. lib. de sacramentis, parte 15. ca. 2. qui affirmat Extremam Vnctionem fuisse à B. Iacob. institutam.

DE EXCELLENTIA.

CONCL. II.

D. Tho. ar. 1. et 3. & habetur in Conc. Trid. Ses. 7. de sacramentis in genere Can. 3.

INTER sacramenta nouæ legis Eucharistiæ Sacramẽtum est cœteris præstantius, est enim finis, ad quẽ alia sacramenta ordinantur; & finis est præstantior iis, quæ sunt ad finem, continet etiam Christum realiter.

CONCL. III.

INTER alia sex Baptismus, Confirmatio, & Ordo, cœteris præstan-

præstantiora, censentur, quia Baptismus est ianua omnium sacramentorum, Confirmatio est ad defendendam fidem, & Ordo hominem in supremo Ecclesiæ gradu constituit.

DE NECESSITATE,

CONCL. IIII.

BAPTISMVS, Pœnitentia, & Ordo simpliciter tantum sunt necessaria. Ratio est; quia illud est simpliciter necessarium ad salutem, sine quo, de lege peccatum non dimittitur, talia sunt hæc tria sacramenta de Baptismo. n. Ioan. 3. dicitur. Nisi quis renatus fuerit &c. De pœnitētia, Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis. Et de ordine cōstat, quia sine illo non potest pœnitentiæ sacramentū administrari. *D. Tho. art. 4.* *Ioannis 3.* *Lucæ 13.*

CONCL. V.

CAETERA sacramenta sunt, secundum quid, necessaria, id est, ad salutem conuenientia, ne quis per contemptum illa prætermittat. quia qui sacramentum contemnit, Christum Iesum, authorem sacramentorum, contemnere videtur.

Art ult. De Circuncisione, & reliquis Sacramentis Veteris legis, conferant ne gratiam?

QVINQVE sunt opiniones circa sacramentum circuncisionis, Prima est Mag. sententiarum d. 1. dicentis per circuncisionem deleri peccatum: gratiam autem minimè dari, quæ opinio est apertè erronea, quia de lege non datur mediū, inter filium regni, & perditionis. Nam qui non est mecum, contra me est &c. vide D. Bona. qui illum sano modo interpretatur. *Cauendus Magister.* *Lucæ 11.*

Secunda opinio refertur à D. Tho. infrà citato eorum, qui dicebant gratiam dari per circuncisionem, quæ sufficiebat ad deletionem peccati; non autem ad consequendam gloriam. hæc enim est falsa, quia gratia gratum faciens, & culpam delet, & ad gloriam iuuat.

Tertia opinio affirmat deleri culpam, & gratiam ad gloriam utilem conferri; negat tamen per illam carnis concupiscentiam cohiberi.

Quarta est D. Tho. q. 62. art. ultimo, & q. 70. art. 4. qui tenet, nulla veteris legis sacramenta, habuisse in se virtutem, qua gratiam operarentur. non enim dabatur gratia virtute circuncisionis, de sententia illius, sed fidei ministri.

Quinta opinio est Sco. d. 1. q. 6. quam multo antea defenderat. Alex. Alen. q. 7. m. 7. & 8. D. Bona. q. 3. art. 2. Ricar. q. 3. art. 6. m. 1. d. quos sequuntur Dur. q. 5. & Gab. q. 4. eadem dist.

CONCL. I.

VETERIS legis sacramenta si cum gratia, & fide, recipiebātur, erant gratiæ, & gloriæ, ex opere operantis, meritoria. *D. Tho. est 1. 2. q̃o. 103. art. 2. ad 2. Scot. q̃o.*

Ratio

D.Tho.est 1.2. qō.103.art.2. ad.2. Scot.qō. 6.citata cōtra Magistrū d.1. Matth.10. Mar.9.

Ratio est quia erat actus à charitate procedens in Deum relatus. Talis enim actus est gratiæ, & gloriæ meritorius: ut patet Math.10.& Mar.9. Quisquis enim dederit potum aquæ frigidæ in nomine meo &c.

Flo. Theo. q. super 4. lib. sent.

CONCL. II.

NVLLVM sacramentum, quod erat præcisè legis Mosaicæ, ex opere operato gratiā conferebat. Definita est in Conc. Flor. sub Eugenio IIII. ubi ita legitur. Nouæ legis septem sunt sacramenta, quæ multum differunt à sacramentis veteris legis. Illa enim non conferebant gratiā; hæc autem nostra, & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.

APPEN. Cauē. Duran.

Hinc colligitur cautè legendū esse Dur. ubi supra dicētem consecrationē sacerdotalem in lege veteri gratiam contulisse.

CONCL. III.

VIRTVTE circūcisionis olim dabatur gratia; sicut modo Baptismi virtute, patet 1 authoritate Eccle. in c. maiores de Baptis. ubi dicitur. etsi originalis culpa per circūcisionem remittebatur, & dānationis periculum euitabatur; non tamen ad regnum cœlorum perueniebatur ubi eodem modo loquendi, quo per Baptismū gratiam dari determinatur in Conc. Trid. sess. 6. cap. 7 usus est Innocen. 3. ad virtutē circuncisionis exprimendā. ibiq. ex professo loquitur, cum comparet circūcisionē cum Baptismo, & in ultimo scilicet, non tamen ad regnū cœlorum perueniebatur, differre demonstrat. Idem docet D. Aug. Cano. ex quo & D. Greg. Cano. quod apud nos, & etiam venerabilis Beda quē mag. d. 1. citat. Dices Conc. Flor. dicit sacramēta veteris legis non cōtulisse gratiā; sed solum figurasse gratiā dandā &c. Respondeo. loquitur de sacramētis quæ præcisè erāt veteris legis; circūcisio autem fuit data Abrahæ ante legem, & quādo D. Pau. Rō 4. dicit accepisse Abraham signū circūcisionis, signaculū fidei iustitiæ, quæ est in præputio, nō negauit quin virtute propria gratiæ augmentū Abrahæ contulerit. neq, rectè inferes, nō fuit iustificatus Abrahā, quando accepit circuncisionem; ergo circūcisio virtute propria non conferebat gratiā, qua peccator iustificaretur: quēadmodum nō valet à simili virgo sanctissima, quando accepit Baptismū, non fuit iustificata: quia iam ab instāti suæ immaculatæ conceptionis erat gratiæ plena; ergo Baptismus nō iustificat alios. recepit siquidē Abraham gratiæ augmentū per circuncisionē sicut virgo sacratissima per Baptismū. & nota passio Christi tunc in circuncisione non operabatur: ut causa efficiēs neq; ut causa finalis, quamuis erat finis institutionis sacramentorum veteris legis; sed tanquam moralis, & meritoria causa: ut nunc

De cōsecr. d. 4.

Rom. 4.

ut nunc temporis operatur; & ut modo merita passionis exhibitæ applicantur nobis per actum exteriorem, id est, per receptionem sacramenti; ita tunc merita passionis exhibendæ, quæ erat causa moralis, & meritoria, per receptionem circuncisionis applicabantur, præterea, si obiicias. D. Paul. dicentem, cur ad egena & infirma elementa conuertimini? Res. cũ D. Hiero. ibidem, loquitur contra illos, qui post acceptam euangelij gratiam ad iudaismum reuertebantur. Nam ante sufficientem euangelij promulgationem diuitijs plena erant; quia circuncisio gratiã conferebat, & reliqua Christum venturum significabant. Tandem si percõteris intelligentiã illius loci; si enim per legẽ iustitia, Christus ergo gratis mortuus est, qui videtur conclusionem Sco. euellere. Resp. loquitur ibi B. Paul. de operibus secundum valorem proprium, & naturalem; ut postea falsò docuit Pelagius; non autem secundum valorẽ à lege, & à diuina ordinatione statutũ, nam hoc modo operibus debetur ex meritis Christi Iesu præmium æternæ iustitiæ, ut pote, gratia, & acceptatio ad gloriam: circuncisio autem ex meritis Christi virtutem conferendi gratiam habebat.

Galat. 4. *B. Hiero.* *Galat. 2.*

QVAESTIO QVARTA DE CHARACTERE.

Alex. Alẽ. q̃o. 8 m. 4. ar. 1. & q. 19. per totũ D. Th. q. 63. ar. 1. & DD. m. 4. D. Bon. d. 6. ar. 1. per quinque q. Ricar. d. 5. toto. ar. 2. Sco. d. 6. q̃o. 9. 10. & 11. Durã. d. 4. q. 1. Patrẽ. Castro cõtra hæreses V. character.

Art. I. In quibus sacramentis nouæ legis character imprimitur.

CONCL. I.

CERTISSIMVM est characterem in anima per sacramenti initerabilis receptionem, si recipiens non ponat obicem, imprimi. definitur in Conc. Flor. sub Eug. IIII. & in Conc. Trid. Sess. 7. Can. 9.

CONCL. II.

IN Baptismo, Confirmatione, & Ordine duntaxat character imprimitur. definita est in Conc. modò citatis. nam in Flor. dicitur. inter hæc sacramenta tria sunt, scilicet, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterẽ, id est, spirituale quoddam signum imprimunt in anima indelebilem, unde in eadem persona non iterantur. & in Trid. eodem Cano. 9. ita legitur. Si quis dixerit in tribus sacramentis Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine nõ imprimi characterem in anima &c. Anathema sit.

Art. II. An character sit qualitas absoluta in anima existens? &c.

DVAE sunt opiniones, una communis quam tenent Alexan. D. Bona, 4. p. q. 19. m. 1. art. 2. quos citat Gab. d. 6. q. 2. Ric.

Ric. q. 1. D. Tho. art. 2. ubi ſupra & dicitur ab his eſſe qualitas abſoluta 2. eſt Dur. d. 4. q. 1. aſſerentis eſſe relationem quandam Sco. dubius eſt in hac quæſtione.

CONCL. I.

CHARACTER eſt potentia actiua, ſeu paſsiua recipiendi, adminiſtrandíue ſacramenta, per characterem enim diſtinguitur ſacerdos à non ſaderdote; ſcilicet, per potentiam adminiſtrandi ſacramentum. Baptizatus etiam à cathecumeno per potentiam recipiendi ſacramentum. eſt enim character. ſignũ quo inſigniti ad inuicem diſtinguuntur, & inter ſe quandoq; aſsimilantur, & à carentibus charactere differunt.

CONCL. II.

POTESTAS iſta actiua, ſiue paſsiua, nõ eſt ens rationis, aut relatio; ſed qualitas abſoluta in anima exiſtens. patet. Quia impreſsio eſt actio realis; ut impreſsio ſigilli in cera, & character dicitur imprimi in anima; ut conſtat Can. maiores de baptiſmo. tum etiam quia ſimilitudo non eſt niſi in qualitate, & per characterem, qui illum habent dicuntur eſſe ſimiles.

Vide conc. citatã ſup. quæſt. 4. ar. 1.

CONCL. III.

CHARACTER reſpectu ſacramentorum inſtrumentalis cauſa, ſiue potentia eſt, quia ſacerdos eſt cauſa inſtrumentalis conuerſionis panis in corpus Chriſti, verum per verba conſecrationis, & hoc, quia habet characterem, ergo multo magis character.

DIFFICVLTAS.

An ſit character indelebilis?

CONCL. I.

POTESTAS hæc adminiſtrandi, vel recipiendi ſacramenta, quæ character nuncupatur indelebilis eſt. definita eſt expreſſè in Con. Flor. & Trid. in 1. art. citatis, & in cap. maiores de Baptiſmo, & Can. quod quidam 1. q. 1.

Alex. q. 19 m. 5. D. Bona. q. 5. Ricar. q. 3. D. Tho. artic. 5 ubi ſupra.

Art. III. An ſit character in voluntate vel in intellectu, tanquam in ſubiecto?

DVAE ſunt opiniones, 1. Alex q. 19. m. 3. D. Bona. q. 3. D. Tho. art. 4. ubi ſupra Ric. d. 5. q. 2. art. 2. qui tenent characterẽ ſubiici in intellectu. Altera Sco. q. ultima d. 6. qui defendit eſſe voluntatem characteris ſubiectum, Dur. vero d. 4 q. 1. opinatur ſubiici in potentia executiua; ut in manu, & lingua, hæc autem opinio eſt contra Conc. Flor. Seſſ. 7. Can. 9. ubi diffinitur, imprimi in anima; quamobrem non in lingua, vel in manu.

Durãdus caute legẽdus hic

CONCL. I.

CHARACTER non eſt in eſſentia animæ; ut in ſubiecto;

iecto; sed in eius potentia, vel mediantibus potentiis (ut Alex. & D. Bona. affirmant) in est, Ratio est, quia character est signum, quo Christo Iesu, qui est secunda persona Trinitatis sanctissimè, configuramur. quæ quidem configuratio non fit secundum essentiam animæ; sed secundum eius potentias, hæc est Alexan. D. Tho. & D. Bona. cui Sco. non repugnat.

DVBIVM.

In qua igitur potentia inerit?

CONCL. II.

In voluntate tanquam in subiecto, probatur; quia omnes Theologi fatentur iustitiā in voluntate collocari, & actus sacramentalis, cum per illum Deo debitum honorem petendo æternam salutem ab illo reddamus, est actus religionis: religio verò pars iustitiæ est, atq; ita erit profectò character; ut iustitia, in voluntate. Secundo, quia potentiæ distinguuntur per actus, & character inclinat ad actus voluntatis. inclinat enim ad actus religionis, & iustitiæ, quæ est in voluntate, quare &c. Tertiò quia per characterem obligamur ad colendum Deum sacramentalibus operationibus, & obligatio est voluntatis. quia est actus potentiæ liberæ: quamobrem in voluntate erit character. ex dictis fit satis rationibus contrariæ opinionis: nam operationes sacramentales, ad quas character inclinat, & si fidem saltem in suscipiente præsupponant, non sunt fidei, sed religionis protestationes. Deinde quando dicitur potentia animæ subiici in essentia animæ, intelligitur de potentiis naturalibus: character verò est supernaturalis potentia, habens se velut habitus inclinans q. per modum habitus ad operandum. *Scoti. est.*

Tandem nota non esse hoc loco institutam disputationem de subiecto inhæsionis, hac enim ratione tota anima, cum sit indiuisibilis, & omnes eius potentiæ idem realiter cum illa, erit characteris subiectum; sed de subiecto perfectionis, quomodo intellectus qui fide perficitur, dicitur esse fidei subiectū.

Art. vlt. An character sit totius Trinitatis Sanctissimæ, vel alterius diuinæ personæ potius quam Christi Iesu appellandus?

CONCL. I.

Gratia, quæ est character, quo sancti in Triumphanti Ecclesia ad Dei fruitionē deputantur, non Christi; sed Dei character nominatur, quod autem gratia character sit, perspicuum est. nam est signum, quo homines deputantur ad aliquem finem, nempe, ad Dei fruitionem. tum esse Dei characterem patet. quia character alicuius principis est signum, quo *Alex. Alē. 4. p q. 19 m. 1 art. 1. D. Tho. art. 3. vbi supra.*

 milites

milites redduntur illi similes in aliqua potestate; & per gratiam homines Deo similes in potestate fruēdi diuina essentia efficiuntur, vt enim Deus est beatus in visione, & fruitione essentiæ diuinæ: ita homo media gratia ad similem beatitudinem acceptatur.

CONCL. II.

Character sacramentalis Christi character est. per illum enim principi Christo homini in aliqua potestate assimilamur. quod quidem manifestum fiet posito exemplo v. g. per characterem ordinis, qui est potestas absoluendi à peccatis, Christo qui sacerdos erat, & peccata remisit sacrificiumque, id est, seipsum patri obtulit in sacerdotali potestate assimilamur &c. Et nota non reddi nos similes Christo per sacramentalem characterem in aliis potentiis, quas Isaias cap. 33. indicauit dicens de Christo, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos. quo loco iudiciariam, legislatoriam, Regiam, & sacerdotalem potestatem complexus est.

Isaias cap. 33.

QVAESTIO VLTIMA DE MINISTRO SACRAMENTORVM.

Hac quæstione exponitur d. 5. & 6. Magistri sententiarum, vbi legendi sunt doctores.

Alex. Ale. q. 15. vbi supr. et 16. m. 1. D. Th. art. 1. q. 64. Ricar. dist. 5 q. 2 art. 1. Dur. dist. 5. q. 63. Vega lib. 7. super Cōcilium Triden. à cap. 4. vsque ad 18.

Art. I. Quonam pacto Deus, & minister interiorem sacramenti effectum operantur?

CONCL. I.

SOlus Deus est gratiæ sacramentalis, & characteris causa principalis. nam causa principalis est, quæ virtute propria, & permanenti, atque independenter, reddens passum sibi simile operatur: qualis est solus Deus, qui per suam diuinam voluntatem, quæ est permanens, & independens, & ipsemet Deus, reddet hominem sibi similem iustificando per gratiam illum. Deus enim est qui iustificat.

Rom. 8.

CONCL. II.

Minister est instrumentalis gratiæ causa. constat ex proprietatibus instrumentalis causæ. non enim operatur virtute propria; sed principalis agentis, nempe Dei, & meritorum Christi, cuius actionem deferens in animam reddit illam non sibi; sed Deo mediante gratia similem.

CONCL. III.

Gratia sacramentalis, quæ ex opere operato confertur, per sanctiorem ministrum maior minimè datur. Ratio est, quia propter merita Christi datur sacramentalis gratia ex opere operato, & nullo modo propter ministri merita: non enim qui plantat,

Alexā. Alen. q. 16. m. 2. artic. 3.
1. Corin. 3.

plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementũ dat De⁹. lege Cano. Baptismus, & Cano. inter bonos de cons. dist. 4.

CONCL. IIII.

Sanctitas ministri, & eius preces suscipienti Sacramentum diuinum impetrant auxilium; vt rectè sacramentali gratia, & libero arbitrio vtatur. Hinc enim Moysen, & Aaron multa suis precibus populo Israelitico impetrasse legimus. hinc B. Paul. in suis epistolis pro se orationes fieri postulauit. hinc tandem B. Iacob. multum iusti assiduam deprecationem valere dixit. *capite 5.*

Oppositum 4. concl. fuit error Pelagij, & aliorum hæreticorum, aduersus quos pater à castr. Verb. oratio hæresi. Tertia disputat. *Hæresis.*

Art. II. An Christus, vt homo, sit instrumentalis causa gratiæ, quæ per sacramentum confertur?

CONCL. I.

Alex. 4. p. q. 15. m. 3. D. Th. quæst. 64. ar. 2 DD. d. 5. Rica. q. 5. art. 1. Duran. q. 3.

Humanitas Christi Iesu per receptionem Eucharistiæ est nunc instrumentalis gratiæ causa. Ratio est, quia per eius motum agens principale, vt pote Deus, infundit nobis gratiam, qua animas nostras deificat, sibique similes reddit.

CONCL. II.

Humanitas Christi fuit quibusdam iustificationis causa instrumentalis, illis, scilicet, quibus Christo domino loquente fuit concessa gratia, patet. nam fuit instrumentum miraculorum verbi diuini; quia per eius imperium, & motum miracula efficiebantur, vt quando dixit Adolescens tibi dico, surge: & Archisynagogi filiam tetigit. quamobrem fuit, & iustificationis instrumentum, quando per eius locutionem aliqui fuerunt iustificati; vt Magdalena, Paralyticus, Saulus, & alij. *Luca 7. Marc. 5.*

CONCL. III.

Humanitas Christi non est modò in alijs sacramentis, preter Eucharistiam, instrumentalis causa gratiæ, quæ per illa cõfertur. patet primo. quia non habet vllam actionem realem, nec motum in alijs sacramentis, per quem principalis causa, scilicet, Deus operatur. hoc est enim instrumẽtalis causę proprium. Secundo quia causa instrumentalis non mouet principalem, immo ab illa mouetur; at verò humanitas Christi suis precibus mouet Deum, iuxta illud, aduocatum habemus apud patrem, &c. Tertio, quia humanitas Christi ex sententia D. Tho. patribus veteris testamẽti per fidẽ applicabatur, & quoniam non existebat, non erat tunc instrumentalis causa cum igitur modò in cæteris sacramentis dempta Eucharistia, non existat, quamuis nobis per fidem, & sacramenta applicetur, *D. Bona. Rica. Sco. & Du. est. 1. Ioan. 2.*

non erit profectò instrumentalis causa. Vltimò, causa instrumentalis non tangit passum per solam artificis intentionem (non enim calamo in mete existente scribimus) sed per realem actionem: quare cum humanitas Christi non existat realiter in aliis sex sacramentis, non erit instrumẽtalis causa gratiæ, & iustificationis.

CONCL. IIII.

Non sunt pasiones, & actiones humanitatis Christi nunc instrumentalis causa nostræ iustificationis. Probatur, quia actio realis, qualis est actio causæ instrumentalis, est ab ente reali nunc autem pasio Christi, & eius merita sunt entia rationis tantũ in mente diuina existentia lege Vegam super Con. Trid. ca.15.& infra.

CONCL. V.

Humanitas Christi, & eius merita in acceptatione diuina sunt modò morales causæ, propriæq.dici etiam possunt causæ meritoriæ sacramentalis gratiæ. Ratio est, quia si Adæ peccatum tantæ fuit malitiæ, ut totum genus humanum per generationem carnalem infecerit: profectò merita Christi, & eius pasio sanctisima,tantæ erunt excellentiæ, ut toti humano generi meredo illa gratiam per sacramentorum applicationem conferẽdam prosint. Vbi enim abundauit delictum super abundauit gratia, & sicut per unius in obedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam iusti constituentur multi. Rom 8.

Art. III. An Christus, quatenus homo, potuerit hominibus potestatem concedere constituendi sacramenta?

Duæ sunt opiniones. Prima est communis Alex. Alen. q. 15.m.1.D. Tho.q.64 art.4.D. Bona. art.3 q.1.& Ric.q.3 art.1. d. 5. ij defendunt Christum, quatenus Deus est, habere potestatem principalem instituendi sacramenta, eamq. non potuisse Apostolis communicare: verum potuisse illis potestatem excellentiæ, & authoritatem condendi sacramenta concedere.

Secunda opinio est Dur. in 4 d.6. q. 4. docentis potuisse Deum Apostolis concedere;ut eligerent res quasdam sensibiles, quæ essent sacramenta, non tamen potuisse illis conferre gratiam capitis, qua sacramenta conderent.

Sco. commmunem opinionem defendit ait enim d.1.q.3. art.2. solus Deus potest instituere sacramenta. quia solus potest dare gratiã,& intelligit principaliter; ut ex præcedentibus constat. Deinde non negauit humanitatem Christi potestatem instituendi sacramenta habuisse. nam in fine illius articuli ,ita loquitur; perfectio sacramẽti requirit,quod instituatur à Deo,

vel

vel quod determinet se regulariter cooperari illi signo, ubi apertissimè declararat potestatem instituendi sacramenta creaturæ ex commissione concedi posse.

CONCL. I.

Solus Deus principaliter, & independenter, & humanitas Christi ex commissione sacramenta instituere possunt. Ratio est, quia instituere sacramentũ est dare alicui rei sensibili virtutem significandi gratiam quam ex natura sua non significabat; & cum solus Deus principaliter & humanitas Christi ex commissione (quoniam habuit gratiã capitis possit dare, profectò solus Deus principaliter, & independenter, &c.

CONCL. II.

Nõ potuit Christus Iesus Apostolis, vel Ecclesiæ pricipalẽ, & independentẽ potestatẽ instituendi sacramẽta, quã ipse: vt Deus habuit, cõmunicare. propterea quod, si talis potestas esset Apostolis commissa, esset quoq; eisdẽ deitas data, quid? quod neque humanitati Christi, cũ sit verbo vnita, talis potestas cõmunicari potuit. aliter enim humanitas esset diuinitas.

CONCL. III.

Christus, in quantum Deus, potuit Apostolis excellentiæ potestatem quamuis humanitas habuit committere, atq; etiã in quantũ homo, quia potuit illis dare gratiam capitis, qua sibi, & aliis gratiam mererentur: & cum possent tunc aliis gratiam mereri, potuissent etiam illius gratiæ dandæ signa, quæ essent sacramenta instituere. *Vide Dur. dist. 5. q. 4.*

CONCL. IIII.

Prædictã potestatem apostolis minimè tradidit. Ratio est, ne schisma in Ecclesia oriretur. nã si Corinthii diuidebãtur, quod alij à Pauli alij à Cepha essent baptizati. ego enim dicebat vnus, sum Pauli, alter verò ego sum Apollo &c. quanto maior occasio schismatis in Ecclesia fuisset si apostoli instituẽdi sacramẽta authoritatem habuissent. ne igitur schismatis occasio præberetur, talem potestatem conferre haud decuit. *1. Corinth. 1.*

CONCL. V.

Ecclesia potest instituere sacramentalia, & aliquod signum certum, quo ex opere operato virtute meritorum Christi, & sanctorum pœna prouenialibus, & mortalibus peccatis, iam dimissis luenda remittatur. Ratio est, quia cum summus Pontifex possit remittere pœnam temporalem per applicationem meritorum Christi, & sanctorum, poterit planè signum, siue sacramentale illius remissionis instituere. nam qui potest aliquem effectum præstare, potest quoq; certum signum illius effectus constituere. Nota. Primum sacramentale nihil aliud esse quam solemnem præparationem ad sacramentum, cuius-

modi est exorcismus catechismus, &c. Animaduerte secundo, effectum ex opere operato esse, qui datur propter merita Christi.

Alex. Alē. q. 16. m. 2. art. 1. D. Tho. q̄ō. 64 art. 5. DD. dist 15. D. Bona. q. 2. ar. 1. q 1. & 2. art. 2. Ricar. q. 3. art. 3. Sco. disti. 6. q. 1. & Dur. q. 3.

Art. IIII. An per malos ministros sacramenta, & illorum effectus conferri poßint?

CONCL. I.

Potestas administrandi sacramenta, siue regia per mortale peccatum non amittitur. constat multis sacræ scripturæ locis. & est definita in conc. Constantien. Sess. 8. & in Trid. Sess. 7. de Baptismo cap. 11. lege patrem à Castr. Ver. Baptismus hæresi 6. & Ver. potestas contra hæreses.

CONCL. II.

Egregiæ simi litudines de hac re sunt apud D. Bona. D. Thom. & Castrum vbi supra. Hæresis.

Sco. liberatur in 4. dist. 1. q̄ō. 5. artic. 5.

Per Ministrum quantumuis malum, seruantem tamen, quæ sunt de necessitate sacramenti, sacramentalis gratia suscipienti sacramentum, dummodo non ponat obicem, confertur. Ratio est, quia gratia sacramentalis non datur propter merita ministri sed Christi: vt habetur de consecra. d. 4. Can. Roma. Pontifex & in conc. Trid. Sess. 7. de sacramentis in genere Can. 12. de Baptismo Can. 4. vide apud Gracia. q. 1. Primæ causæ circa hunc ar. fuit error Vualdensium, scilicet, propter quodcunq; peccatum mortale Ecclesiasticam, & regiam potestatē amitti & Donatistarum asserentiū baptizatos ab hæreticis esse iterum baptizandos lege patrem à Cast. locis in prima conclu. citatis. Sco. est in præsentia liberandus à calumnia, quam illi Mag. Soto imposuit dicens errasse Sco. vbi supra, quoniam ait baptizatum ab hæretico, si vult fieri illius discipulus, non recipere verum sacramentum. quod quidem nec somniauit Sco. apud illum enim ita legitur. si hæreticus baptizat adultum, & adhuc sacramentum sibi confert, & effectus eius, si in adulto non est aliquis malus motus: vt si velit consentire hæresi, vel vt fiat discipulus eius. hæc Sco. vbi conditionalem, si, non ad sacramentum, sed ad effectum sacramenti referendam esse quis non videt? quid? quod in eodem q. 1. & non 2. vt falsò apud Sotum legitur idem Sco. concessit baptizatum ab hæretico, etiam si hæreticus sit, verum sacramentum suscipere.

Alex Alē. q. 16. m. 2. art. 2. D. Tho. q. 64. art. 6. DD. d. 5 Ricar. q. 3. ar. 3. Dur. q. 2.

Art. V. An minister existens in peccato Mor. peccet Mor. sacramenta administrando?

CONCL. I.

Minister existens in M. extra casum necessitatis ministrās, siue laicus siue sacerdos sit; M. peccat, canonizata est ab Ecclesia in multis textibus 1. q. 1. in Can. per Isaiam, & Can. omnia &c. nam sicut qui indignè manducat, iudiciū sibi mā-

ducat

ducat: ita qui indignè ministrat iudicium sibi acquirit. *1. Corinth. 11.*

CONCL. II.

In casu extremæ necessitatis existẽs in Mortali, etiã si sit ex communicatus administrando minimè peccat: vt si laicus, vel sacerdos &c. puerum Agonizantem baptizaret. Et ratio Sco, est, quia concurrentibus duobus præceptis in compossibilibus, illud magis obligat, cuius transgressio magis nocet. & cum magis noceat transgressio præcepti de subueniendo paruulo morienti, quàm præcepti de non administrando in Mortali peccato. licebit profectò ministro, vel excommunicato &c. *D. Tho. & Sco. est vbi supra.*

APPEN.

Hinc colligitur sacerdotem in mortali administrantem absolutionis sacramentum nullo modo à peccato excusari. quia potest, dum pœnitentem audit, interius de peccatis conteri.

CONCL. III.

Diaconi, & subdiaconi in Mortali administrantes Mortaliter haud peccant. tum quia illorum ministeria non sunt sacramenta, sed sacramentalia, tum etiam quia illis de dignè administrando non est impositum præceptum: quemadmodum ministris sacramentorum. *Soto dist. 1. q. 5 art. 6.*

CONCL. IIII.

Concionator, si est publicus peccator, concinando mortaliter peccat: nisi verè pœniteat secus autẽ si sit occultus peccator. Ratio est, quia præbet alijs ruinæ occasionem, dicente D. Paul. qui prædicas non furandum, furaris &c. per vos nomen Dei blasphematur inter gentes. at vero occultus nulli talem occasionem præbet, immo charitatis, & eleemosynæ spiritualis actum exercet. præsertim quãdo illi ex officio incumbit, & cum timore, & reuerentia concionatur. *Rom. 2.*

Art. VI. An qui recipit Sacramentum à ministro, quem scit in mortali existere, mortaliter peccet? *D. Tho. vbi supra ar. 2. ad. 1. & DD. d. 5. Ricar. art. 3. q. 4 Scot. q. 2.*

CONCL. I.

Ministrum malum non excommunicatum, cui ex officio incumbit sacramenta subditis ministrare, potest subditus absque peccato imparatum, atq; inuitum ad administrandum inducere. nam qui vtitur iure suo non peccat: & subditus habet ius petendi; neq; inducendo peccat, cum petat sibi debitum, quod potest curatus sine peccato reddere, si prius pœnituerit vt constat ex Appendice quinti artic. *Vide cap. Volaterrana de electione, et Glossa in ca. nõ est de spõsalibus.*

CONCL. II.

Peccat, qui à sacerdote malo, non curato, & parato. publicè in Ecclesia ad administrandum petit scienter sacramentum. Ratio est, quia cooperatur grauiori peccato ministri. grauius

enim multò peccat sacerdos reipsa administrando, quàm si solum habeat administrandi voluntatem: quemadmodū grauius peccat, qui hominem interficit, quàm ille, cui est solum cordi interficere.

CONCL. III.

Si Curatus fuerit excommunicatus generaliter tantum, integrum erit subditis ab illo sacramentum petere etiam si ille non sit ad administrandum paratus. patet. quia generaliter excommunicatus ante iudicis declarationem, neque in diuinis, neq; extrà, neque in receptione, vel in administratione sacramentorum, præter quàm in casu, si quis suadenre diabolo, vitare tenemur: vt constat per extrauagantem, Ad euitanda. secus verò si non fuerit curatus, quia tunc cooperaremur grauiori illius peccato, cum ipse ministrare non teneatur.

CONCL. IIII.

A Sacerdote Curato, vel non Curato, etiam nominatim excommunicato licitum erit necessitatis sacramentum in extrema necessitate, id est, in mortis art. petere. de sacramento Baptismi constat. quia concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus, illud magis obligat, cuius transgressio magis nocet. & cum transgressio Baptismi de puero vel adulto moriente baptizando magis noceat, quàm transgressio præcepti Ecclesiæ de non communicando cum excommunicato. Primum præceptum obligabit. Et secundi, qui sacramentum petit, reus non erit.

Alex. Alen. q 16. m. 3. art. 5. D. Thom. q. 64 art. 9. Ricar. d 5. q. 4. ar. 3.

Art. VII. An fides ministri ad sacramenti veritatem sit necessaria?

CONCLVSIO.

Ad ministerium cuiuscunq; sacramenti neq; fides actualis, vel habitualis ministri desideratur. hæc colligitur ex Conc. Flor. vbi materia, & forma, & intentio ministri faciendi, quod Ecclesia facit: non autem illius fides ad veritatem sacramenti necessaria esse dicuntur.

APPEN. *Alex. Alen. q. 19. m. 1. per 4. ar. D. Thom. q. 64. arti 8. & D D d. 6. D. Bona qō. 1. & 2. ar. 2. Ricar. qō. 1. ar. 1. Scot. q. 3. 5. & 6. Duran. q. 2*

Hinc si Sacerdos apostata à fide proferat consecrationis verba animo faciendi, quod Romana Ecclesia facit, vel si habeat intentionem absoluendi in artic. mortis, verum cōficiet sacramentum.

Art. VIII. An intentio Ministri sit de necessitate Sacramenti?

CONCL. I.

De fide tenendum est esse intentionem necessariam. definita est in Conc. Flor. sæpe hactenus citato, & constat ex iure diuino. nam quando Christus dixit in Cœna, † hoc facite in meam

† Lucæ 22.

meā cōmemorationē, suā intentionē seruandā esse præcepit.

CONCL. II.

Intentio, quatenus est volitio actus exterioris, est in ministro ad verum sacramentum conficiendum necessaria patet. quia minister est agens liberū, & de ratione agentis liberi est: vt præuia intentione operetur. alioquin non esset agens liberum, sed naturale.

CONCL. III.

Minister necessario debet ad veritatem sacramenti suum actum exteriorem in hunc finem dirigere: vt per illum actum quod Christus Iesus, vel Romana Ecclesia faciendum instituit, conficiatur. definita est expresse in Conc. Flor. vt ex dictis constat.

CONCL. IIII.

Sola habitualis intentio, quatenus est simplex actus volitio, non est satis ad sacramenti veritatem, v. g. si contingat ebriosum, dormientem, siue furiosum sacerdotem ex frequenti consuetudine celebrandi vestibus indui sacerdotalibus, & sumpta hostia consecrationis verba proferre, tali verborum prolatione sacramentum minimé conficietur. Ratio est, quia ille actus non est humanus. non enim habet voluntatis libertatem indeterminatā ad operandum, vel nō operandum: atq; ita non erit sufficiens actus ille ad sacramentum conficiendum.

CONCL. V.

Actualis intentio non est ad veritatem sacramenti necessaria. Deus enim ad impossibile, vel quod difficillimum factu est, neminem obligat; est autem ferè impossibile, vt sacramentum administrans semper actualem habeat intentionem.

CONCL. VI.

Sufficit virtualis intentio, v. g. si quis priusquam verba cōsecrationis proferat, voluntatem, siue propositum consecrandi saltem in principio actus habeat, quamuis deinceps distrahatur. Ratio est, quoniam actus ille est humanus à voluntate imperatus, eiusq; imperio elicitus, & inceptus, etsi deinceps minister distractus sit.

CONCL. VII.

Intentio circa finem actus, id est, ut minister intendat suscipienti sacramentum gratiam conferre, non est necessaria. patet. quia Baptismus à pagano collatus est verum sacramentum; & tamen nihil minus intendit; quàm vt baptizato gratia conferatur.

CONCL. VIII.

Intentio explicata huius finis, nempe volo, proferre verba sacramenti eo fine, quem Christus instituit, nō est necessaria.

Nam implicita sufficit ad sacramenti veritatem. patet ex consuetudine Ecclesiæ, que non aliam intentionem necessariam præter hanc postulauit. nihilominus tamen Sacerdos diligenter laborare, vt actualem intentionem habeat, debet, ad sacramentum maiori cum deuotione, & sanctitate, administrandum.

Alexā. 4. p. q. 13. m. 1. art. 3.

Prima diffic. Si hæreticus est Ecclesiæ hostis, quomodo habens eius intentionem baptizabit.

CONCL. I.

Satis est, habeat intentionem faciendi, quod Christus faciendum instituit. nam intentio Christi est Ecclesiæ intentio.

Secunda diffic. Qui ioco baptizaret, conferret ne baptismum?

Ratio dubitandi est, quia videtur intentione carere. Animaduerte, ioco aliquid fit bifariam. Primo, cum quis simulat facere, quod non verè facit: vt qui in comœdia simulat flere, cum intus rideat. secundo cum verè facit, sed inter faciendum iocatur.

CONCL. I.

Qui primo modo ministraret, non vere conficeret, quia caret intentione Ecclesiæ. fingit enim se ministrare cùm non ministret.

CONCL. II.

Qui secundo modo; vt si ludens formam baptismi proferret, vere conficeret. Definita est in cano. Spiritus Sanctus. 1. qō. 1. vbi pueros infidelium quos Anastasius puer ludens baptizauit, verum suscepisse sacramentum decretum est. quia intendebat facere, quod Episcopus Alexandriæ faciebat.

Flo. Theo. q. super 4. lib. sent.

Tertia diffic. Si Sacerdos non habet intentionem baptizandi puerum, cum non recipiat baptismum, si moriatur puer, consequitur ne gratiam?

CONCL. I.

Erroneum est asserere, tuncconsequi gratiam. Ratio est, quia fides Catholica docet sine baptismo, in re, vel in voto saluari neminem, & in hoc casu nullo horum modorū puer est baptizatus.

Quarta diffic. An error personæ baptismum destruat?

CONCL. I.

Si minister ita intendat baptizare, v. g. Petrum; vt mente quemcunque alium excludat, secum dicens, volo petrum solummodo, & non alium ab illo baptizare, si loco Petri collo-

collocaretur Paulus, non esset baptizatus. Ratio est, quia deest intentio.

CONCL. II.

Talis minister suo ministerio abuteretur. debet nanq. prius baptizandum cognoscere, & intentionem ad illum, quicunq; sit, baptizandum dirigere: atq; ita quamvis cognitione speculatiua Petrum à se baptizari putaret; tamen practica cognitione, qua Paulo baptismus applicatur, verè esset baptizatus Paulus. propterea quod in illa practica intentione Ecclesiæ intentio continetur.

Quinta diffic. An intentio mala ministri veritatem sacramenti annullet. *Alexā. vbi supra q 13. m. 1. art. 12. D. Tho. q. 64. ar. vlt.*

Nota intentionem deprauatam ministri posse esse, vel circa essentialia sacramenti: vt si quis baptizet non intentione baptizandi; sed decipiendi baptizatum; vel circa sacramenti abusum; vt si quis conficeret Eucharistiam ad venenum cum illa præbendem; vel baptizaret puellam infidelem ut stuprum committeret.

CONCL. I.

Intentio circa essentialia annullat baptismum, nam deest recta baptizandi intentio, quæ est de sacramenti necessitate.

CONCL. II.

Intentio deprauata circa abusum sacramenti veritatem illius minimè tollit. nihil enim quod sit necessarium ad sacramenti constitutionem desideratur. Minister tamen grauissime peccat. Nam cuius intentio mala, & opus malum. cum dicat Christus dominus. si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. quale est huius ministri opus, non quod ad veritatem sacramenti, vt constat: sed quantum ad ministri meritum. *Math. 6.*

Art. vlt. An Angelus bonus vel malus possit de lege sacramentum administrare? *Alex. Alen. q 16. m. 4. D. Th. q. 64. ar. 7. Ricar. d. 5. art. 2, q. 2. & ar. 4. q 4. reliqui DD. d. 6. Sco. quæst 1. &c.*

CONCL. I.

Angelus de lege in corpore assumpto sacramentum administrare nequaquam potest. dicit enim D. Paul.† omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus cõstituitur, in his, quæ sunt apud Deum. & cum Angelus non sit homo, non erit ex hominibus assumptus &c. *† Hebr. 5.*

CONCL. II.

Quamuis angeli locutio in propria sit, potest tamen Deus cum angelo dispensare: vt sacramenti minister sit. vt enim potentia Dei non est alligata sacramentis quò ad iustificationẽ, ita

ita neque quò ad ministerium, vt non posit Angelos quoque sacramentorum ministros constituere.

CONCL. III.

Si Angelus bonus baptizaret aliquem esset verè baptizatus. hoc enim non præstaret sine imperio & diuina dispensatione quemadmodum aliqua templa diuina dispensatione ab illis constructa fuisse legimus; vt ex historia festi beati Michaelis archangeli constat.

CONCL. IIII.

Si esset malus angelus baptizans, nō censeretur verum esse baptisma. Ratio est.quia cum sit pater mendacij, non illud faceret ex dispensatione & imperio diuino. atq, ita esset Baptismus iterandus.nunquam enim Deus vtitur ad iustificationem tali ministro. Sco. Angelum non de lege vt falsò illi imposuit Caiet. sed ex diuina dispensatione tantum posse Baptismum administrare asseruit, lege Mag. Soto qui Sco. ab impostura Caieta. liberat. hactenus de sacramentis in genere.

Sco. liberatur.

FLORES QVÆSTIONVM Sacramenti Baptismi.

In 4. 1. q. 11. vsque ad 24.

HVius sacramenti disputatio 3.4.5. & 6. d. 4 lib. à Mag. sent. compræhenditur super quem legendi sunt Doctores D. Bona Ric. Sco. Dur. & alij atq; Alex. Alen. & D. Tho. locis infra citandis.

QVAESTIO PRIMA DE ESSENTIALIBVS BAPTISMI.

Art. Primus qua nam est Baptismi definitio?

CONCL. I.

Alex. Alen. to. 4. q. 11. S. Tho. q. 63. ar. 1. & alij DD super 3. d. Mag. qua hac. 1. q. explicatur.

† Ad Eph. c. 5 Ad Titum c. 3. D. August.

BAptismus nō est aqua, sed aquæ vsus vt pote ablutio corporis exterior facta sub certa verborum forma, à Christo instituta quia cum Baptismo baptizatus sanctificetur, & non per aquam, sed per ablutionem (dicente D. Paul.) † mundauit eam. s. Ecclesiam lauacro aquæ &c. & alibi, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis &c. non erit profecto Baptismus aqua sed lauacrum aquæ, quod est aquæ vsus &c. hinc intelligitur locus D. August. accedit verbum ad elementum &c. vbi per elementum aquæ vsum intelligit id est ablutionem corporis &c. vt in concl. habetur.

CONCL. II.

Ablutio actiua ab alio facta (quia nemo potest seipsū baptizare) ad Baptismum requiritur: verum magis de necessitate

Baptismi est passiua ablutio. patet, quia multiplicatis ablutionibus passiuis, tantum multiplicantur baptismata. nam si vnus minister decem homines vnica ablutione, vel aspersione, dicens: ego vos baptizo in nomine patris &c. baptizaret, essent decem Baptismi: & si decem ministri vnum hominem baptizarent, dicentes simul, ego te baptizo vel nos te baptizamus in nomine &c. essent decem ablutiones actiuæ, & vnicus tantum Baptismus: & non ob aliud nisi quia illic essent decem ablutiones passiuæ hic verò vna duntaxat.

Art. II. An naturalis & simplex aqua sit tantum Baptismi materia?

CONCL. I

Ita naturalis aqua est Baptismi materia, vt in alio liquore confici haud possit. definita est expresse in conc. Flor. & Trid. can. 2. de Baptismo Sess. 7. vbi ita legitur. si quis dixerit aquā veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atq; ideo illa verba Domini nostri Iesu Christi; nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, ad Metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

Alex. Ale. q. 13. m. 2. per 3. artic. D. Tho. q. 66. art. 3. DD. d. 3. D. Bona. q. 1. ar. 1 & q. 2. & 2. 2. partis dist. Rica. toto ar. 3. Scot. q. 3. Dur. q. 4.

CONCL. II.

Conuenientius multò in aqua naturali, quàm in alio liquore est Baptismus institutus. propterea quod, aqua naturalis est communis, & ab omnibus tam diuitibus, quàm pauperibus potest comparari.

CONCL. III.

Quando aqua per iuxta positionem alterius corporis, ita, mutatur, vt fluida non sit, Baptismus in ea confici non potest. Ratio est, quia cum Baptismus sit ablutio, si aqua fluere non potest: vt si sit terræ adeò permixta, vt potius lutum, quàm aqua esse videatur, non abluet, atq; ita non erit Baptismi materia.

Hinc in gelu, niue, grandine non potest fieri Baptismus. quia sunt corpora densa, & non fluida, nisi liquefiant. APPEN

Hinc in aqua rosacea, & alijs aquis arte confectis, non potest Baptismus confici. quia vt ex 1. concl. constat, naturalis aqua est baptismi materia. APPEN. 2.

CONCL. IIII.

Si aqua per transmutationem accidentalem alteretur, bene poterit esse baptismi materia, non autē si substantialiter transmutetur. Ratio est, quia si aquæ substantia mutetur iam non est aqua, quæ est huius sacramenti materia.

Hinc in vino lymphato nō potest Baptismus conferri, quia ibi aqua est substantialiter in vinum transmutata. APPEN. 3.

Hinc

APPEN. 4. Hinc in iure carnium poterit confici Baptiſmus, quia ibi ſolum eſt alteratio per iuxtapoſitionem pinguedinis carnis. Dummodò pinguedo tanta non ſit, ut an ibi aqua exiſtat, dubitetur.

Hæreſes. Hinc confutātur varij circa Baptiſmi materiam errores. primus fuit Seleuci, & Hermiæ, & Galatarum, qui aſſeruerunt Baptiſmi materiam eſſe ignem. Secundus Armeniorum affirmantium non ſolam aquam, verū etiam Chriſma eſſe de neceſsitate Baptiſmi: ita vt ſine oleo ſacro nō poſsit fieri Baptiſmus. oleum autem non eſt niſi de neceſsitate præcepti Eccleſiæ atq; ita peccaret miniſter, neceſsitate ſecluſa, illud prætermittens. Tertius Vualdenſium quibus adhæſit Ioannes Vuiclef, hi contra Eccleſiæ præceptū tenuerunt nullo modo oleū eſſe in Baptiſmo miſcendum. Vltimus fuit quorundam qui appellati ſunt flagellantes ſe. hi affirmarunt, aquæ Baptiſmum iam ceſſaſſe, mutatumq; fuiſſe in Baptiſmum ſanguinis. Contra iſtos errores doctiſsime agit Pater à caſtro hæreſi 1. 7. 8. & 12. verbo Baptiſmus contra hæreſes.

Alexand. Alē. q. 13. m. 3. ar. 1. 2. 3. D. Tho. q. 66. ar. 1. D. Bona. & reliqui d. 3. Ric. qō. 3. ar. 2. Sco. qō. 2. Dur. q. 1. D. Bona. q. 1. art. 1. † Matth. vlt.

Art. III. Quænam eſt Baptiſmi forma.

CONCL. I.

Præciſa Baptiſmi forma, ſub qua ablutio Baptiſmi ſacramentum efficitur, eſt, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. patet. Math. vlt. vbi expreſſe legitur. dicitur enim † euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.

Alex. ibidem artic. 1. d. Tho. art. 5. d. Bona. q. 2. Ricar. qō. 2. art. 3.

Prima diffic. Eſt ne actus baptizandi, vt ab Eccleſia Latina, & Græca exprimitur, neceſſario exprimendus?

CONCL. I.

Neceſſaria eſt talis expreſsio actus. definita eſt cap. 1. de Baptiſmo, & eius effectu vbi annullatur Baptiſmus, quia non fuit in eo baptizandi actus expreſſus.

Alex. ibi. art. 2. §. 4. D. Tho. art. 5. Ricar. q. 3. art. 2. Matt. vltimo.

Secunda diffic. An neceſſario exprimenda ſit perſona baptizanda?

CONCLVSIO.

Neceſſario quidem eſt recipiens Baptiſmum exprimendus. patet Matth. vlt. vbi dixit baptizantes eos. ſicut enim hæc verba, ego abſoluo à peccatis, non expreſſa perſona pœnitentis, nihil ſignificarent, ita neque hæc, ego baptizo in nomine Patris &c.

APPEN. *Matt. vltimo.* Hinc nullus poterit ſeipſum baptizare. ideo n. Chriſtus dixit baptizantes eos. nam ſicut in generatione naturali nemo poteſt ſeipſum generare, ita neq; in ſpirituali regeneratione

poterit

poterit quis per Baptismum, qui regeneratio est, seipsum regenerare. Ioan. 3.

Tertia diffic. An sit persona ministri necessario exprimenda? Alexā. ar. 2. § 1. D. Tho. ar. 5. Ric. q. 3. art. 2.

CONCLVSIO.

Necessarium est vt persona ministri exprimatur, vel subintelligatur. Ratio est, quia forma baptismi non solam interiorem ablutionem animæ per gratiam, verum etiam exteriorem corporis, quæ fit à ministro, significat. Dicente D. Aug. Sacerdos tangit corpus, & Christus interius abluit. forma enim Baptismi est intelligenda, secundum propriam suppositionem, qua vsus est Dominus Iesus illam instituens. Cōtra Petilianū lib. 3. c. 49. Matt. vltimo.

Quarta diffic. An sit Baptismus sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & humanitatis Christi? Alex. ar. 2. §. 3. D. Tho. ar. 6. Ricar. ar. 2. q. 3. reliqui ī præsenti ar.

CONCL. I.

Si minister tunc intellligit sacramentum Baptismi habere virtutem ab humanitate Christi Iesu tanquam à causa principali, non baptizat, propterea, quod potius facit sensum hæreticum, quàm sufficientem. quia humanitas Christi non est causa principalis, sed moralis tantum & meritoria: vt supra demonstrauimus. qō. 4. de sacramētis in genere.

CONCL. II.

Si verò intelligat habere virtutem ab humanitate, tanquam à causa meritoria verè conficit. Ratio est, quia illa additio non mutat sensum formæ consuetæ; atque ita sufficiens forma, censetur. Idem iudicium erit, si in fine formę ponatur, & in nomine virginis Mariæ. nam si minister intelligat virginem Mariam Sanctissimam esse causam principalem, non fit Baptismus; si verò causam impetratoriam, verè baptizat. APPEN. Soto d. 1. q. 1 art. 8.

Quinta diffic. An fiat Baptismus sub hac forma, Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & spirati? Alex. ar. 3. §. 1. D. Tho. ar. 6. D. Bon. q. 3. ar. 2. Ricar. qō. 3. art. 2.

Duæ sunt extremæ opiniones. Prima est communis omnium Theologorum Alex. Alen. D. Bona. Sco. & Dur. vbi supra. Altera est glossæ in can. multi sunt de consecra. dist. 4. & caiet. loco citato D. Tho. s. Baptismum sub hac forma conferri posse.

CONCLVSIO.

Sub tali forma neque licet conficere, neque fit Baptismus, probatur. quia nō seruatur sensus formæ à Christo institutæ.

nam

nam pater, & genitor non sunt nomina synonyma non enim significat idem: & eodem modo nam etsi pro materiali significent idē id est eandē personā patris, pœnes formale significatum differunt. formale enim patris est relatio scilicet paternitas constitutiua patris: at verò formale genitoris est notio, id est notionalis actio scilicet generatio atq; ita non significāt eodem modo, quod desideratur, vt formæ consuetæ sensus seruetur.

D.Tho.ar.5.

Sexta diffic. An si quis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris, & Iesu Christi; & Spiritus Sancti, sit verum baptisma?

Duæ sunt opiniones 1. tenet partem aientem. propterea quod nomen Christi Iesu est proprium nomen Filij Dei, & ideo licebit loco Filij proprium nomen collocare. Altera partem negantem defendit quia nō seruatur forma à Christo instituta qui voluit nomen Filij exprimi ad declarandum misterium Sanctissimæ Trinitatis, & processionem à patre quæ nō ita in nomine Christi: sicut in nomine Filij explicatur.

Hæreses.

Duæ fuerunt hæreses circa hunc articulum. vna quorundā Marcitarum, qui baptizabant in nomine ignoti patris omnium & veritate omniū matre, & in eo qui descēdit in Iesu. Secūda hæresis fuit Paulianistarum, & Chataphrigū, qui in nomine Trinitatis minimè baptizabant. hæ autem hæreses cōfutantur in hoc art. Contra quas etiam lege Can. Paulianistæ 1.q.1. & Can quædam autem 24. q. 3. & Can. si verò de cōsecra. d. 4. & patrem à Castro hæresi 2. verbo Baptismus.

Lege DD.ar.3 proximo citatos.

Art. IIII. An in nomine Christi tantum possit Baptismus conferri?

De hoc art. tres fuerunt opiniones. Prima est communis Alex. Alen. art. 2. § 3. D. Tho. art. 6. D. Bona. q. 2. Duran. & aliorum vbi supra, hi tuentur nullum esse Baptismum in nomine Christi duntaxat collatum.

Secunda & contraria opinio est D. Ambrosij quem citat & sequitur Mag. d. 3. cui etiam adhæserunt Caiet. vbi supra, D. Tho. & Adrianus, in materia de Baptismo

Tertia opinio est Ricardi, & Scoti, qui in hac re ancipites esse videntur. ait enim Ricar. Baptismum sub tali forma collatum, esse sub conditione reiterandum.

CONCL. I.

Apostoli baptizabant in nomine Christi tantum. nam ca. 2. 8. 10. in Actibus Apostolorum legitur D. Petrum iussisse quosdam in nomine Domini Iesu Christi baptizari. & confirmatur in Can. à quodam de consecr. dist. 4.

Act. 2. 8. & 10.

CON-

CONCL. II.

Baptizarunt Apostoli prædicto modo ex diuina reuelatione, & dispensatione. quia Apostoli, neque tota Ecclesia potuerunt propria authoritate sacramenta instituere, vel institutas formas mutare: ut ex superioribus constat. quare non baptizassent in nomine Christi, nisi diuina reuelatio & dispensatio interuenisset. quod fuit factum, ut nomen Christi crucifixi amabilissimum hominibus redderetur. *Hæc est communis opinio.*

CONCL. III.

Si Baptismus modò in nomine Christi tantum vel Sanctissimæ Trinitatis implicitè conferatur, non erit sacramentum. Definita est à Gelasio Papa in Canon. si reuera, & in Cano. multi de consecr. d. 4. ubi dicuntur agere contra præceptum Euangelicum sic baptizantes, & baptismum esse reiterandum. & cap. 1. de Baptismo & eius effectu. ubi utraq. pars conclusionis expresè definita habetur.

CONCL. IIII.

Baptismus in nomine unius personæ tantum collatus non est verum sacramentum. constat ex definitione Zachariæ Papæ Can. in Synodo Anglorum de consecr. d. 4. ubi dicitur perfectum christianum non esse qui non fuerit baptizatus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Christus enim Matth. vltimo instituens formam tres diuinas personas expressit. *Matth. vltimo.*

Art. V. An requiratur immersio baptisati in aqua?

CONCLVSIO.

Baptismus collatus per effusionem & aspersionem aquæ est verum sacramentum. constat ex 2. & 4. cap. actuum, ubi legitur Apostolos una die baptizasse 3000. hominum, & die altera 5000. & cum hi essent iam adulti, non poterant ab Apostolis præ corporis magnitudine in aquam immergi, & extrahi. unde fit perspicuum per aspersionem hyssopo factã, vel per infusionem aquæ super faciem, aut caput. tot hominum millia una die Baptismum recepisse. *Alex. q. 13. toto m. 4. D. Tho. q. 66. ar. 7. & 8. D. Bona. art. 2 in 3. d. & reliqui ibid. Ric. ar. 4 q. 3. Scot. d. 6. q. 3.*

Hinc si quis alium per aspersionem, vel infusionem, siue immersionem baptizet & non dicat, Ego te baptizo, sed Ego te abstergo, infundo, aut immergo, dummodo verbum modo baptizandi respondeat; ut si dicat, Ego te aspergo in nomine Patris &c. erit verum sacramentum. patet, quia ablutio, quæ est de necessitate Baptismi, potest uno horum trium modorum fieri. APPEN. 1.

Si verbum non respondeat modo baptizandi; ut si baptizans per aspersionem dicat, Ego te immergo in nomine Patris &c. non erit sacramentum. Ratio est, quia talis propositio APPEN. 2.

est falsa, forma vero sacramenti est propositio vera.

APPEN. 3. Soto dist. 1. q. 1 art. 8. Si quis per verbũ spergo, immergo, &c. prætermisso verbo baptizo, conferat Baptismum, veniali culpa non carebit. & tantum inde posset scandalum oriri, vt mortaliter peccaret.

Prima diffic. An si minima pars corporis baptizetur, sit verus Baptismus?

Duæ sunt opiniones; vna affirmans; altera negãs D. Tho. q. 65. art. 11. ad 4. & Ric. vbi supra.

CONCLVSIO.

Si aliqua paars minima corporis baptizaretur, esset Baptismus sub conditione reiterandus: si autem pars principalior vt caput, siue tergum, non esset reiterandus. probatur: quia quando est opinionum varietas, tutior est amplectenda iuxta celebrem illam iuris regulam: in rebus dubiis pars certior tenenda est. *Hæc est Ricar.*

APPEN. 1 Si capilli tantum abluantur, iterandus erit Baptismus. Ratio est, quia vt sit Baptismus integralis saltem pars in qua est anima tota abluenda est; capilli vero non sunt partes integrales, cum partes integrales viuant anima rationali, & per illas aliquis maior, aut minor esse dicatur quorum quidem neutrũ capillis quadrat.

APPEN. 2. Si aqua solum tangat vestes, & non corpus, non erit Baptismus, cõstat cum ex proxima concl. tum ex Baptismi definitione qua dicitur Baptismus ablutio corporis exterior facta sub certa verborum forma.

Secũda diffic. An sit trina immersio de necessitate Baptismi?

CONCL. I.

Non est de necessitate ita quod si non fiat trina, vel vna non sit verus Baptismus. definita est in Can. de trina de consecr. d. 4.

CONCL. II.

Seruanda tamen est Ecclesiæ matris consuetudo. definita est in Conc. Tole. 4. cap. 5.

APPEN. Hinc colligitur, trinam, vel vnam, immersionem de necessitate præcepti esse quo ad baptizantẽ: ita vt si non semel immergeret, sed ter, vbi semel immergendi esset consuetudo; Baptismum quidem conficeret, sed ita conficiendo: grauiter peccaret.

DVBIVM.

Quorsum igitur Ecclesia; vt trina fieret immersio, in Cano. trina, & in Cano. eodem modo de consecr. d. 4. instituit?

Respondeo duabus de causis. Prima vt hæresis Arrianorum confutaretur, qui non Trinitatis sanctissimæ nomine, &

trina

trina immersione (quia male de sanctissima Trinitate sentiebant) sed in nomine mortis Christi, duntaxat baptizabant. putabant enim Christum Iesum purum esse hominem, neque Dei filium, nisi propter meritum quod præcipue in morte habuit: vt constat ex Cano. si quis præsbyter de consecr. d. 4. Secunda ad confutandam hæresim Donatistarum, & eorum, qui putabãt tres esse Deos. ideo in Conc. Tolet. citato, quod refertur Cano. propter vitãdum de consecr. d. 4. definitũ fuit, vt vna tantum immersione Baptismus conficeretur.

Hæresis Arrianorum.

Hæresis Donatistarum.

Art. VI. An sint tria genera baptismi, fluminis, sanguinis & pœnitentiæ, & vnumquodq. illorum sit sacramẽtum?

CONCL. I.

Tria sunt baptismata. Vnũ aquæ, seu fluminis: alterũ pœnitẽtiæ, seu flaminis: vt contritio, quæ oritur ex flãma charitatis in Deũ. Tertiũ sanguinis, quo martyr proprio sanguine abluitur. probatur authoritate D. Aug. & habetur de consec. d. 4. cap. Baptismi vicẽ: vbi horũ triũ baptismatũ expressè meminit

Alex. q. 22. m. 1. D. Tho. vbi supra ar. 11. 12. D. Bona. toto artic. 1. Ric. toto ar. 2. & reliqui dist. 4.

CONCL. II.

Inter hæc tria baptismata, solum aquæ baptisma est sacramentum. solum enim confert gratiam ex opere operato. Solum hoc refertur inter septem Ecclesiæ sacramẽta solum requirit determinatam materiam & formam, & ministri intentionem, quæ de necessitate sacramenti esse dicuntur vt ex superioribus constat & solum est ordinarium remedium ad originalis peccati ablutionem.

CONCL. III.

Contritio, & Martyrium, cum in illis, qui aquæ Baptismũ non recipiunt, illius vicem gerant, Baptismata appellantur. patet. quia per hæc duo baptisma. aquæ effectus, remissio scilicet originalis culpæ, & actualis comparatur. confirmatur exẽplo Cornelij, qui Act. 11. censebatur iustus per contritionem ante Baptismum, & ex Can. Baptismi vicem citato & de martyribus Apoca. 7. legitur hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine agni vbi martyrium, ablutio; siue lotio nominatur quemadmodũ & apud Isaiam dicitur si abluerit Dominus sordes filiarum Sion &c. vbi contritio ablutio nuncupatur.

Act. 11.

Apoc. 7.

Isaias cap. 4.

CONCL. IIII.

Omnes lotiones, & ablutiones veteris legis, & omnes figuræ Baptismi, nunc baptismata figuralia appellantur constat ex D. Paul 1. ad Corin. 10. nolumus vos ignorare fratres quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube,

1. Corinth. 10.

& in mari quo in loco per Moysen Ecclesiæ minister figuratur, per nubem Spiritus Sanctus, cuius gratia datur Baptismũ recipientibus, intelligitur, & per mare aqua, quæ est Baptismi materia, indicatur.

Alex. m. 4. art. 4. D. Thõ. vbi supra. D. Bona d. 6. q. 2 art. 1. reliqui. d. 4.

Prima diffic. Qui baptizatur sanguine proprio per Baptismum, cum iam sit iustificatus, si super vixerit, erit ne baptismate aquæ baptizandus?

CONCLVSIO.

ERIT quidem Baptizandus. Ratio est, quia Baptismus aquæ est necessarius, vel in re, vel in voto, etiam iustificatis: iuxta illud Ioannis 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c. & constat exẽplo Cornelij iusti, qui fuit nihilominus baptizatus.

Ioan. 3.

APPEN.

Hinc collige Baptismum flaminis, & sanguinis simpliciter non sufficere: sed secundum quid, id est, non habita Baptismi aquæ copia.

Secunda diffic. An Baptismus sanguinis, aquæ, vel flaminis, Baptismo præstet?

DVAE sunt de hac difficultate opiniones 1. Alex. ar. 5. m. 4. D. Bona. & Dur. locis citatis. hi defendunt hæc baptismata habere se sicut excedens & excessum. Altera opinio est, D. Tho. art. 2. qui affirmat quantum ad effectum & modum efficiendi prævalere Baptismũ flaminis Baptismo aquæ, & vtroque esse præstantius martyrium.

CONCL. I.

BAPTISMA sanguinis quo ad gratiæ infusionem reliquis duobus perfectius esse censetur. definita est ab Ecclesia in ca. cum Marthæ de celebrat. Missa. vbi Ecclesia prohibet orare pro martyre, nam dicit iniuriam facere martyri qui pro illo orat. nõ autem prohibet pro baptizatis aqua & flamine orare, quare maiorem gratiam infundet baptisma sanguinis, maiorisque meriti iudicabitur.

CONCL. II.

MAIORIS meriti est Baptismus flaminis quã aquæ. Ratio est, quia in Baptismo aquæ datur æqualis gratia paruulis, & adultis, vt alibi diximus. at vero: gratia quæ datur per Baptismum flaminis respondet deuotioni suscipientis, vel operãtis, atque ita iuxta maiorẽ deuotionem maior gratia dabitur; & per consequens, erit maioris meriti flaminis Baptismus.

CONCL. III.

Alex. q. 23. m. 7. D. Thom. q. 66. art. 9. D. Bona.

Si modũ causandi gratiã cõsideremus, Baptismus sanguinis Baptismo flaminis, & flaminis Baptismus aquæ Baptismo præstabit. Ratio est, quia perfectiorem modum operandi habe

habet Baptismus sanguinis, quam flaminis: & flaminis quam aquæ. nam baptismus sanguinis operatur per Sanguinis effusionem, flaminis per dolorem, & amorem erga Deum, aquæ verò baptismus per solam exteriorem ablutionem. d.6.q. 6. Ricar. eadẽ dist. q.1.ar.4.Scot ibidẽ. q.7. 8.

Art. VII. An Baptismus reiterari possit? Duran. ibidẽ

CONCLVSIO. Vega lib.2 super Conc.Trid cap.10.Castro Verbo Baptis. hæresi 6.

Baptismus iterari non potest, definita est in multis Concil. Cartagin. Vienen. Flor. & Trident. Sess. 6. cap.9. de sacramentis in genere, & ibidem cap. 11. de Baptismo, & in multis textibus de consecr. d. 4.

Hinc iure optimo ab Ecclesia irregularitatis pœna scienter rebaptizati, & rebaptizantes puniũtur, vt ex Cano. eos quos de consecr. d. 4. constat. Quid si vterque ius canonicũ ignoret? Respon. quando irregularitas, vel aliqua pœna canonica propter factum iure diuino prohibitum imponitur, etiam ab ignorantibus incurritur. APPEN. Dubium 1. Scoti est & ex communi sententia. d.6. q.8.

Quid si aliquis dormiens, siue ignorans rebaptizetur? Resp. nequaquam efficitur irregularis. nam tex. in cano. qui bis. de cons. d. 4. vbi dicitur: bis ignoranter baptizatos ordinari non posse, quem in suum fauorem adducunt. D. Antonius. 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 12. & Palud. d. 16. q. 4. nullã habet vim. quia non est alicuius põtificis, aut Conc. sed eiusdem doctoris. Dubium 2. Lege Scotũ. d. 6. q. 8.

Quando dubitatur, sit nè aliquis baptizatus, quanta probabilitas ad non rebaptizandum sufficiet? Resp. si aliquis baptizauerit paruulum, antequam ad Ecclesiam ducatur, tenetur Curatus inquirere, sub qua forma, & intentione baptizatus sit, et si ritè baptizatum inuenerit, iterum etiam sub conditione baptizans irregularis efficietur. Constat ex cap. de quibus extra: de Baptismo, & eius effectu. vbi definitum est solum licere sub conditione baptizare, quando dubium fuerit, sit ne paruulus, an non baptizatus. Dubium 3.

Hinc colligitur, ineptissimè facere Curatos paruulos rebaptizantes, quando de priori Baptismo non est dubium. APPEN. I.

Hinc quoque colligere licet, adultos scrupulosos natos parentibus fidelibus non esse sub conditione rebaptizãdos quia temerarium est illud in dubium vertere, cum nullam habeãt dubitandi occasionem. APPEN.

Si infidelis qui nil de Euangelio audiuit, amens fiat, & tota illa prouincia, ad fidem Christi conuertatur, erit ne baptizandus? Dubium.

CONCL. II.

Nequaquam est baptizandus, nemo enim nisi volens de statu vitæ suæ disponere iudicatur. Soto d.1.q.vnica.ar.12.

Secunda diffic. Quando puer secrete baptizatus est, sunt ne benedictiones Ecclesiæ, & cætera cærimoniæ repetendæ?

CONCL. I.

Sunt quidem. Ratio est, quia istæ solemnitates iuuant, vt puer gratia baptismali, postea melius vtatur. Quid si repetitis solemnitatibus intelligat sacerdos puerum non esse baptizatum?

Dubium.

CONCL. II.

Debet denuò solemniter illum baptizare. Ratio est, quia solemnitates non sunt de essentia baptismi, atque ita poterunt reiterari.

Hæreses.

Hinc per primã concl. euulsæ manent hæreses multorum Anabaptistarum, qualis fuit Donatistarũ hæresis, qui rebaptizabant ab Ecclesia Romana baptizatos, asserentes apud illos tantum esse verum baptismum. & error Cypriani, & aliorum Aphricæ Episcoporum, qui definierunt odio aduersus hæreticos ducti; baptizatos ab hæreticis fore rebaptizandos: qui quoniam pertinaciter non asseruerunt, hæretici non cẽsentur. fuit etiam error cuiusdã Balthassaris, qui paruulos non fuisse verè baptizatos asserens, homines rebaptizandos esse docebat.

Alex. q. 12. m 3. D. Thom. q. 66. ar. 2. & 1. 2. q. 103. ar. 4. D. Bona. dist. 3. art. 3. Ric. art. vlt. Scoti. q. 4. Dur. eadem d. 3. † Ioan. 1.

Art. VIII. An Baptismus ab eius institutione ante mortem Christi cœperit obligare?

CONCL. I.

Baptismus ante mortem Christi Iesu virtutem regenerandi id est, conferendi gratiam, & remittendi peccata habuit. patet Ioan. 1. † qui me misit baptizare dixit mihi; super quem videris Spiritum descendentem & manentem, ipse est, qui baptizat in Spiritu Sancto id est instituit Baptismum habentem vim regenerandi, & sanandi. nam baptizare in Spiritu Sancto est talem Baptismum conferre.

CONCL. II.

Baptismus, ante mortem Christi vim obligandi non habuit, Ratio est, quia numquam lex vetus cucurrit cum Euangelica quo ad obligationem. lex autem vetus nõ fuit euacuata, quo ad obligationem ante Christi mortem. non enim euacuatur vmbra nisi adueniente veritate. & Hæbr. 10. lex fuit vmbra futurorum bonorum id est mortis Christi &c.

Hæbre. 10.

Prima diffic. Cur igitur si habuit vim sanandi non etiam obligandi?

CONCLVSIO.

Nulla lex obligat, donec sit sufficienter promulgata. patet ex Can. in istis, d. 4. vbi dicitur leges tunc instituuntur, quã-

do

do promulgantur quamobrem si non sit sufficiẽter promulgata, non erit ita instituta vt vim obligandi habeat. vt cõstat ex cap. cognoscentes. de constitutionibus extra; vbi habetur ignorantes leges nullum incurrere detrimentum.

Secũda diffic. Quãdo igitur lex erit sufficiẽter promulgata?

Nota, quod lex aut irritat factum, vt si conderetur lex dicẽs, omnes cõtractus cẽsus deinceps sint nulli, aut lex nõ irritat factum; sed tantum prohibet, vel præcipit aliquã actionem; vt si lex aliqua noua diceret; post hac omnes Quarta feria à carnibus abstineant.

CONCLVSIO.

Quando lex irritat factum, satis est, vt in curia principis promulgetur: vt tale factum sit irritum, etiam ab ignorante legem inuincibiliter. probatur ex cap. venientes. extra de iure iurando. vbi dicitur in omni iuramento intelligendum esse semper ius superiorum exceptum, si illud non irritauerit ergo à simili dicendum est de omni contractu, quem potest princeps impedire, ne fiat, & factum irritare. hæc est communis sententia circa legem non irritantem factum, sed prohibentem, &c.

Flo. Theo. q. super 4. lib. sent.

Sunt duæ opiniones, 1. Sco. vbi suprà, & quorundam Canonistarum. vt Abbatis Panor. in cap. cognoscentes supra citato, qui tenent debere publicari, cum quadam solemnitate id est quarũdam personarum citatione &c. etiam in singulis ciuitatibus Diœcesum, vt subditos obliget, & sufficienter promulgata censeatur.

Contraria opinio, quam sequitur Soto. lib. 1. de Iustitia & iure q. 1. art. 4. ait, quod facta talis legis promulgatione in curia principis, vel in ciuitate Metropolitana regni obligantur omnes ad illius obseruantiam; excusantur tamen à peccato ignorantes illam inuincibiliter; vt sunt, qui à curia remoti viuunt itaq. prima opinio ignorantes inuincibiliter nõ obligat, secunda obligat, & per ignorantiam excusat à peccato.

CONCL. II.

Promulgatio sufficiens, & solemnis talis legis debet fieri, etiam in singulis ciuitatibus diœcesum, vt obliget subditos. probatur. quia lex iusta neminem obligat ad impossibile. vnde cum impossibile erit sit ignoranties, legem inuincibiliter illã seruare, impossibile erit ad illã obligari. Secũdo quia lex est forma, & regula viuendi subditis imposita; & cum impossibile sit talem legem esse formam viuendi ignorantibus eam inuincibiliter, impossibile profecto erit ignorantes inuincibiliter tali lege obligari.

APPEN. I. Hinc ſequitur. Primo quod quamuis in legis promulgatione dicatur, præcipimus uniuerſis ſub noſtra ditione &c. intelligitur, poſtquam ad eorum notitiam talis lex peruenerit, alioquin eſſet iniuſta.nam; vt conſtat, ad impoſſibile obligaret.verum obiicies. ſequeretur inde principem non imponere legem; ſed legis promulgatorem. Reſpondeo: nō valet ratio. nam Apoſtoli fuerunt totius legis Euangelicæ per orbem promulgatores: & tamen nemo hactenus dixit, fuiſſe legis authores.

APPEN. 2. Hinc ignorantes inuincibiliter legem: vt habetur in con. Sco. dicuntur excuſari à legis obſeruantia; non quòd teneantur ad illam: ſed potius, quia non tenentur. patet exemplo legis ieiunij, à qua dicuntur excuſari qui non dum nati ſunt 12. annos. propterea quòd ad illam minimè tenentur.

Art. IX. Quando ceſſarunt legalia?

Alex. q. 6. m. 5. & q͞o. 7. m. 9. D. Tho. D. Bona. & Ric. vbi ſuprà.

De ceſſatione legalium Tres ſunt opiniones. Prima D. Hieronymi: & continetur his tribus propoſitionibus. Prima à lege data per Moyſen in monte Sinay vſque ad mortem Chriſti; legalia fuerunt neceſſaria quantum ad obligationem præcepti, & vtilia quātum ad obſeruantiam. quia exiſtenti in gratia erat talis obſeruatio meritoria.

Secunda propoſitio. ſtatim à morte Chriſti legalia fuerūt mortua quo ad obligationem, & ſignificationem, & mortifera, quia peccabant Mortaliter legalia obſeruantes, & erant hæretici. nam per illa ſignificabant Ieſum nondum veniſſe. legalia enim Ieſum venturum figurabant.

Tertia propoſitio. Apoſtoli poſt mortē Ieſu nō verè vtebātur legalibus; ſed pia quadā ſimulatione, ſe vti illis fingebant.

Secunda opinio eſt D, Auguſt. cuius ſententia tribus propoſitionibus compræhenditur.

Prima; à Moyſe vſque ad mortē Chriſti legalia fuerunt neceſſaria, erant enim ſub præcepto.

Secunda propoſitio, à morte Chriſti vſque ad ſufficientem Euangelij promulgationem, nequefuerunt neceſſaria (quia neque fuerunt ſub præcepto) neque vtilia præſertim circumciſio. quoniam non erat ſignum gratiæ, erant tamen conuerſis ex iudaiſmo licita.

Tertia propoſitio. à ſufficiēti Euangelij promulgatione vſque ad finem mundi ſunt, & illicita, & mortifera. hanc opinionem ſequuntur D. Tho. Ric. & Dur. vbi ſupra.

Tertia opinio eſt Sco. vbi ſuprà art. 2. & poteſt tribus propoſitionibus concludi.

Prima; circūciſio, ex quo fuit data Abrahę vſq; Baptiſmi inſtitutionē, fuit ex eiꝰ familia deſcēdētibus vtilis, & neceſſaria.

Secunda; ab institutione Baptismi vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem factam post mortem Christi: neq; circuncisio, neque Baptismus fuerunt necessaria, benè tamen ad salutem vtilia, quia conferebant gratiam suscipienti. poterant enim homines saluari vel per Baptismum, vel per circuncisionem. in hac parte discedit à D. Tho. dicente statim à morte Christi circuncisionē non fuisse vtilem. quia non erat signum gratiæ, bene tamen licitam.

Tertia à sufficienti Euangelij promulgatione circuncisio neq; vtilis, neq; necessaria erat. fuit tamen licita multo etiam post mortem Christi; vt synagoga cum honore sepeliretur. neque in hac re consentit cum D. Tho. dicente à sufficienti Euangelij promulgatione legalia fuisse mortifera.

CONCL. I.

Quantū ad figuralem significationem legalia omnia statim à morte Christi cessauerunt; ita vt verè fuerint mortua. patet. quia nil significabant. legalia enim erāt figura gratiæ cōferēdæ per passionem Christi exhibenda; vt in Con. Flor. habetur & adueniente veritate, cessat figura. vnde Lucæ 18. ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia &c. *Lucæ* 18.

Hinc obseruatio legalium in sensu figurali tunc fuit lethalis habentibus notitiam prædicationis, & miraculorum Christi. patet. erant enim hæretici seruantes illa in sensu figurali. quia negabant Christi aduentum, & mortem, nostramq. redemptionē. nam vt fuisset tunc hæreticus dicens verbotenus Christum nondum venisse ita etiā qui illum facto aliquo negasset. APPEN. I.

Hinc, qui longè aberant à Hierosolymis ignorantes inuincibiliter aduentum, mortem, & miracula Christi &c. & protestantes fidem venturi in esu agni paschalis, quemmadmodum in sacra scriptura continebatur, neq; peccabant mortaliter, neq; hæretici iudicandi erant. Ratio est, quia scriptura sacra tunc Christnm venisse protestabatur; atq; ita referentes se ad illam idem confitebantur: & ideò minimè peccabant. APPEN. 2.

CONCL. II.

In sensu literali legalia fuerunt à morte Iesu vsq; ad sufficientem euangelij promulgationem non quidem gentibus, sed iudæis obligatoria. Ratio est, quia ante promulgationē euangelij non constabat iudæis de reuocatione legalium quantum ad sensum litteralem. & lex semper obligat, donec de eius reuocatione constet, deinde sicut non incipit obligare lex aliqua nisi post sufficientem eius promulgationem, ita neq; desinit obligare, nisi post sufficientem reuocationis promulgationem. tū etiam. quia nō magis cōstabat iudæis de reuocatione legaliū post mortē Iesu ante promulgationem euangelij,

quam illo viuente; ipse autem docebat eos legalium obseruantiam, (fuit enim circuncisus, oblatus in templo quinq; siclis redemptus) quare in sensu litterali tenebantur legalia seruare. non enim per sufficientem promulgationem constabat illis reuocatio.

CONCL. III.

Conuersis à circunsione post sufficientem euangelij promulgationem legalium obseruatio in sensu litterali fuit tantum licita vsq; ad tempus per Apostolos, vel per Ecclesiam determinatum. constat ex multis locis actorum. nam D. Paul. circuncidit Timotheum, & rasit caput iuxta ritum nazaræorum. & secundum legis ritum ingressus fuit templum, & purificatus. & eodem loco habetur, credentes ex circuncisione fuisse legis ęmulatores id est ex nimio zelo obseruatores & tamen neq; D. Paul. nec alij peccarunt. quia spem salutis in eorum obseruantia non collocabant. idq. vt synagoga cum honore sepeliretur, solummodò faciebant.

cap. 16. cap. 18. cap. 21.

APPEN. 3. Hinc tempore, quo euangelium promulgabatur, circuncisio licita quidem erat, non tamen vtilis, vel necessaria. confirmatur ijsdem rationibus.

CONCL. IIII.

Ex quo Abraham circuncisionem accepit usq; ad Baptismi institutionem ante mortem Christi Iesu circuncisio descentidebus ex familia Abrahæ necessaria adultis simpliciter fuit, paruulis vero post octauum diem. quia ante diem actauum poterat illis per remedium legis naturæ subueniri. constat. Gen. cap. 17. vbi ita legitur: masculus, cuius caro præputij nō fuerit circuncisa, delebitur illius anima de populo meo.

Supr. de sacramētis ī genere. Gen. 17.

CONCL. V.

Ab institutione Baptismi vsq; ad sufficientem euangelij promulgationem factum post Iesu mortem fuit circuncisio adultis iudæis necessaria, sicut ante Baptismi institutionem. Ratio est. quia subditus tenetur legem seruare; donec de illius reuocatione sibi constet. circuncisionis verò reuocatio non constitit: nisi post euangelij sufficientem promulgationem.

Vide rationes secundæ cōclusionis.

CONCL. VI.

Quamuis paruuli salutem per Baptismum ab eius institutione usq; ad sufficientem euangelij promulgationem consequebantur, parentes tamē paruulos non circuncidentes mortaliter peccabant. Ratio est, non quòd obligarentur propter paruulorum iustificationem (iam enim per Baptismum à peccato originali mundati erant) sed quia subditi tenentur seruare legem, donec constet de eius reuocatione.

Hæc concl. videtur esse contra Sco. vbi supra, non tamen est non

est non enim asserendo, sed dubitando loquitur, nam ait; videtur quod non tenebantur parentes prouidere paruulo, de alio remedio sunt enim notanda Sco. verba, dicit enim ante octauum diem potuit baptizare paruulum. ubi apertissime iudicat post octauum diem non sufficere Baptismum sed necessariam esse circunsionem.

CONCL. VII.

Per promulgationem euangelij Hierosolymus factam fuit in illa diœcesi reuocata circuncisio, idem iudicium est de alijs diœcesibus. quia in illis tantum fuit reuocata in quarum metropoli fuit euangelium solemniter promulgatum. (Ratio est, quia nemo obligatur ad impossibile) & per promulgationem euangelij in alio regno vel diœcesi factam plerunq. erat impossibile euangelij notitiam habere; vt si in insula v.g. Baleari esset euangelium promulgatum, & non liceret nauigare præ piratarum multitudine: & cum non tenerentur tunc euangelium seruare iudæi Valentiæ existentes, ad circuncisionem obseruandam obligabantur.

Hinc si aliquis diœcesis Cæsaraugustanæ, esset in diœcesi & ciuitate Valentina, audiretq. alicuius legis canonicæ solemnem promulgationem, teneretur illam obseruare, etiam si Cæsaraugustæ non esset solemniter promulgata. 4. APPEN. *notanda.*

CONCL. VIII.

Post factam promulgationem euangelij per totum orbem; vt modo est, circuncisio, quacunque intentione fiat, erit mortifera. ait enim D. Paul. ad Gala. 5. si circuncidimini, Christus minus proderit estq. definita con. in cap. maiores extra de Baptismo, & in Conc. Flor. sub Eugenio IIII. vbi habetur post sufficientem euangelij promulgationem legalia omnia mortifera esse. *Galat* 5. *Soto de iustitia & iure, lib. 2. q. 5. ar. vltimo*

Hinc colligitur censendam esse improbabilem Caiet. opinionem asserentis, quod si aliquis circuncideret se hac intentione, vt Christum imitaretur, non peccaret. APPEN. 5. *Caiet. Cauē. 3. p. q. 37. ar. 1. Alex. m. 5. ar. 4. D. Bona. & Sco. vbi supra reliqui etiā d. 3. Ricar. ar. 5. per totum.*

Prima diffic. Quando, & vbi Baptismus cœpit esse sub præcepto?

CONCL. I.

Cæpit quidem, quam primum, fuit solemniter promulgatus. Ratio est, quia nulla lex obligat, donec sit sufficienter promulgata; atq; ita Baptismus, cū sit lex necessitatem imponens: vt cōstat Marc. vltimo qui crediderit, & baptizatus fuerit &c. non obligauit, donec sufficienter promulgatus fuit. *Marc. vltimo.*

CONCL. II.

Non cœpit Baptismi obligatio in toto orbe à die qua fuit

Hiero-

Scote ſt. Hieroſolymis promulgatus. nam vt lex humana promulgata in vno Hiſpaniarum regno, non cenſetur in omnibus regnis inuictiſsimo Regi noſtro Philippo ſubiectis ſufficienter promulgata ita neq; lex diuina de Baptiſmo Hieroſolymis tantũ manifeſtata, in toto orbe promulgata cenſebatur.

CONCL. III.

Baptiſmus cœpit eſſe ſub præcepto in toto orbe, quando fuit facta promulgatio in præcipuis orbis ciuitatibus. Ratio eſt, quia facta hac promulgatione potuit omnibus innoteſcere. tunc enim dicitur lex ſufficienter promulgata quando notitia illius poteſt ad omnium aures peruenire. factaq. eſt huiuſmodi promulgatio aut 30. anno à die pentecoſtes; vt author eſt D. Chryſoſtomus homilia 46. ſuper Matth.

CONCL. IIII.

Facta euangelij promulgatione poſſunt multi inuincibiliter illud ignorare. patet exemplo Indorum qui ante quã Hiſpani ad eos perueniſſent euangelium inuincibiliter ignorare dicebantur.

DD. vbi ſupra. *Secunda diffic. Vt Baptiſmus ſufficienter & ſolemniter promulgaretur; quæ deſiderabantur?*

CONCLVSIO.

Prædicatio, & miracula. Ratio eſt, quia tunc ſolemniter euangelium promulgatur, quando, eo modo proponitur; quo fidem faciat, & audientes credere teneantur; & qui nil de Ieſu audierant ſine miraculis ad credendum minime obligabãtur. vt conſtat Ioan. 15. ſi non veniſſem, & locutus non fuiſſem; &c. peccatum non haberent ſcilicet infidelitatis; vt D. Augu. declarat.

Ioan. 15.
D. Auguſt.

Scot. diſt. 4. q. 6. D. Th. q. 68. ar. 1. Vega li. 5. ſuper Conc. Trid. cap. 12.

Tertia diffic. An euangelio ſufficienter promulgato, ſi adultus per contritionem, & Baptiſmum in voto iuſtificatus, Baptiſmum contemneret, ſolo Baptiſmi contemptu damnaretur?

CONCLVSIO.

Baptiſmus ita eſt in præcepto, vt ſi adultus nullum aliud haberet peccatum, præter Baptiſmi contemptum, in æternum damnaretur, patet exemplo Nicodemi Ioan. 3. qui in fide & charitate acceſsit ad Ieſum, & tamen dixit ille niſi quis renatus fuerit. &c. & exemplo Cornelij, de quo ait D. Auguſt. ſi iam Spiritu Sancto accepto Cornelius baptizari noluiſſet tãti ſacramenti reus fieret, & refertur de conſecr. d. 4. can. non dubitando.

Ioan. 3.

De ceſſatione legalium.

Art. X. An peccauerit D. Petrus ſeruans legalia, quando fuit à D. Paulo repræhenſus?

Duæ

Duæ sunt opiniones. Prima D. Hierony. qui secutus est D. Chrisostomum, & alios græcos doctores, & habetur super epistolam ad Gala. 2. in locum cum venisset Antiochiam, &c. & in epistola 11. quæ habetur in secundo tomo D. August. scilicet Sanctum Petrum non peccasse, sequuntur autem D. Hiero. Adrian. in 4. q. 1. & Ioan. Maio. d. 3. q. 1. 4. *Galat. 2.*

Secunda opinio fuit D. August. asserentis D. Petrum peccasse.

CONCL. I.

Beatus Petrus seruando legalia Antiochiæ coram Christianis ex gentilitate conuersis peccauit. probatur quia illo facto conuersi ex gentilitate fuerunt scandalizati, credentes legalia esse ad salutem necessaria. dixit enim B. Paulus, D. Petro; tuo facto cogis gentes iudaizare; quia non ambulasti iuxta veritatem euangelicam. *Galat. 2.*

CONCL. II.

Peccatum D. Petri fuit veniale. Ratio est, quia factum D. Petri fuit licitum, & ipse nolebat scandalizare, neque inde scandalum oriri existimabat, & tunc quidem scandalum passiuum est peccatum mor. quando scandali conscius non illud euitat.

Art. Vlt. An præceptum Baptismi sit ad salutem necessarium?

Alex. q 22. m. 4. ar. 5. D. Tho. q. 68. ar. 2. D. Bona. vbi sup. Ricar. d. 4. ar. 1. q. 3. Sco. d. 3. q. 4 et d. 4. Vega lib. 5. super Concil. Triden. cap. vltimo.

CONCL. I.

Post promulgationem Euangelij in toto orbe factam absque Baptismo, aut in re; aut in voto, saluari nemo potest. ita enim definitum est in Conc. Trid. Sess. 6. cap. 4. his verbis. translatio à statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statu gratiæ, & adoptionis filiorum Dei post euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis aut eius voto fieri non potest &c.

CONCL. II.

Non sufficit paruulis ad salutem parentum benedictio. quando deest aqua, qua baptizētur. Ratio est, quia tunc benedictio, & preces parentum, essent sacramentum: cum puer per illas ex opero operato iustificaretur; & ita essent plusquam septem sacramenta, quod est erroneum.

CONCL. III.

Paruuli possunt saluari per solum martyrium, quamuis nō recipiant Baptismi sacramentum. patet exemplo sanctorum innocentium; qui ab Herode in odium Christi fuerunt occisi, quorum martyrium Ecclesia colit & tamen credendum est quosdam illorum circuncisos haud fuisse.

Primùm

Hæreses.

Primùm fuit error contra con. primam aſſerentium tantam eſſe Baptiſmi neceſsitatem; vt adultus ſine Baptiſmo in re nullo modo poſsit ſaluari. Secundo fuit error. Ioan. Vuicleph. Caiet. & Gerſon. qui aſſeruerunt paruulos abſq; Baptiſmo aquæ poſſe ſaluari, dixit enim Caiet. vbi ſupra D. Tho. ſi paruulus deficiēte aqua ſignetur ſigno Crucis, ſaluabitur abſque Baptiſmo; lege Vegam & Caſtro hæreſi 9. vbi ſupra.

Caiet. & Gerſon caute legendi.

QVAESTIO SECVNDA DE RECIPIENTIBVS BAPTISMVM.

Hac q. d. 4. Mag. explicabitur.

Alex. q. 17. m. 4. D. Thom. q. 68. art. 9. reliqui. d. 4. D. Bona. & Ri. art. 1. q. 1. & diſt. 6. ar. 2. q. 2. Scoti q. 1. 2. Dur. quæſt. 5.

Art. Primus. An pueri ante vſum rationis ſint baptizandi?

CONCL. I.

PAruuli in remedium contra originale peccatum baptizandi ſunt. hæc con. eſt definita in multis Concilijs, & tandem in Trid. Seſſ. 6. cap. 4. & Seſſ. 7. de Baptiſmo cap. 12 13. & 14. lege omnino Caſtrum vbi ſupra, qui concilia citat, & innumeras ſanctorum authoritates affert.

CONCL. II.

Paruuli baptizati cum ad rationis vſum peruenerint legem Chriſti, quam in Baptiſmo receperunt, obſeruare tenentur. expreſſe eſt definita in Conc. Trid. Seſſ. 7. de Baptiſmo Can. 7. 8 & 13.

Hæreſes.

Hinc refutantur variæ hæreſes, quarum prima aſſerebat paruulis nihil prodeſſe Baptiſmum ante rationis vſum, quæ fuit cuiusdam Petri de Bruis, quam ab inferis reuocarunt Anabaptiſtæ quibus ſubſcribere viſus eſt Eraſmus in prologo ſuper Matth. dicens ſi placeret maioribus Eccleſiæ, paruuli, cum veniunt ad ætatem adultam, eſſent interrogandi, an vellent ſeruare legem Chriſti, qui ſi nollent, ſuo arbitrio eſſent reliquendi.

Secunda hæreſis fuit Pelagij negantis paruulos habere originale peccatum; atq; ita dicebat Baptiſmo minimè indigere.

Tertia Manicheorum, & aliorum, qui dixerunt Baptiſmū paruulis vtilem eſſe: non tamen neceſſarium. quia parentum precibus præſertim deficiente aqua, poterāt ſaluari. quem errorem amplexi ſunt Ioan. Gerſon, & Caiet. vt ſupra diximus. Quarta hæreſis fuit Cathaphrigum, & Marchioniſtarum, qui mortuos baptizare tentarunt, contra has hæreſes lege Patrem de Caſtro verbo Baptiſmus hæreſi 3. 4. 5. 6. vbi copioſiſsime illas confutat.

Gerſon, & Caiet. caute legēdi.

Art. II. An Paruuli infidelium inuitis parentibus ſint baptizandi?

Tres

Tres ſunt opiniones. Prima eſt D. Tho. & Ric. hi tenent nullo modo paruulos infidelium inuitis parētibus poſſe baptizari. Secunda opinio eſt Dur. qui ait ſi parentes infidelium ſunt christianorum mancipia, poſſunt; ſin minus, Baptiſmus nullum ſortietur effectum. Tertia opinio eſt Scot. qui ait paruulos infidelium chriſtianis principibus ſubditorum poſſe inuitis parentibus baptizari, dummodo hoc caute fiat; ne. ſ. poſt Baptiſmum parentibus reddantur, ſed religioſe nutriantur: & ne parentes hoc timentes trucident paruulos; vt à chriſtianis non baptizentur. quod quidem dicit licere non cuilibet, ſed principi, qui eſt miniſter iuſtitiæ diuinæ. tota autem controuerſia inter Sco. & D. Tho. conſiſtit in hoc; quod Sanctus Thomas dicit eſſe contra ius naturæ paruulos ita baptizare Sco. vero illud pernegat.

Alex. q. 18. m. 1. D. Tho. vbi ſupra art. 10. D. Bona. ar. 2. q̃o. 1. Ricar. d. 6. q. 3. ar. 3. Sco. d. 4. q. 9. Durā. d. 4. quaſt. 6.

CONCL. I.

Princeps chriſtianus poteſt paruulos infidelium ſibi ſubditorum parentibus inuitis baptizare dummodo eos chriſtianis nutriendos tradat. confirmatur varijs rationibus. Prima ex D. Auguſt. quia quando dominia ſunt ſub ordinata, parendum eſt dominio ſuperioris inferioris præcepto contempto, & cum Deus, qui eſt Dominus vniuerſalis ſecundum legem naturalem, & euangelicam omnium paruulorum, præcipiat paruulos ſibi per Baptiſmum conſecrari quamuis pater infidelis, qui eſt Dominus particularis, velit oppoſitum, princeps qui eſt miniſter iuſtitiæ poterit, illos auferre, & Deo conſecrare. Dices vera eſt D. Auguſt. ſententia dummodo non ſit præceptum contra legem naturæ lex enim gratię non deſtruit legem naturæ, ſed perficit. auferre autem paruulos eſt contra legem naturæ. verum quidem eſt legem gratiæ non deſtruere legem naturæ, de actibus virtutum. nam lex naturalis, quæ prohibet acceſſum ad alienam, per legem Euangelicam perficitur, quæ prohibet etiam concupiſcentiam; at verò quæ eſt de conſeruatione dominiorum, aliquando per legem Euangelicam diſtruitur. lege enim naturali matrimonium conſummatum eſt inſolubile, & tamen ſi alter coniugum conuertatur ad fidem, & infidelis nolit cum conuerſo habitare, poterit fidelis contrahere, & ita amittit infidelis dominium per legem gratiæ; dicente Apoſtolo, ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi. Deinde in matrimonio rato ſi alter religionem ſolemniter profiteatur, manens in ſeculo, amittit dominium. tum infideles regibus chriſtianis ſubditi lege naturali ſunt ſuorum bonorum Domini, & tamen compellentur ſoluere decimas de prædijs, quæ à chriſtianis emerunt; vt conſtat cap.

Homilia 6. de verbis domini.

Auguſtini.

Lege totũ capit. 5. Matth.

1. Corinth. 7.

cap. de Terris extra de decimis. præterea probatur concl. si aliquid obstaret, esset, quia pater non potest priuari paterna potestate, quæ sibi iure naturæ conuenit. nam de lege naturæ est, quod filij sint sub potestate patris, & non matris, quemadmodum constat instituta de patria potestate. §. 1. vbi ita legitur, filius ex te, & ex tua vxore natus, sub tua potestate est c. de patria potestate l. si filius; nihilominus tamen Ecclesia præcipit paruulos reluctante patre baptizari; vt constat Can. Iudæi 28. q. 1 cuius verba sunt, Iudæi, qui christianas mulieres in coniugio habent &c. quod si admoniti fuerint, & noluerint separentur, &c. filij autē, qui ex talibus nati sunt. fidem, atq; conditionem matris sequātur; ad hæc tenent aduersarij, quod si de pacto baptizentur, recipiunt characterem baptismalem. cōtra ad hominem argumentor, & confirmo concl. quod iure naturæ est nullum, & irritum & iure Euangelico vel Ecclesiastico non confirmatur tanquam licitum: semper est illicitum; etsi fiat non tenet: vt patet de contractu simoniaco illis verbis prohibito, scilicet quod gratis accepistis, gratis date. & de
2. Corinth. 7. cōtractu matrimonij inter fidelem, & infidelem, qui quidem contractus propter solam prohibitionem à Deo factam, sunt nulli: quare si Deus, & Ecclesia, vt aduersarij affirmant, prohibent filios infidelium inuitis patribus baptizari: si de facto baptizentur, non recipient characterem. & confirmo quia si Ecclesia expresse diceret, nolo paruulos inuitis parentibus baptizari, si de facto baptizarentur, non imprimeretur character quia deficiente voluntate Ecclesiæ, & parentum, non esset interpretatiua voluntas paruulorum, quæ ad baptismum desideratur; ergo cū Ecclesia per aduersarios hoc nolit, haud recipient characterem; quod est contra suam sententiam.

CONC. II.

Paruuli infidelium, non subditorum principibus christianis, cum quibus nullum est nobis bellum inuitis parentibus baptizari possunt. Ratio est, quia si integrum esset expoliare patrem infidelem potestate patria volentem suos paruulos occidere, multo magis profecto licebit, si velit eos spiritualiter
Ad Rom. 3. occidere. Dices minimè licet, quia non sunt facienda mala, vt inde veniant bona. & malum quidem est expoliare patrem infidelem potestate, quæ illi iure naturali competit. hæc tamen ratio nō tollit vim concl. quia ordo charitatis est in præcepto, & quando non patet alia via salutis æternæ, quam priuando proximum re aliqua temporali, possumus illum re illa priuare animo recompensandi, plusquam æquiualens tunc enim nulla fit iniuria, & cum paruulis infidelium alia via salutis non pateat, nisi eripiendo illos à patria potestate animo

recompenſandi iniuriam, conſecrandoque illos Deo per Baptiſmum, non erit profectò facere malum & cum ordine charitatis præferre teneamur vitam ſpiritualem, ſalutemq́. æternam temporalibus bonis. inter quæ connumeratur patria poteſtas.

Prima diffic. An infideles adulti minis & terroribus ad Baptiſmum compelli poſſint?

Alex. vbi ſupra, & D. Bona. loco citato Ricar. d. 6. q. 1 art. 3.

Duæ ſunt opiniones. Prima D. Tho. vbi ſupra art. 8. qui negat fieri poſſe. Altera, & contraria Sco. vbi ſupra. Nota diſtinctionem, qua facile hi Doctores conciliantur, vel fiunt minæ & terrores ad inferendam mortem corporalem, vel ad mortem ciuilem tantum vt eſt exilium.

CONCL. I.

Non poteſt princeps chriſtianus primo modo infideles ad Baptiſmum compellere. definita eſt 45. d. Can. de iudæis, vbi ita habetur. præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri.

CONCL. II.

Secundo autem modo benè poſſunt hac forma, quicunque infidelis, aut baptizetur, aut ciuilem mortem patiatur, atque ita factum eſt in regnis Hiſpaniæ. patet concl. per lege cunctos populos cap. de ſumma Trini. & de fide Catholica, vbi chriſtianiſsimi Imperatores ita lege præceperunt cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam D. Petrum tradidiſſe Romanis, religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat. ex dictis facile ſoluentur aduerſariorum rationes. Et qui obijciunt hactenus Eccleſiam non fuiſſe vſam tali poteſtate, neque legem de hac re ſtatuiſſe minime vrgent. non enim talis lex, eſſet ſtatuenda. quoniam eſſet infidelibus ſcandaloſa; propterea quod occiderent paruulos, ne à Chriſtianis baptizarentur. Deinde obijciunt, liceret, etiam infidelibus propter hanc cauſam bellum inferre, dareturque tunc bellum ex utraque parte iuſtum. nam iuſtè parentes iure naturæ bellum inferrent, & chriſtiani etiam propter præceptum de Baptiſmo. neque hæ rationes vim vllam habent. quia nobis non licet hac de cauſa bellum inferre, ſed auferendi ſunt cum cautela, ne parentes hoc ſubolfacientes illos trucident. Rurſus diſputant ſi hoc licet peccant ergo parentes poſsidendo quia iniuſtè eos poſſident. nequaquam eos iniuſtè poſsidet. quia iure naturæ poſsidēt, ſed indignè. digni enim ſūt: vt filijs priuentur, quemadmodum qui Canonice electus eſt in guardianum, priorem

rem &c. ineptus tamen ad officium, iustè quidem possidet, quia Canonice electus verum indignè, quia dignus est; vt dignitate priuetur. tandem adducunt contra Sco. D. Paul. dicentem, quid enim mihi de ijs quæ foris sunt iudicare? & cum paruuli infidelium sint foris. cur illos Ecclesia baptizat; facile satisfacies si dicas Ecclesiam non habere potestatem super infideles ad coercendum, & expugnandum illos ratione infidelitatis. habere tamen ad liberandum innocentem à potestate infidelium; & cum paruulus sit innocens, poterit illum à parentibus infidelium liberare, consecrando Deo per Baptismum, ea ratione qua in progressu disputationis explicatum est.

1.Corinth.5.

Alex.q.17.m. 2. ad. 5.& m. 3. D. Tho. art. 11.q.68. D.Bona.d.6.q 1. Ricar d.6.art.2 q.1. Dur. d.6. q 1. Sco.dist.4. q 3. Canen. Caiet.

Art. III. An paruuli intra Vteros matris existentes possint baptizari?

Opinio communis tenet partem negantem vnus Caiet. vbi supra. D.Tho. defendit paruulos intra maternos vteros posse per benedictionem parentum in nomine Trinitatis, absque Baptismo saluari.

CONCL. I.

Pueri existentes intra vterum non possunt Baptismum recipere probatur ex D. Aug. apud. D Tho. dicente nemo renascitur, nisi prius nascatur.

CONCL. II.

Nullum est remedium, quod posit paruulis intra vterum matrum existentibus ad remissionem peccati originalis adhiberi, præter Martyrium, & flaminis Baptismũ constat ex Cã. firmissimè & est D. Aug. de consec. d. 4. vbi ita legitur firmissime tene &c. paruulos, qui in vtero matris sine Baptismo moriuntur, sempiterno igne puniendos dixit enim Christus Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit &c. quę lex cum sit vniuersalis, vniuersaliter est intelligenda. Secunda pars conclusi. patet vt si mater pro Christo mortem subeat iustificabitur per martyrium, & filius si in contumeliam Christi occidatur. Sansoni verò, Ieremiæ, Ioanni Baptistæ remissum fuit originale per Baptismum flaminis id est per sanctificationem Spiritus Sancti & non per preces parentum, vt ait Caiet. quia nullus præter Christum potest alijs primam gratiam mereri, nam solus Iesus gratiam capitis habuit. Quid faciendum de muliere ad mortem damnata quæ in vtero habet?

D.August.

Ioan.3.

Dubium.

CONCL. III.

Non est morte punienda ante partũ, esset enim graue peccatum; vt constat in leg. negat. ff. de statu hominũ & in leg. pregnantis. ff. de pœnis.

Erit

Erit ne aperiẽda vt fœtus baptizetur, ſi ſit morti propriqua? *Dubium.*

CONCL. IIII.

Haud integrum erit ullo modo illam aperire. Ratio eſt, quia non ſunt faciẽda mala, vt veniant bona. nam ſi eius mors eſſet certa, illam, viuentem aperire eſſet profecto interimere, quod eſt facinus nefandum. *Ad Rom. 3.*

CONCL. V.

Mortua iam matre aperienda eſt, & puer ſi viuit extrahendus, & baptizãdus eſt. ita enim in leg poſt humus. ff. de inoffic. teſtamenti ſcribit Solinus Iulium Cæſarem fuiſſe extractum, idem quoq; Paulus à Caſtro affirmat. fuerit ne ille Iulius Cæſar, an alius, parum ad hanc rem facit.

Hinc ſoluitur Quæſtio. ſcilicet, quando mater baptizatur, non baptizari ſimul puerum, quem in vtero geſtat. eſt enim de eſſentia Baptiſmi, vt corpus aqua abluatur, & cum aqua non tangat tunc pueri corpus, non erit baptizatus. APPEN.

Art. IIII. Adultus habita fidei notitia, poterit ne Baptiſmum vſque ad mortem differre? *Alex. q. 17. m. 5. D. Thom. q. 68 ar. 3. Ric. d. 6. q. 3. art. 4 Sco. & Dur. vbi ſupra.*

CONCL. I.

Parentes tenẽtur ſuos paruulos ante rationis vſum baptizare: neq; licebit Baptiſmum abſq; peccato per multum tempus differre. Ratio eſt. quia ſi tenerẽtur illis morbo corporali laborantibus quam primum poſſent ſubuenire multo magis cum morbo ſpirituali peccato ſcilicet originali laborent, erit quàm citiſsime ſubueniendum.

Vnde peccant Mortal. parentes, ſi differant Baptiſmum quando paruuli ſunt in articulo mortis, vel quando per prælatos illis præcipitur: vt paruulos baptizent. APPEN.

CONCL. II.

Adulti non ſunt baptizandi quàm primum Baptiſmum petunt. definita eſt in Conc. Bracharen. & refertur. Can. ante viginti, & in Conc. Leodicen. in Can. non licebit de conſec. d. 4. vbi præcipitur inſtruendos eſſe prius viginti dierum ſpatio, & can. iudæi eadem diſtinctione præcipitur pro octo mẽſes futuros eſſe iudæos catechumenos propter frequentẽ eorum perfidiam.

CONCL. III.

Quãdo adulti ſunt omnino inſtructi, vel in mortis articulo conſtituti, non eſt illis Baptiſmus protrahendus. patet exemplo Cornelij, & Eunuchi candacis reginæ tunc enim omnis cauſa protrahendi Baptiſmum ceſſat. *Act. c. 8. et 10*

CONCL. IIII.

Non eſt modo per Eccleſiam determinatũ aliquod tẽpus,

in quo catechumeni baptizari teneantur. nam Can. Secundæ conclusionis & Can. duo tempora eadem distinctione non catechumenis, sed Episcopis duntaxat tempus determinant.

CONCL. V.

Flo.Theo.q.su 4.lib.sent.

Non est catechumenis tempus suscipiendi Baptismum iure diuino determinatum. Ratio est, quia præceptum affirmatiuum, vt est Baptimi præceptum, obligat semper ad habendum animum paratum; non tamen pro semper, nisi tempore ab Ecclesia statuto.

CONCL. VI.

D.Thom. est vbi supra.

Si catechumenus sine rationabili causa, & prælatorum Ecclesiæ licentia finito catechismo Baptismum differat Mortal. peccat. Ratio est, quia quando tempus solutionis indeterminatum est, tenetur debitor soluere debitum, quandocunque à creditore petitur sub pœna peccati Mortalis si potest soluere, & tunc catechumenus est debitor suscipiendi Baptismum.

Art. V. An requiratur dispositio in adulto baptizando, Vt gratiam consequatur?

Absoluetur aliquot difficultatibus positis.

Alex.q.18.m. 2.ar.1.D. Th. q.68.ar.4.Scoti.d.4.q.5.

Prima diffic. An qui habet complacentiam alicuius peccati, sit baptizandus?

CONCLVSIO.

Homini habenti voluntatem peccandi, vel complacentiam peccati præteriti non est Baptismus conferendus. Ratio est, quia cum ille peccat Mortal. recipiendo Baptismum peccabit etiam Mortal. minister, conferendo enim, peccato illius cooperatur.

Alex.q.18.m. 2.art.1.Sco.q. 5.vbi supra D. Tho.ar.5.

Secunda diffic. An teneatur peccata confiteri, & pro illis satisfacere?

CONCL. I.

Peccata commissa ante Baptismum, non sunt ante Baptismi susceptionem confitenda. Ratio est, quia Ecclesia non habet potestatem super non baptizatos: vnde non poterit illos absoluere, sententia enim à non suo iudici lata nulla est.

CONCL. II.

Neque tenebitur ad eorum confessionem post Baptismum susceptum. non enim habet Ecclesia iurisdictionem super peccata extra illam commissa dicente D. Paul. quid enim mihi de his quæ foris sunt iudicare?

5. Corinth. 5.

CONCL. III.

Neque tenebitur pro illis peccatis satisfacere. cōstat ex cā. sine pœnitentia de consec. d. 4. ubi dicitur gratia baptismalis non

non indiget gemitu, aut planctu scilicet exteriori, sed omnia gratis, etiam Purgatorij pœnam, condonat.

Tertia diffic. An baptizandus teneatur habere contritionē? *Alexā. vbi supra, & D. Tho. est q. citata ar. 4. & Sco. q. 5. Dur. q°. 2. dist. 4.*

CONCLVSIO.

Attritio sufficit in Baptismo ad remissionem peccati, etiam si baptizandus sit attritionis conscius patet ab effectu Baptismi. est enim regenerationis sacramentum, et si esset necessaria contritio præcedens, cum per illam essent remissa peccata, non esset sacramentum regenerationis. nam præsupponeret baptizandum per contritionem sanctificatum.

Hinc colligitur falsam esse Caiet. opinionem dicentis, nullum actum acquiri, sed satis esse, vt qui ad Baptismum accedit habeat propositum recipiendi illum in remissionem peccatorum. dicit enim D. Petrus. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. vbi ante Baptismum necessariam esse pœnitentiam indicauit. APPEN. q. 86. ar. 2. *Actorum. 2.*

Quarta diffic. An desideretur intentio suscipiendi in baptizato? *Alex. q. 18. m. 2. ar. 3. D. Bona. d. 6. q. 1. ar. 2. Ricar. d. 6. q. 3. ar. 2. dist. 6. quæst. 2 quæst. 68. ar. 7 dist. 4. quæ. 4.*

Tres sunt opiniones. Prima Dur. dicentis in adultis requiri propriam voluntatem. Secunda Caiet. vbi supra D. Tho. asserentis, neq; in paruulo, neq; in adulto desiderari consensum; sed satis esse non habere contrariam voluntatem. Tertia Sco. qui ait in adulto requiri consensum, existimatq. inpossibile esse reperiri aliquem neutrum.

CONCL. I.

De ratione Baptismi est; vt tam in paruulis, quam in adultis sit voluntarius consensus. Ratio est, quia cum peccata, in quorum remedium Baptismus est institutus, sint voluntaria, vel formaliter; vt actualia, vel interpretatiuè id est in sua causa & radice vt originale, debet quoque remedium esse voluntarium quia in moralibus per quascunq; causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur.

CONCL. II.

Baptismus in paruulis est voluntarius interpretatiuè id est per voluntatem Christi, & Ecclesiæ. Ratio est, quia sicut originale peccatum fuit voluntarium non in paruulo sed in Adā, ita remedium satis erit in paruulo, vt sit voluntariū in Christo instituente, & Ecclesia ministrate. fuit enim primus Adam futuri Adæ, scilicet, Christi forma. *Ad Rom. 7.*

CONCL. III.

Vt Baptismus sit sacramentum in adultis, actualis, siue virtualis voluntas illum suscipiendi desideratur. definita est in cap. maiores de Baptismo, vbi ita legitur. dormientes autem,

& amentes, si prius quàm dementiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perstiterunt non characterem suscipiunt sacramenti: secus verò si prius catechumeni extitissent, & propositum baptizandi habuissent, lege etiam Can. ægrotantes de consecr. d. 4.

CONCL. IIII.

Si aliquis sit neuter, qui nunquam aliquid de Baptismo audiuit vt Indi, antequàm Hispani ad eos peruenissent, is, si baptizetur, sacramentalem characterem non suscipiet. Ratio est, quia suscipiens Baptismum non naturaliter sed libere patitur: atq; ita voluntas suscipiendi desideratur.

APPEN. Hinc sequitur non posse Ecclesiam talem hominem ad fidem Christi seruandam compellere, esset enim contra iustitiam. si quidem diceret inuite esse baptizatum. & confirmatur ex cap. maiores proxime citato, vbi Innocentius dicit dormientem esse baptizandum dummodo vigilans habuerit propositum recipiendi Baptismum, quia aliter non recipiet characterem.

APPEN. 2. Ex dictis facilè depræhenditur contra Caiet. saltem virtualem intentionem esse necessariam.

Alex. q. 18. m. 2. par. 6. §. D. Tho. q. 68. art. 8. D. Bona d. 3. q. 3. Ricar. d. 6 q. 1. art. 1. Sco. d. 4. q. 5. Durā. dist. 6. q. 2.

Art. VI. An requiratur Fides?

CONCLVSIO.

Vt Baptizatus gratiam recipiat, fides in eo desideratur; non tamen vt characterem accipiat. definita est in Conc. Cartag. vbi decretum fuit contra D. Cyprianum, & reliquos Aphricæ Episcopos ab hæreticis baptizatos non esse rebaptizandos etiam si minister, & baptizatus hæretici fuerint.

Alex vbi sup. m. 3. D. Tho. ar. vlt. q. 68. Ric. d. 6 ar. 2. q. 2. Sco. dist. 4. q. 4 Durā. d. 4 q. 5.

Prima diffic. An amentes, furiosi, & dormientes sint baptizandi?

CONCL. I.

Amentes, & furiosi à natiuitate, qui nunquàm habuerunt lucida interualla, nec illa habituros speramus, baptizari possunt, sicut paruuli in fide Ecclesiæ. æquale namq. est vtrorumque iudicium; cum solo originali peccato laborent.

CONCL. II.

Amentes, quia aliquando ratione vsi fuerunt, si in illo instāti, quo rationis vsum amiserunt, voluerunt baptizari, baptizādi sunt; aliter nequaquam. definita est in cap. maiores citato.

CONCL. III.

Qui habet lucida interualla, iudicandus est eo modo, quo proximi: si tamen est mortis periculo constitutus. nam aliter expectandum est lucidum interuallū, probatur ex cap. maiores, tum etiam quia peccata de lege remitti non possunt, nisi per

per voluntatem acceptantis remedium dicente D. Augu. nullus ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus, poteſt nouam vitam inchoare, quin præteritæ vitæ pœniteat &c. *D. Auguſt.*

CONCL. IIII.

Qui non eſt omnino amens, & de ſua ſalute cogitare poteſt, & virtutem ſacramenti intelligere, debet intentionem recipiendi Baptiſmum habere quoniam ſic ſatis rationis vſum habet.

QVAESTIO TERTIA DE MINISTRO BAPTISMI.

HAc quæſtione explicatur d. 5. Mag. ſent. de hac qõ. multa ſupra in vlt. q. de ſacr. in genere reperies.

Art. 1. An ſolis preſbiteris conueniat ex officio baptizare?

Alex. Alen. q 16. m. 1. D. Th. q. 67. art. 1. 2. reliqui d. 5. D. Bona. q. 1. Ric. q. 1 art. 4. Sco. d. 6. q. 1. et Duran.

CONCL. I.

Ex officio ratione Sacerdotij ſolis præsbiteris conuenit ſolemniter, vel citra ſolemnitatem Baptiſmum adminiſtrare. patet ex Can. conſtat de conſecr. d. 4. & quia per Baptiſmum diſponitur homo ad Euchariſtiam percipiendam, & eius eſt ad Euchariſtiam diſponere cuius eſt illam conſecrare.

CONCL. II.

Diaconibus conuenit ſolemniter baptizare, vel in abſentia præsbyteri neceſsitate enim imminente, vel ex eiuſdem præſbyteri commiſsione. definita eſt in Con. à Gelaſio Papa Cano. Diacones 93. d. gloſſam ibidem lege.

Prima diffic. An laicus poßit Baptiſmum miniſtrare?

D. Tho. ar. 3. et Ricar. q. 1. vbi ſup. Alex. ibidem, & D. Bona. Sc. q. 5. vbi ſupra.

CONCLVSIO.

Quicunque cuiuſcunq; conditionis, vel religionis ſit, in extrema neceſsitate poteſt & tenetur adminiſtrare Baptiſmum. definita eſt expreſſe in Can. Diacones citato: & intelligitur in articulo mortis, ita vt nullus adſit Sacerdos, qui poſsit Baptiſmum conferre: vt ab Vrbano Papa in Cano. ſuper quibus 30. q. 1. definitum eſt.

Secunda diffic. An laicus abſq; neceßitate baptizans Mortaliter peccet?

Alex. m. 12, & D. Tho. D. Bona vbi ſupra Ric. q 3. Scot. loco citato.

CONCLVSIO.

Peccat quidem, niſi ignorantia inuincibili excuſetur. Ratio eſt, quia miniſtrans aliquod ſacramentum abſq; Curati facultate peccat Mortal. feriuntur enim excommunicatione religioſi miniſtãtes communionem, & extremam vnctionem in Clementina prima de priuilegijs.

Hinc collige, mulierem in præſentia viri baptizantem, & laicum

APPEN.

laicum in præsentia diaconi non peccare Mortal. quia alienũ officium non vsurpat: cum neutri ex officio competat.

Alex. & reliqui vbi supra.

Tertia diffic. An Pater Filium baptizans peccet?

CONCLVSIO.

Pater, qui necessitate vrgente filium baptizat, non peccat immo est laudandus. patet per can. ad limina B. Petri vbi Romanus Pontifex laudat Stephanum quendam, qui in simili casu filium baptizauit.

APPEN.

Si extra talem casum aliquis filium baptizauerit proprium, Baptismus valebit, peccabit tamen grauissime, & ius petendi debitum perdet: à coniuge vero, separandus non erit. hæc definita est in Can. nosce. desideras & Can. dictum est & Can. de eo quod vbi supra.

Alex. qõ. 16. 4 p. m. 6. D. Tho. ar 6. vbi supr. D. Bona. d. 5 q. 1. Sco. & Ric. vbi supr. Dur. q. 6. d. 6. 4. † Ad Eph. 4.

Art. Vlt. An minister Baptismi vnus numero esse debeat?

CONCL. I.

Minister Baptismi vnus esse debet. † nam cũ sit vnus De⁹, vna fides, vnum baptisma & vnus institutor. s. Christus vnus debet esse minister; vt confirmatum est in Can. quorundam 23. dist.

CONCL. II.

Vnus esse debet, id est integer. s. quod materiam, formam, & intentionem habeat: non autem vnus, id est solus, cum plures simul, & verba proferentes & abluentes possint eundem baptizare. Prima pars constat, quia propositio falsa non potest esse forma sacramenti, quod est signum verum & certum: esset autem falsa, si vnus ablueret, & alius verba proferret dicens Ego te baptizo, vel baptizetur seruus Christi à me. Secunda pars est etiã perspicua quia ibi materia, forma, & intẽtio, quæ sunt necessaria ad veritatem sacramenti, concurrunt.

Ale. vbi supr. D. Bona. q. 1. d 5. Ricar. Sco. locis citatis sup. Vbi supra & Alex. est. Hæc est Dur.

Prima diffic. An quando plures baptizant eundum, possent hac forma vti; nos te baptizamus in nomine Patris & Filij &c.

Sanctus Thom. Tenet non conferri Baptismum. contra est opinio Duran.

CONCL. I.

Si vterq. Minister habeat intentionem baptizandi independenter ab alio: ita vt habeat hunc animum Ego te baptizo & etiam si reliqui nolint te baptizare verè baptizat. Ratio est, quia Minister est integer quo ad materiam, formam, & intentionem, quæ sunt de necessitate Baptismi, & seruatur sensus formæ cõsuetæ. nam hæc nos te baptizamus, æquipollet huic, Ego te baptizo, & huic iste te baptizat, quod perinde est, ac si vterq. dicat. Ego te baptizo.

CON-

CONCL. II.

Quando alter ministrorum non habet intentionem baptizandi, nisi dependenter ab intentione alterius: ita, quod si alter nolit baptizare neque ipse velit, Baptismus minime conficitur, probatur quia Minister debet esse integer, quo ad materiam, formam & intentionem: & in casu posito non est integer quantum ad intentionem. quia habet illam ab alio dependentem.

Hæc est D. Tho

Soto. d. 4. q. vnica. ar. 4.

QVAESTIO QVARTA DE EFFECTIS BAPTISMI, ET EIVS PRAEPARATORIIS.

Hac quæstio d. 6. Magistri explicatur.

Alex. q. 20. m 1. art. 1. & 2. & m. 2. per. 3. ar. D. Thom. q. 69. art. 1. 2. 3. D Bona. d. 4 q 1. 2. Ricar. ead d. art. 3. per. 3. quæst. Scot. d. 4. q. 5. Dur. ibid q. 2. & 3.

Art. I. An remissio omnis culpæ, & pœnæ, tam æternæ quã temporalis, sit peculiaris Baptismi effectus?

CONCL. I.

Baptismus per gratiam culpam originalem, & omnem actualem, & omnem etiam pœnam in alia vita pro peccatis luendam tollit. definita est ad verbum in Côc. Flor. sub Eugenio IIII. & in Trid. Sess. 5. Cano. si quis per Iesu Christi &c.

CONCL. II.

Per Baptismum in hac vita non tollitur temporalis pœna bene tamen in alia vita. Prima pars patet. quia pœna mortis est pœna propter peccatum originale inflicta, fames, sitis, & aliæ calamitates, quæ nos molestant, & non sunt per Baptismum sublatæ. Secunda pars constat Apoca. absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors vltra non erit neq; luctus neq; clamor &c.

Gene. 3.

Apocal. 21.

Dubium.

Dices. cur concupiscentia, quæ ad peccatum inclinat per Baptismum non deletur? Respondeo primum; vt homo mereatur, illam superando. Secundo quia si in hac vita corpus impassibile per Baptismum redderetur, homines propter vitam præsentem potius quam futuram ad Baptismum conuolarent. quod esset summa miseria vt D. Paul. docet.

1. Ad Cor. 15.

Hæresis.

Hinc confutatur error Lutheri contra quem lege patrem à Castro verbo Baptismus hære. 11. vbi multa loca affert diuinæ scripturæ, quibus prima conclusio illustratur.

Alex. q. 21. m 1. 2. 3. D. Tho. vbi supra art. 7. reliqui. d. 4. D. Bona. art. 2 per 3. q. Ricar ar. 1. q. 1. & 3. & art. 3. q°. 1. Sco. q. 2. & 7

Art. II. An gratia per Baptismum conferatur?

CONCL. I.

In Baptismo paruulis, & adultis gratia cum fide, spe & charitate, infunditur. definita est expresse in Conc. Trid. Sess. 6. ca. 7. vbi dicitur in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorũ hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum,

stum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.

CONCL. II.

Quando adultus accedit impœnitens ad Baptismum, solū sacramentalem characterem recipit: non autē fidem infusam. probatur Deute. 32. Dei perfecta sunt opera, quem enim sanat, perfecte sanat. s. intellectum per fidem, voluntatem per spem, & charitatem. est etiam definita in Conc. Trid. modo citato dicitur enim hæc omnia simul &c. cui inseritur. quare si non inseritur, Christo per gratiam, hæc omnia non accipit.

Deutero. 32.

CONCL. III.

Virtutes morales vt prudentia, iustitia, fortitudo & temperantia non formaliter, sed virtualiter tantum nobis in Baptismo infunduntur. patet. quia cum charitas eminenter omnes virtutes contineat morales (inclinat enim animum ad omnes actus virtutum moralium, vt; author est D. Paul. Dicens charitas patiens est, benigna est &c.) non erit profecto necessarium tales virtutes formaliter infundi.

1. Corinth. 13.

Prima diffic. An apertio ianuæ cælestis sit peccultaris Baptismi effectus?

Alex. loco citato m. 7. D. Tho. ar. 7. Ricar. ar. 3. q. 2. d. 4.

CONCLVSIO.

Post passionem Christi Baptismus nobis ianuā Cœli aperit. Ratio est, quia per Baptismum culpa, & eius pœna, quæ sunt nobis impedimento, quo minus cœlum ingrediamur. perfectissime remittuntur, ante passionem verò non aperiebat. quia nondum erat solutum redemptionis precium.

Secunda diffic. An gratia baptismalis æqualis omnibus concedatur?

Alex. q. 21. m. 3. reliqui DD. d. 4. D. Bona. q. 3 Ricar. art. 3. quæst. 3.

Duæ sunt extremæ opiniones. vna Sancti Tho. art. 8. & Alexandri affirmans. altera Scot. 7. vbi supra lege Magistrum Soto. d. 6. q. 1. ar. 6. vbi affirmat gratiam, quæ datur adultis, etiam sacramentalem dari inæqualiter.

CONCL. I.

In Baptismo non datur maior gratia ratione prædestinationis ad maiorem gloriam. Ratio est, quia quantitas gloriæ cōferendæ ratione prædestinationis potius quantitati meritorū, quàm gratiæ respondet. vt constat apud Matth. Vbi dicitur, filius hominis venturus est, &c. & tunc reddet vnicuiq. secūdum opera eius, & ad Rom. 2. reddit Deus vnicuiq. secundum opera id est secundum quantitatem meritorum, & non secundum quantitatem gratiæ habitualis.

Matth. 24. Ad Roma. 2.

CONCL. II.

Ratione orationum parentum, atque ministri in Baptismo datur vni paruulo maior gratia, id est, maius auxilium ad benè

benè operandum, quam alteri detur: non autem maior gratia habitualis confertur. probatur. quia habitualem gratiam nullus poteſt alteri mereri niſi qui habet gratiam capitis, quā ſolus Chriſtus obtinuit de auxilio ſpeciali. confirmatur exēplo B. Nicolai cui forſan per preces parētum data eſt gratia, id eſt, ſpeciale auxiliū: vt ter in hebdomada à lacte abſtineret.

CONCL. III.

Gratia, quæ datur ratione Baptiſmi, æqualiter omnibus datur, licet non concedatur æqualis, quæ deuotioni ſuſcipiētis Baptiſmum reſpondet. Ratio primæ partis cōcluſionis eſt quia gratia baptiſmalis datur propter merita Ieſu, quæ quidē æqualiter omnibus per Baptiſmum applicantur. Secunda verò pars etiam eſt manifeſta. quoniam deuotio, & merita ſuſcipientium baptiſma plerumq; ſunt inæqualia: atque ita gratia illis reſpondens erit quoque inæqualis.

Hinc confutati ſunt errores varij, vim & poteſtatem Baptiſmi minuentes; vt fuit error Perſallianiorum, qui, & Euchitæ. ſ. orantes appellati ſunt, aſſerentium nullam vtilitatem ex Baptiſmo accedere, ſed ſolam ſtudioſam orationem dæmonem inhabitantem effugare. & error Manichæorum, qui Baptiſmū in aqua, nihil cuiquam ſalutis afferre affirmabant; iis ſucceſſerunt Albanenſes affirmantes nullam eſſe baptiſmi efficatiam & Albigenſes omnino baptiſmum reſpuentes: & Armenij, qui ab omnibus ſacramentis virtutem conferendi gratiam remouent, his omnibus ſubſcripſit peſtilentiſſimus Martinus Lutherus docens nullam gratiam per ſacramenta conferri, lege Patrem à Caſtro verb. Baptiſmus, hære. 4. *Hæreſes.*

Art. III. An recedente fictione, Baptiſmus ſuum ſortiatur effectum?

Ale. 3. q. 18. m. 2. ar. 4. S. Tho. vbi ſupra ar. vltimo reliqui ſupra D. Bona q 3. ar. 2. Ricar. 1. q. 2. Scot. q. 5. Duran. q. 5. Gabr. Cauen.

Caute legendus eſt Gabr. Qui in ſecundò ſententiarum diſtin. 32. quæſt. 1. concl. 1. affirmat ficto remitti originale peccatum, quamuis alia peccata non remittantur, neque gratia infundatur; quòd eſt erroneum, Ratio eſt, quia de lege infuſio gratiæ concomitatur cuiuſcunque peccati remiſſionem & cum ficto (vt dixit Gabr.) non infundatur gratia, neque remittetur originale.

CONCLVSIO.

Recedente fictione virtute contritionis præteritus Baptiſamus, & quantum ad remiſſionem originalis peccati, & omnium actualium, quæ Baptiſmum præceſſerūt, & omnis pœnæ ſuum ſortitur effectum. definita eſt Can. tunc valere de conſecr. d. 4. & confirmatur. quia cum peccata ante Baptiſmum ſint extra Eccleſiam commiſſa, non ſunt materia ſacramenti pœnitentiæ, & ita virtute Baptiſmi delebuntur. *Scoti eſt.*

Hinc

APPEN. Hinc colligitur virtute Baptiſmi remitti omnia peccata Baptiſmum præcedētia; virtute verò contritionis, ſiue pœnitentiæ remitti obicem, ſiue fictionem id eſt, peccatorum complacentiam: atque ita non dimidia, ſed integra fit peccatorum remiſſio quamuis diuerſis mediis contra Palud. d. 4. q. 5. qui dicit virtute confeſſionis remitti omnia, quia impium, inquit eſt, dimidiam à Deo expectare veniam.

Alex. & S. Th. vbi ſupra & cæteri loco citato.

Difficultas cur ſolus Baptiſmus inter alia ſacramenta recedente fictione ſuum ſortitur effectum? Sotus varias affert opiniones d. 6. q. 1, art. 8. ratio tamen hæc eſt, quia effectus Baptiſmi. ſ. originalis, & omnium actualium, quæ Baptiſmum præcedunt, & omnis remiſſio pœnæ non poteſt reparari virtute propria, & per ſe alterius cuiuſcumq; ſacramenti: vt ex præcedentibus concluſionibus conſtat; at verò effectus aliorum ſacramentorum, ſi ſunt iterabilia, iterato ſacramento reparantur; ſi non iterabilia: vt Confirmatio, & Ordo, cum eorum effectus ſit gratiæ augmentum, poteſt per ſacramentum pœnitentiæ reſarciri.

Art. ult. De præparatoriis ad Baptiſmum.

Alex. q. 7. m. 5. S. Th. q. 70. art. 1. reliqui Do. d. 1. Bona. q. 5. Ric. art. 6. q. 4. Scoti q. 6. Duran q. 6. & 7.

Quatuor ſunt præparatoria Baptiſmi, ex quibus duo præceſſerunt Baptiſmi inſtitutionē; vt circumciſio, & baptiſma Ioannis: alia verò duo illius ſuſceptioni præponuntur; vt Catechiſmus, & Exorciſmus; & de ſingulis erunt ſeparatim difficultates proponendæ.

Prima diffic. An circunciſio fuerit Baptiſmi figura?

CONCLVSIO.

Fuit quidem Baptiſmi figura. patet ad Coloſſen 2. circunciſieſtis, non circumciſione manu facta in expoliatione corporis carnis ſed in circumciſione Chriſti conſepulti ei in Baptiſmo. vbi vocat D. Pau. Baptiſmum circunciſionem. quia ſicut circunciſio carnem, & ita Baptiſmus animā à peccato liberat.

Alexā. & reliqui vbi ſupra. m. 2. S. Tho ar. 2. D. Bona. art. 2. per. q. 3. Ric. Scot. locis citatis.

Secunda diffic. An debuerit inſtitui circunciſio ſtatim à lapſu Adæ?

CONCLVSIO.

Geneſis 22.

Geneſis 12.

Conuenientius multò data fuit Abrahæ. Ratio eſt, quia primo facta fuit illi de Chriſto promiſſio, & primus ſegregatus fuit à ſocietate in fideliū. egredere de terra tua &c & ideo data illi fuit conueniētius; vt populus Dei à populo gentilico diſtingueretur.

Tertia diffic Quibus fuit data ſub præcepto?

CONCLVSIO.

Exod. 12.

Deſcendentibus ex familia Abrahæ, quæ etiam illis, qui ex gentibus ad Iudaiſmum conuertebantur, poterat applicari. vt conſtat Exo. 12. fuit tamen Iudæis ſub præcepto; non autem

illorum ſeruis. hinc vt dicit D. Bona. Noluit Abraham ſuos ſeruos circuncidere.

Difficultas quid de fœminis Iudæorum?

CONCL. I.

Fœminæ Iudæorum liberabantur ab originali per legis naturæ ſacramentum. cõſtat ex lege, & præcepto dato Abrahæ. *Geneſis 17.*

CONCL. II.

Circuncisio in generationis inſtrumento tantum fiebat. Ratio eſt, quia erat ſignum iuſtitiæ, quia credidit Abraham ex ſuo ſemine Chriſtum naſciturum, & erat in remediũ peccati originalis, quod in generatione contrahitur.

CONCL. III.

Non erat ſub præcepto, neq; de neceſſitate circumciſionis culter lapideus. nam ſicut aqua eſt materia Baptiſmi, & panis Euchariſtiæ quia frequentior eſt illorum vſus. faciliusq. habentur: ita etiam culter ferreus debuit eſſe circumciſionis inſtrumentum.

CONCL. IIII.

Octauum diem ex legitima cauſa poſtponere licebat, præuenire verò minimè. tunc enim circumciſio nõ habuiſſet vim ſacramenti: vt conſtat Prouerb.4. vnigenitus (inquit Salomõ) eram coram matre mea, vbi gloſſa quia prior morte præuentus ante octauum diem non fuit circunciſus; ideo neq; nomẽ illi impoſitum; quod; vt modo in Baptiſmo, ita tunc in circũciſione imponebatur; ideo ſe vnigenitum vocat. *Prouerb. c. 4.*

Alias difficultates de circunciſione ſupra inuenies. *3.q. de ſacramentis in genere.*

DE BAPTISMO IOANNIS.

CONCL. I.

Congrua fuit Baptiſmi Ioannis ante Baptiſmum Chriſti inſtitutio. Ratio eſt. ſ. vt homines ad Baptiſmum Chriſti aſſueſierint. *Alex. quæſt. 9. S. Tho. q. 38 rel qui art. 2. D. Bona. ar. 2. per tres quæſt Ric. art. 2. Sco q. 2. Dur. q. 3. & 4. APPEN.*

CONCL. II.

Ritus, & modus baptizandi Ioannis à Deo fuit inſtitutus dicitur enim. Ioan. cap. 1. qui miſit me baptizare, ille eſt: at vero quantum ad effectum fuit ab homine. quia virtute propria non conferebat gratiam.

Hinc non erat propriè ſacramentum. ita eſt definitum in Conc. Trid. Seſſ. 7. de Baptiſmo Can. 1.

CONCL. III.

Decuit vt Ioannes alios cum Chriſto baptizaret. Ratio eſt, quia daretur tunc dubitandi occaſio, eſſet ne baptiſma Ioannis præſtãtius noſtro. ſi ſolus Chriſtus illo baptizatus fuiſſet.

CONCL. IIII.

Non

Non debuit Ioannis Baptiſmus ſtatim poſt Chriſtum baptizatum ceſſare, donec in carcerem mitteretur. nã erat diſpoſitio ad Baptiſmum Chriſti vt alij ad illum per Baptiſmum Ioannis traherentur.

CONCL. V.

Act. c. 9.

Magiſt. Cauẽ.

Baptiſmo Ioannis baptizati, rurſus baptiſmo Chriſti baptizandi erant. patet Act. 9. vbi legitur Apoſtolos hoc præstitiſſe. fuit enim baptiſmus Chriſti poſt mortem omnibus ad ſalutem neceſſarius. hæc eſt contra Magiſtrum d. 2.4.

CONCL. VI.

Acto. 9.

Forma baptiſmi Ioannis erat hæc, ſcilicet in nomine venturi. ita enim Act. 9. expreſſe legitur.

DE CATECHISMO.

CONCL. I.

Alex. q 10. m 3. & qũ. 23. S. Tho. q. 71. art. 1. D. Bona. & reliqui d. 6 q. penultima, Ricar. art. 5. Scot. & Dur. q. 7. Ad Rõ. C. 10.

Adulti ſunt prius catechizandi, quàm baptizandi: vt fidem teneant, quàm ſunt in baptiſmo profeſſuri. habetur enim expreſſè de conſec. d. 4. Cano. Catechiſmi, & duobus ſequentibus. debentque ſaltem ſcire, fidei articulos, decalogi præcepta, & orationem dominicam. nam quomodo credent in quẽ non audierunt?

CONCL. II.

Paruuli etiam ante Baptiſmum per patrinos, eorum loco reſpondentes catechizantur, ſiue inſtruuntur. Ratio eſt, quia voluntas patrinorum aures, & intellectus paruulorum vices gerunt. nam vt Eccleſia paruulis pedes alienorum quibus ad Eccleſiam perueniant, præſtat; ita aliorum aures, intellectum & linguam accommodat, quibus fidem proteſtentur.

CONCL. III.

Eccleſia baptizatum ad fidem tenendam obligare poteſt; ſicut primus parens ad peccatum obligauit. Ratio eſt, quia nõ eſt maioris efficaciæ malicia Adæ per generationẽ carnalem concauſatam, quàm ſit virtus ſecundi Adæ Chriſti, ſcilicet per Baptiſmum collata, atq; ita poterit ad tantum bonũ, quãtum eſt fidei confeſſio obligare.

Alex & reliqui vbi ſupra. Ric. ar. 6. q. 2.

Difficultas. An illis verbis, abrenuntio ſathanæ &c. baptizatus formale votum ſeruandi præcepta diuina, & Eccleſiaſtica emittat?

CONCL. I.

In Baptiſmo non emittitur formale, aut virtuale votũ ſeruandi præcepta decalogi, quæ lumine naturali conſtant. Ratio eſt, quia ante Baptiſmum tenebatur illa obſeruare, licet grauius peccet ratione ingratitudinis, qui iam baptizatus eſt illa transgrediens. quid? quod, nullus doctorum huius circunſtantiæ meminit.

CONCL. II.

In Baptismo non emittitur votum formale seruandi præcepta diuina, aut Ecclesiastica positiua. Ratio est, quia neq; adultus, quando baptizatur, neq; patrini loco paruuli actum dicunt, quo huiusmodi præcepta seruare promittant. illorum enim fortassis non recordantur votum autem formale est actus elicitus à voluntate, quo in particulari aliquid Deo promittimus.

CONCL. III.

In Baptismo emittitur virtuale votum seruandi præcepta diuina positiua, & Ecclesiastica. ita definitur in Conc. Trid. Sess. 7. de Baptismo Can. 7. si quis dixerit baptizatos per Baptismum solius tantum fidei debitores fieri, non autem vniuersæ legis Christi seruandæ anathema sit.

DE EXORCISMO.

Difficultas. An Exorcismus ex opere operato expellat diabolum?

Vbi supra Alexand. m. 3. D Bona. q. vlt. Ricar. art. 6. Dur. q. 4. Castr. verbo Exorcismus.

Tres sunt opiniones. Prima asserentium virtute naturali per exorcismum diabolum expelli: hanc refutat Ric. vbi supra. Secunda dicit non effectiuè, sed impetratoriè, precibus. s. sacerdotis diabolum eiici. hanc confutat Sanctus Tho loco citato. Tertia & communis opinio continetur sequentibus conclusionibus.

CONCL. I.

Dœmon per exorcismum à baptizandis ex opere operato expellitur. s. quia exorcismus est causa; vt Deus baptizandus auxilietur, ne diabolus impediat, quo minus baptismum recipiant. atque per sputum illud, quo aures, nares & oculi liniũtur, Baptizandis promittitur diuinum, & speciale auxilium, quo aures, & oculi intellectus, cordisq. ad audiendam, & intelligendam euangelicam legem, naresq. spiritales ad currendum in odorem vnguentorum Dei aperiantur. nam hi sensus per originale peccatum erant inepti, & obtusi, & per exorcismum apti efficiuntur.

APPEN.

Hinc colligitur, quod qui sine exorcismo baptizatus est, deinde exorcizandus erit.

CONCL. II.

Ecclesia potest signũ instituere, cuius virtute ex opere operato dœmones expellantur. fuit enim hæc potestas Ecclesiæ à Christo concessa, durabitq. semper vt constat Marci vltimo signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dœmonia eiicient, id est, ad mei nominis inuocationem: quàm potestatem ante passionem Apostoli exercuerunt. Domine etiam in nomine tuo dœmonia subiiciuntur nobis.

Marci vltimo.

Luce 10.

nobis. & cõfirmatur per Côc. Trid. Seſſ. 7. cap. 13. de ſacramentis in genere. vbi anathematizãtur, qui ritus Eccleſiaſticos in ſolemni adminiſtratione ſacramentorũ adhibito contemnunt.

Hæreſis. Contra veritates propoſitas fuit error Vualdenſium, & Vuicleffiſtarum huiuſmodi ritus Eccleſiaſticos irridentium vide patrem à Caſtro vbi ſupra, & Conc. Trid. modo citatum.

Quæ in exorciſmo fiũt docẽtur in Can. ſiue paruuli, & aliquot aliis proxime ſequẽtibus de cõſ. d. 4. cuius miniſter principalis eſt Sacerdos. hactenus de Baptiſmo.

FLORES SACRAMENTI Confirmationis.

QVAESTIO.

HAc q. explicatur d. 7. Magiſtri, de qua diſputant DD. ibidem, d. 5. de conſecr. à Can. primo vſq; ad 8. Flo. Theo. q. ſuper. 4. lib. ſent.

Alex. q. 24. m. 2. S. Tho q. 72. ar. 1. reliqui d. 7. D. Bona. art. 2. Ricar diſt. 1. ar. 3. q. 2.

Art. I. An Confirmatio ſit noua legis ſacramentum?

CONCL. I.

Vnum eſt de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis. definita eſt in Conc. Flor. ſub Eugenio IIII. & in Trid. Seſſ. 7. de ſacramentis in genere cap. 1. Can. 2. de Confirmatione. vbi habetur. ſi quis dixerit ocioſam cærimoniam eſſe, & non potius verum ſacramentum &c. Anathema ſit.

CONCL. II.

q. 5. de ſacramentis in genere, art. 3. caute legẽdus Alex. Alen. Alexan. D. Tho. vbi ſupra D. Bon. art. 1. q. 1. & 2. & Sco. &c. ead. d. Ric. d. 2. q. 3. ar. 1. S. Tho. eſt vbi ſupra ad. 1. Ioan. 16. c.

Hoc ſacramentum non fuit à ſola Eccleſia, & ab Apoſtolis, ſed à ſolo Chriſto inſtitutũ. Ratio eſt, quia nullus à Chriſto poteſt dare gratiam; & ita nullus ab illo poteſt ſacramentũ inſtituere. hæc eſt contra Alex. & alios, quos tacito nomine citat. D. Thom. qui dixerunt eſſe quidem ſacramentum, ſed non à Chriſto inſtitutum.

Difficultas quando fuit inſtitutum?

CONCLVSIO.

Quando dixit Apoſtolis Ioan. 16. ſi ego non abiero, paraclitus non veniet ad vos. vbi promiſit Spiritus Sancti plenitudinem. quæ non datur niſi per confirmationem, vel dic ſecũdo, fuiſſe inſtitutũ in Cœna, quando cõfecit Chriſma. ita habetur in Can. litteris de conſecr. d. 3.

Hæreſes. Errarunt Vualdenſes, & cum illis poſtea Lutherus aſſerentes eſſe meram cæremoniam, & ritum quendam Eccleſiæ; non autem eſſe ſacramentũ. vide Patrẽ à Caſtro loco citato.

Alex m. 2 art 1. S. Tho. ar. 2. D. Bona ar. 1. q. 2 Ricar. q°. 1. ar. 1. Scot. q. 1. ibidem.

Art. II. An Chriſma ex balſamo, & oleo confectum ſit propria huius ſacramenti materia?

Opinio fuit Canoniſtarum, vt refert Marſilius d. 5. q. 1. ar. 1. dicentium ſolam manuum impoſitionem fuiſſe loco materiæ,

teriæ, à Christo institutam. Ecclesiam veró determinasse esse materiam Chrismatis vnctionem.

CONCL. I.

Chrismatis vnctio est necessaria materia ad sacramentum Confirmationis conficiendum. definita est in Conc. Flor. sub Euge. IIII. his verbis. secundum sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma ex oleo confectum, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem bonæ famæ significat.

CONCL. II.

Solum est de necessitate huius sacramenti vnguentum ex oleo confectum: minister tamen balsamum verum, vel adulterinum nõ miscens Mortaliter peccabit. colligitur conclusio ex cap. Pastoralis extra de sacramentis non iterandis, vbi habetur non esse iterandam Confirmationem in eo qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus. Concl. autem Flor. & alij textus iuris canonici, in quibus Chrisma ex oleo, & balsamo dicitur esse materia, intelliguntur de ratione præcepti, & significationis; non autem de necessitate, & essentia confirmationis.

CONCL. III.

Sicut aqua naturalis enim de necessitate Baptismi; ita oleũ oliuarum est de necessitate confirmationis. Nam oleum oliuarũ facile haberi potest, & ex cõsuetudine Ecclesię patet quã teste B. Dionysio ab Apostolis accepimus qui Chrismare ex oleo confecto confirmabant paruulos. *D. Dionysius.*

CONCL. IIII.

Consecratio Chrismatis est de necessitate confirmationis. definita enim est in con. Flor. vbi ita dicitur materia huius sacramenti est Chrisma benedictum.

CONCL. V.

Potestate ordinaria à solo Episcopo potest Chrisma benedici. patet per conc. Flor. vbi habetur: materiam huius sacramenti esse Chrisma per Episcopum benedictum.

CONCL. VI.

Ex commissione Papæ poterit etiam à simplici sacerdote benedici, eritq; sufficiens materia. Ratio est, quia si Sacerdos simplex potest ex dispensatione confirmationem ministrare; vt colligitur ex conc. Flor. multò magis poterit illi materiæ benedictio, & consecratio committi. *Sco. qõ. 1. vbi supra.*

Art. III. Quænam est Confirmationis forma? *Alex. ar. 2. D. Thom ar 3. D. Bon. art. 1. q. 1 Ricar. q. 2. art. 4 Sc qõ. 1. vbi supra.*

CONCL. I.

Sacramenti confirmationis forma hæc est, signo te signo

crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti amen. definita eſt expreſsè in Conc. Flor.

CONCL. II.

Confirmatio debet in formam crucis fieri ita; ut Miniſter crucis ſignum in ſuſcipiente depingat. alioqui enim forma ſacramenti eſſet falſa, quod fieri non poteſt. nam ſi dicit ſigno te ſigno crucis, & non format crucem, mentitur.

CONCL. III.

Vnctio Chriſmatis, in fronte fieri debet ita: vt ſi alibi fiat, nullum ſit ſacramentum. definita eſt in Con. Flor. vbi ita habetur. effectus huius ſacramenti eſt vt in eo detur Spiritus Sanctus ad robur; ideoq. in fronte, vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen, & præcipuè eius crucem confiteri erubeſcat. & in Can. presbyteris de conſecr. d. 4. & in Can. nouiſsimè de conſecr. d. 5.

Alex. q. 26. m 2. art. 1. S. Tho. art. 5. 6. & 7. D. Bona. art. 2 per tres quæſt Ricar. q. 1. art. 4. Sc. q. 3. vbi ſupra.

Art. IIII. Qui nam ſunt huius ſacramenti effectus?

CONCL. I.

Confirmationis ſacramẽto imprimitur character. Definita eſt in multis Cõcilijs. vide ſupra q. 4. de ſacramẽtis in genere.

CONCL. II.

Character confirmationis præſupponit Baptiſmi characterem. ita enim definitur in can. nouiſsimè, & can. omnes de conſecr. d. 5. nam Baptiſmus ianua, & fundamentum omnium ſacramentorum eſt; vt conſtat in cap. veniens de presbytero non baptizato.

Diffic. An Confirmatio conferat gratiam?

Alex. m. 1. ar. 2. S. Tho. ar 7. D. Bona. Rica. q. 2. & Sco. ibidem.

CONCL. I.

Confert quidem: ita enim definitur in conc. Flor. & Trid vt conſtat ſupra q. 3. de ſacramentis in genere.

CONCL. II.

In primitiua Eccleſia dabatur confirmatis Spiritus Sanctus viſibiliter. quia accipiebant aliqua dona ſupernaturalia; vt donum linguarum, & prophetiæ &c. vt conſtat Acto. capit. 8. & 19. & tunc erat expediens, vt homines ad fidem noſtram allicerentur. nunc autem cum ſit Euangelium copioſiſsimè confirmatum, non ſunt talia miracula neceſſaria.

Act. c. 8. & 19

CONCL. III.

Vt confirmatis gratia daretur, erat neceſſaria diſpoſitio quædam. ſ. præuia contritio, aut attritio inuincibiliter exiſtimata contritio: non tamen erat neceſſaria actualis confeſſio, quàm ſola Euchariſtia exigit. vt infra habetur. nã Cano

vt

vt ieiuni de consecr. distin. 5. vbi habetur confirmandos præuia confessione debere accedere, non est præceptum, sed consilium; vt consuetudo optima legum interpres declarat.

CONCL. IIII.

Gratia, quæ datur in confirmatione, in genere qualitatis non differt à gratia aliorum sacramentorum, sed solum pœnes effectum. s. ex pacto diuino. probata est conclusio supra. art. 3. q. 3. de sacramentis in genere.

Art. V. An Confirmatio sit sub præcepto?

Duæ sunt de hac re opiniones. Prima Ric. & Palu. & Dur. vbi supra, & Siluestri. ver. confirmatio. §. 3. asserentium esse sub præcepto, saltem tempore quo imminet alicuius tyranni persequutio, vel quando se offert occasio Episcopi ministrātis confirmationem. Secunda huic contraria est. D. Tho. art. 8. vbi supra & Adria. in q. de confirmatione art. 1.

Alex. q. 28. m. 2. ar. 1. D. Bon. quæst. 2. art. 3. Ricar. et alij q 1. ar. 5.

CONCL. I.

Sacramentum confirmationis non est sub præcepto. Ratio est, quia non est sub præcepto diuino: propterea quod in sacra scriptura solum legitur præceptum de Baptismo Marc. vltimo, & de Eucharistia Ioan. 6. & de pœnitentia Lucæ 13. neq; etiam sub prçcepto Ecclesiastico, quia cum tale prçceptum esset affirmatiuum debuisset Ecclesia determinare tempus recipiendi confirmationem, vt determinauit Quadragesimæ tempus, & reliquos ieiunij dies; quod tamen non determinauit.

Marci vltimo. Ioan. 6. Lucæ. 13.

CONCL. II.

Peccat mortaliter, qui sacramentum confirmationis per contemptum prætermittit. nam est sacrilegium. qui enim sacramentum contemnit, & Christum sacramenti authorem spernit.

Art. VI. De suscipientibus Confirmationem. an sit conferenda paruulis ante vsum rationis?

Duæ sunt opiniones. Prima glossæ in can. vt ieiuni de consecr. d. 5. asserentis non esse conferendam ante ætatem 14. annorum hanc sequitur Marsil. in 4. q. 5. art. 4.

Contraria opinio est Alex. q. 28. m. 2. art. 1. & m. 5. art. 1. Ric. q. 1. ar. 3. vbi supra & D. Bona. ar. 3. q. 1. & Sancti Tho. vbi supra ad secundum: quos sequitur Gabri. hac dist. 7.

CONCL. I.

Si confirmatio ante vsum rationis ministratur, verum erit sacramentum. patet; quia ibi concurrunt omnia necessaria ad veritatem sacramenti quæ in conc. Flor. proponuntur, nempe, materia, forma, & ministri intentio.

CONCL. II.

Conuenientius Confirmatio pueris ante vsum rationis ministratur. Ratio est, quia adueniente ætate adulta habebit suam efficaciam; quemadmodum fides, quæ in Baptismo infunditur. lege Alex. & D. Bona. vbi supra.

Opinio contraria est Palud. Mag. Soto d 7. art. 8. & Syluest. verbo Confirmatio. §. 4. qui tenent non expedire, vt paruulis detur.

Difficultas. An quis poßit ante Baptismum confirmari?

CONCLVSIO.

Nequaquam; nec valebit Confirmatio, constat ex Can. si quis; & Can. veniens de presbytero non baptizato vbi; vt de nouo baptizetur, & ordinetur, præcipitur quia Baptismus ianuam omnium sacramentorum esse, definitur.

Art. VII. An ministerium Episcopale sit de neceßitate huius sacramenti?

Duæ sunt opiniones. Prima Alex. q. 28. in primo ar. 3. Sancti Thom. vbi supra art. 11. Ric. q. 1. art. 2. Palud. & Mar. & aliorum, quos statim citabimus. qui asserunt ministrum ex officio esse Episcopum, & ex commissione Papæ esse simplicem Sacerdotem.

Contraria opinio est Dur. vbi supra q. 3. & 4. & Adrian. Confirmatione. art. 3. hi defendunt, ita esse ministrum solum Episcopum: vt si simplex Sacerdos ex commissione Papæ confirmaret, nullum conferret sacramentum.

CONCL. I.

Ordinarius minister huius sacramenti citra dispensationem est solus Episcopus. definita est in multis Concilijs, & nouissime in Conc. Trid. Sess. 7. de Confirmatione Can. 3. vbi dicitur. si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum: sed quemuis simplicem Sacerdotem Anathema sit.

CONCL. II.

Ita est de lege confirmationis minister Episcopus, quod si per simplicem Sacerdotem ministretur, sit nulla. definita est à Melchiade Papa Canon. de his. & ab Eusebio Papa Can. manus de consecr. dist. 5.

CONCL. III.

Simplex Sacerdos, potest baptizatis ex commissione Papæ Confirmationem ministrare. patet ex Con. Flor. vbi habetur legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili, & vrgente causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse sacramentum.

Hin-

Hinc colligitur nō esse credēdū Durando dicenti olim Papam dispensando errasse. quia Con. Flor. approbat illam dispensationem, quàm non approbasset, si erronea esset. APPEN. Duran. caute legendus.

Prima diffic. An qui bis eundem confirmaret, efficeretur irregularis?

Opinio est Canonistarum affirmans.

CONCLVSIO.

Peccaret quidem talis minister, sed non esset irregularis. probatur ex capite vno; & ex capite nouissimè, & ex capite dicto de consecr. d. 5. vbi nulla pœna irregularitatis iterantibus Confirmationem imponitur.

Secunda diffic. Cur iterantibus Baptismum, & non confirmationem imposita est?

Respondeo olim fuit quædam hæresis de iteratione Baptismi; non autem de iteratione Confirmationis, & ob hanc causam punit Ecclesia tali pœna iterantes Baptismum & non Confirmationem D. Bona. hoc loco non sensit quod ille falso imponitur. nam in prima dubitatione super literam, ita inquit; dicendum quod quamvis Sacerdos non possit propria authoritate, tamen pro causa necessaria summus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis potest alij, quàm Episcopo committere, & ille non facit authoritate sua, sed authoritate sibi commissa, quid quæso clarius dici potuit? deinde art. 1. q6. 3. huius distinct. respondens quæstioni positæ, ita ait; illud sacramentum nec potest, nec debet per alios dispensari, etsi alij præsumant, nihil faciunt. vbi per verbum præsumunt, declarasse loqui de Sacerdote non habente commisionem. Vulgo enim ita dici solet, (*Non veis hulano que presume de hijo d'algo, porque no lo es de solar conocido. ni por merced del Rey:*) ita præsumere dicuntur esse ministri huius sacramenti, qui nec sunt ministri, (*De solar conocido*) id est, ex officio: vt Episcopi) *Ni por merced del Rey*) id est, ex commisione Papæ, & hi nihil faciunt. Sco. etiam facile ab eadem calumnia liberatur. nam q. huius distinctio. ferè in principio ita scribit, materia remota est Chrisma &c. sanctificatum ab Episcopo, vel ab alio, cui talis sanctificatio poterit committi, & paulo inferius, minister est Episcopus, vel alius cui committi potuit. quis igitur non videt falsò, vt sæpissimè fit accusatum fuisse. D. Bon. liberatur. D. Bonauentura. Sco. liberatur.

Fuit error Ioan. Vvicleff dicentis Confirmationem posse dari à quolibet presbytero, & sola cupiditate fuisse Episcopis reseruatam. Errauit & Armachanus asserēs iure diuino Diaconos esse huius sacramenti ministros: contra hos sunt concilia in 1. concl. adducta. Hæresis.

Art. Vlt. De patrino Baptiſmi, & Confirmationis?

S. Thom. q. 67 art 5. et 9. et qõ. 72. art. 10. Alex m. 1. ar. 3. Ricar. art. 7. q. 1. et 2. vbi ſupra.

CONCL. I.

Patrinus neque in Baptiſmo, neque in confirmatione e de ſacramenti eſſentia. patet ex Conc Flor. vbi materia, forma, & intentio miniſtri dicuntur eſſe de neceſsitate ſacra menti.

CONCL. II.

Deſideratur aliquis ſiue vir ſiue fœmina, vel ad ſummu & vnus, vna, qui baptizatum de ſacro fonte, in ſuam tutelan & inſtructionẽ accipiant. definita eſt in multis. Tex. 30. q. 1 de conſecr. d. 4. in can. Catechiſmo & 6. ſequentibus, & titu. de cognatione ſpirituali. m. 6. & tandem in conc. Tri Seſſ. 24. de reformatione matrimonij cap. 2. vbi reperi quæ à parrocho præſtanda ſunt.

CONC. III.

Talis patrinus tenetur habere curam illius ſuſcepti, ſi n ceſsitas illud poſtulauerit. patet auctoritate D. Aug. qui patrinis loquens in quodam ſermonẽ paſchali, illos fideiuſ res pro paruulis vocat. notanter dicitur ſi neceſsitas &c. q ſi neophytus inter chriſtianos nutriatur, excuſantur pat exiſtimantes à parentibus inſtrui; quod ſi præſumerent m ribus fidei contrarijs inſtrui; tenerentur ſuum facere offic animaduertant, quæſo hoc, qui ſuſcipiunt filios Agarenor in regno Valentiæ.

D. Auguſtin⁹.

Dubium.

Quæ debent patrini paruulos docere?

Reſpondeo quæ in can. Catechiſmo & Can. vos autem conſecr. d. 4. traduntur. etſi baptizatus ſit infidelis, de doctos patrinos eligere: vt ſcribit Bea. Dionyſius cap. vlt Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſi verò ſit filius fidelium, non eſt ceſſarius doctus patrinus: vt ex tertia concluſione conſta

B. Dionyſius.

De patrino Confirmationis?

CONCLVSIO.

Patrinus Confirmationis debet confirmatum in pugna rituali erudire. nam ſi in bello temporali veterani milites rones docere debent conuenientius multò in ſpirituali pu erit hoc neceſſarium.

Alex q. 28. m 3. per tres art.

De cognatione ſpirituali quæ hinc contrahitur.

lege infra ſuper d. 42.

De ritibus & carimonijs ſacramenti Confirmationis

Lege S. Tho. vbi ſupra art. vlt. Ric. hac d. art. 6. & quæ ſupra dicta ſunt de neceſsitate huius ſacramenti. de ſtatuta Eccleſiaſtica, vt. ſ. tam miniſter confirmationis, q confirmandus ſint ieiuni; & conſtat in can. vt ieiuni, & ca Epiſc

Episcopi. de consecr. d.5. non esse de essentia Confirmationis solet enim plerumq. à prandio etiam absq. veniali culpa administrari. Hactenus de Confirmatione.

FLORES QVÆSTIONVM Sacramenti Eucharistiæ.

De hoc sacramento disserit Magister à d. 8. vsque ad 13. inclusiuè, & ibidem Scholastici. DD. lege etiam totam distinctionem secundam de consecr. & titulum de Celebratione Missarum extra, & conc. Triden. Sess. 13. & 21. & Patrem à Castro verbo Eucharistia, & ver. Missa contra hæreses & Alex. & S. Tho. infra citandos.

QVÆSTIO PRIMA DE HIS, QVÆ AD ESSENTIAM EVCHARISTIAE PERTINENT.

Hac quæst. dist 8. Magistri explicatur.

Art. I. An Eucharistia sit noua legis Sacramentum? *Alex. q. 31. m. 2. S. Tho. q. 73. ar. 1. 2. reliqui d. 8. Ric. q̄o. 1. 2. primi artic. Sco. q. 1. Durā. quæst. 1.*

CONCLVSIO.

Eucharistia nouæ legis est sacramentum. definita est in conc. Flor. & Trid. Sess. 7. Can. 1. & Sess. 13. cap. 3. & constat etiam ex definitione sacramenti in principio huius libri posita.

Prima diffic. Erit ne Sacramentum Eucharistia consecratio à Sacerdote facta? An Hostia consecrata, vel Hostia sumptio? *Alex. & cæteri vbi supra.*

Duæ sunt opiniones. Prima Gabr. hac. d. q. 1. quem sequuntur alij Doctores, quos citat Soto in 4. d. 8. art. 1. qui existimant quodlibet istorum trium esse sacramentum.

Contraria opinio est Scoti vbi supra in solutione ad Tertiū.

CONCLVSIO.

Neque consecratio, neq; sumptio, sed sola Hostia consecrata est Eucharistiæ Sacramentum. Primum constat ex con. Flor. cap. 3. citato; vbi legitur. statim post consecrationem verū Domini nostri est corpus &c. vbi apertissime distinguit consecrationem ab Eucharistiæ sacramento. deinde sumptio nihil aliud est, quàm sacramenti applicatio ad illud manducandum: quamobrem non erit sacramentum. applicatio enim ignis ad aliquid comburendum non est ignis: quare Hostia consecrata erit sacramentum, ea enim est, quæ adoratione latriæ adoratur. in custodia reseruatur, infirmis defertur, & sanis in Ecclesia administratur.

Secunda diffic. Cum Hostiæ species, & verum Christi corpus reperiantur, quod istorum erit sacramentum?

Alex.m.3 & reliqui vbi supra.

Tres sunt opiniones. Prima Scoti loco citato ad . Tertium & 4. asserentis species visibiles tantum esse sacramentum. Secunda tribuitur Thomæ Vualdensi lib. 2. de sacrament. ca. 21. hic tenet species dici sacramentum Analogicæ: quia indicant Christi corpus, quod est verum sacramentum. vt dicitur vrina sana, quia est index sanitatis.

Tertia est Capreoli d. 6. q. 1. art. 3. opinantis supponere Eucharistiā pro vtroq. scilicet pro speciebꝰ, & corpore Christi: sicut homo supponit pro corpore, & anima rationali.

CONCL. I.

Eucharista ex æquo pro speciebus, & Christi corpore non supponit. patet. quia Eucharistia est nomen connotatiuum, & tale nomen non supponit æqualiter pro vtroq. significato.

CONCL. II.

Eucharistiæ sacramentum, si proprijssimè sumatur, supponit pro speciebus, & non pro Christi corpore. Et nota hoc esse preter naturam termini connotatiui, qui supponit proprijssimè pro materiali. conclusio ex definitione sacramenti constat. sacramentum enim est signum sensibile &c. vel inuisibilis gratiæ visibilis forma. id est, visibile signū, & corpus Christi non videtur, sed species sacramentales.

Tertia diffic. Cum sint duæ species panis scilicet & vini, erit ne Sacramentum Eucharistiæ vnum, an plura?

Duæ sunt de hac re sententiæ. Prima Gabriel d. 6. q. 2. affirmantis species vini constituere aliud sacramentum à speciebus panis. Secunda communis, & contraria sentētia est Alex. Alen. Bea. Tho. S. Bona. & Ricar.

Alex.m.3. D. Tho.ar.2. D. Bona.q.2 art. 1. Ricar. vbi supra.

CONCLVSIO.

Species, panis, & vini sunt vnum sacramentum vnitate integritatis, & aggregationis, Perspicua est conclusio ex parte finis huius sacramenti, qui est reficere mentem, & vt corporalis refectio non integratur solo cibo, aut potu, sed vtroq. simul: ita hoc sacramentum ambabus speciebus integratur.

Art. II. An hoc sacramentum fuerit conuenienter à Christo Iesu in vltima Cœna institutum, atq; in lege naturæ, & veteri multis figuris præsignatum?

Alex q.29 m. 1. S. Tho. art 5. D. Bona. art. 1. q. 1 Ricar. q. 6. 3. Sco. q 3. Duran. q. 1. vbi supra.

CONCL. I.

Hoc sacramentū fuit à Christo Domino institutū definita est expresse in Con. Trid. cap. 1. de sacramētis in genere. Sess. 7. & Sess. 15. ca. 2. lege can. Quia corpus de cōsecratione dist. 2.

CON-

CONCL. II.

Conuenientissime fuit completo agni paschalis typico paschate in vltima Cœna institutum. hæc constat authoritate Conc. Trid. cap 2. citato, & authoritate Eusebij in can. quia corpus, modo allegato, vbi inquit. quia corpus assumptũ ablaturus erat ab oculis. & allaturus sideribus, necessarium erat: vt in die cœnæ sacramentum nobis corporis, & sanguinis cõsecraretur. vbi glossa necessarium, id est, vtile, & congruum. vide etiam cano. liquido, & cano. accipite eadem dist.

CONCL. III.

Hoc sacramentum non vna tantum, sed pluribus fuit figuris conuenienter significatum. probatur. 1. Cor. 10. omnia illis in figuram contingebant. & cano. præterea ad consecr. d. 2. can. quid sit. deinde quia res, quæ vno nomine propter suã maximã excellentiam, & effectuum multitudinem explicari non possunt, conuenientissime multis nominibus & signis declarantur. talis est Eucharistia. habet enim plurimos effectus; & est ineffabilis excellentiæ: vt infra patebit; vide apud D. Bona. & Alex. plurimas figuras. *1. Corinth. 10.*

Hinc error Vvicleff negantis veritatem corporis Christi in hoc sacramento, & eiusdem figuras, confutatur. vide Tho. Vualdensem tomo, 2. de sacramentis. c, 19. & infra. *Hæresis,*

Art. III. An panis triticeus aqua coagulatus sit propria, & necessaria huius sacramenti materia.

De hac re sunt tres opiniones. Prima est Alberti magni Palu. Tho. de Argentina, quos citat, & sequitur Gab. super can. Lect 37. dubio primo qui dixerunt materiam esse panẽ cuiuscunq; frumenti & per frumentum triticum, & hordeum intellexerunt.

Secunda opinio est Caiet. ar. 3. S. Tho. asserentis posse fieri consecrationem in quocumque pane vsuario: ita quod si cẽtenaceus panis, aut maiceus sit in vsu alicui prouinciæ poterit in illo fieri consecratio. nam dicit materiam esse panem absolute dictum.

Tertia opinio communis tenet solum panem triticeum esse huius sacramenti materiam. *Alex. q. 32. m 1. 2. 3. S. Tho qõ 74. 1. 2. 3 art. D. Bona. Ricar Sco. vbi supra Dur d. 11. quæst. 4.*

CONCLVSIO.

Materia necessaria ad conficiendam Eucharistiam est solus panis triticeus, cuiuscumque speciei sit. Prima pars cõclusionis est definita expresse in Conc. Flor. sub Eugenio III. & in Conc. Cartag. & habetur can. in sacramento de consecratione d. 2. vbi per frumentum intelligit panem triticeum. vt Conc, Flor. declarauit. Secunda pars. s. cuiuscunque sit speciei,

cici.est quoq. verissima. nā sicut licet modo in vino albo, vel nigro consecrare ob hoc solum; quia album vinum & nigrū in genere conueniunt, quamuis specie distinguantur. licebit etiam in pane triticeo consecrare, quamuis vnum triticum ab alio specie differat, cum genere conueniant.

1. APPEN. *De spelta affirmate loquitur Alexan. vbi supra.* Hinc integrum est in farre, siligine, spelta, & typha Eucharistiam conficere. Ratio est, quia quamuis grana specie differant; conueniunt tamen in genere tritici, sub quo continentur. nam habēt grana eiusdē figuræ cum tritico, & ex illis panis vsuaris cōficitur qui ab omnib⁹ panis triticeus nominatur.

2. APPEN. In pane hordeaceo, vel milio, vel in borea non potest consecratio confici. Ratio est, quia non sunt de genere tritici quāuis sint fruges de genere frumēti, quod est nomē generale ad omnes aristarū fruges; triticū verò sub alternū genus est.

3. APPEN. In pane maicio non potest fieri consecratio quia differt à genere tritici; quod declarant figura, quantitas, atque qualitas, quibus à granis tritici, grana maiicij segregantur.

4. APPEN. Poterit nemo consecrare in pane amylij, siue amydi. Ratio est, quia etsi amylium ex lacte tritici fiat, assumit tamen alias qualitates tota specie à genere tritici differentes; quemadmodum medici, in hac parte consulendi, affirmant.

5. APPEN. Hinc Caiet. Gloss. vbi supra, qua dicit quando panis triticeus dicitur esse materia Eucharistiæ, est intelligendū principaliter, & indubitatè, est omnino releganda. nam ex eo sequeretur, quod quando idem Concilium dicit aquam naturalem esse Baptismi materiā, posse quoque interpretari principaliter, & indubitate: non tamen necessario; ita quod liceret in aqua artificiali baptizare quod est erroneum. *Caiet. Cauen.*

Prima diffic. Aqua naturali deficiēte, poterit ne panis aqua roseacea coagulatus consecrationis materia esse?

Alex. vbi supra. S. Th. ar. 7. ad 3. Ricar d. 11. q. 1 2. artic. 2. Scot. vbi supra D. Bona q. 11 quest. 4. Alexan. m. 2. vbi supra.

Sanctus Tho. opinatur non posse esse materiam contrariam tenet Caiet. opinionem,

Secunda diffic. An deficiente pane cocto, in massa cruda poßit fieri consecratio?

CONCLVSIO.

Massa cruda nequaquam esse potest consecrationis materia. Ratio est, quia Dominus Iesus instituit, vt materia esset panis, quo homines communiter ad vitam tuendam vtuntur. At vero massa cruda neque vescuntur, neque vitæ tuendæ vtentibus prodesset.

Tertia diffic. Differt ne massa specie à pane?

Duæ sunt opiniones vna Sco. vbi supra opinantis differre specie accidentali tantum, altera Caiet. vbi supra. S. Tho. art. 3. vtraque est probabilis. *dist. 11. q. 6.*

CON-

CONCL. I.

Massa specie essentiali differt à pane. Ratio est, nam: vt vua agrestis differt specie essentiali à matura; ita massa à pane vt enim ex vua agresti per calorē solis efficitur vua matura; ita per calorē ignis ex massa fit panis. *Caiet est.*

CONCL. II.

Massa à pane accidentali tantum specie differt. Ratio est, quia exhalatio humiditatum, quæ fit ex massa per ignem, nō constituit specificam differentiam inter panem, & massam. Artifex enim vt Pistor, non potest mutare speciē essentialem. *Scoti est.*

Quarta diffic. Deficiente Vino, poterit ne Sacerdos celebrans solum panem consecrare?

CONCL. I.

Qui solum panem consecraret vere conficeret sacramentū. Ratio est, quia forma cōsecrationis panis, siue corporis Christi, à consecratione calicis, aut e conuerso minime dependet. nam si Sacerdos consecrata Hostia subito moreretur, vel non conficeret calicem, vere consecraret.

CONCL. II.

Peccaret tamen Mortaliter Sacerdos, qui deficiente vino, panem tantum consecraret. Ratio est, quia sicut nutritio corporis fit non per cibum tantum, sed per cibum, & potum; ita & nutritio spiritualis, quæ hoc sacramēto repræsentatur. atq; ita Sacerdos non plenè repræsentaret, & ex consequenti peccaret. tum etiam quia Christus instituit; vt sub vtraque specie hoc sacramentum conficeretur, & celebraretur.

Quinta diffic. An poßit Sacerdos quantamcunque panis, & Vini quantitatem consecrare? *Alex. q. de ma. vbi supra San. Tho. ar. 2. Ric. d. 10. art. 7. d. Bona. d. 11. qō. 4. Scot. d 10.*

Tres sunt opiniones. Prima D. Bona. d. 10. q. 4. qui negantem partem tenet. Secunda est Caiet. vbi supra S. Tho. ar. 2. cui probabile videtur, vini materiam futuram esse certæ quā titatis: vt pote vnius calicis.

Tertia est communis lege S. Tho. art. 2. Dur. q. 6. locis citatis, & Paluda d. 11. q. 1.

CONCLVSIO.

Sacerdos de facto potest panis, & vini quantitatem, quantumuis magnam consecrare. Ratio est, quia in tali consecratione concurrunt omnia quæ sunt de necessitate consecrationis: vt pote materia, forma, & intentio ministri.

Sexta diffic. Quemadmodum Ecclesia determinat absoluendi potestatē circa hanc materiam, & non circa illā poterit ne etiam certam panis & Vini quantitatem determinare? *dd. vbi suprā*

CON-

CONCL. I.

Nequaquam poteſt materiæ panis, & vini quantitatem determinare. Ratio eſt, quia poteſtas abſoluendi præſupponit ſubditorum iurisdictionem, quæ quidē ex ſua natura determinari & ad certum numerum redigi poteſt: At vero cōſecrandi poteſtas nullam præſupponit iuris dictionem, ſiue dominiū ita enim poteſt Sacerdos alienum panem, quemadmodum, & proprium conſecrare. ac proinde conſecrandi poteſtas ad certam materiam non determinatur.

CONCL. II.

Sacerdos immenſam panis, & vini quantitatem conſecrans quæ in cuſtodia ſeruari non poſſet mortaliter peccaret. ratio D. Bona. eſt; quoniam eſſet in contemptum tanti ſacramēti, vileſceretq. Euchariſtia.

Septima diffic. Poterit ne & minimam quantitatem materiæ Sacerdos conſecrare?

Maioris caute legendus. Duæ ſunt opiniones. Prima & cauenda eſt Ioannis Maioris. d. 10. q. 1. qui duo dicit. Primum problema eſſe probabile An fracta Hoſtia maneat Chriſti corpus. Secundum in minima panis parte ſeorſum ſumpta conſecrationem fieri non poſſe. Secunda opinio eſt communis.

Vide S. Thom. vbi ſupra, & in 4. d. 11. art. 2. Ricar. diſt. 10. art. 7.

CONCL. I.

Erroneum eſt affirmare fracta Hoſtia conſecrata.

Flo. Theo. q. ſuper. 4. lib. ſent.

totum Chriſtum ſub qualibet particula, quantumcunque minima non manere. patet. quia in particula quantumcumque minima manent ſpecies conſecratæ ſub ſpecie panis. quare manebit ibi Chriſtus. manentibus enim ſpeciebus conſecratis manet Chriſtus.

Vide Tho. Vual den. 1. tomo de ſacrā. ca. 39.

CONCL. II.

In qualibet particula panis ſeorſum ſumpta, quantumcunque minima poteſt fieri conſecratio. quia panis eſt materia, & talis particula eſt verus panis. eſt enim corpus homogeneū: quemadmodum quælibet gutta aquæ eſt aquā, eſt etiam talis particula quanta, & demonſtrabilis per pronomen hoc, & ex conſequenti ſenſibilis.

Octaua diffic. Quando Sacerdos intendit conſecrare 10. Hoſtias tantum, ſi facta conſecratione, reperiantur 11. erunt ne omnes conſecratæ?

CONCL. I.

Ricar. d. 10. q. 2. ar. 7. Duran vbi ſupra q. 7 Silueſt. Ver. Si Sacerdos habeat intentionem conſecrandi totam materiam, quam ante ſe habet, etſi opinetur 10. eſſe Hoſtias, ſi 11. fuerint repertæ, omnes erunt conſecratæ. Ratio eſt, quia effe-

effectus consecrationis, non sequitur consecrantis opinionẽ sed intentionem. Sacerdos enim hæreticus, quamuis opinetur non esse Christum sub Hostia consecrata, si habeat intẽtionem faciendi quod Christus instituit faciendum, verè consecrabit; perinde & infidelis, si habeat intentionem Christi dũ baptizat, etiam si se nihil facere existimet, verè baptizabit. Euchariſt. 2. §. 7. & 8.

CONCL. II.

Si Sacerdos ignorans numerum hostiarum, habeat intentionem consecrandi decem Hostias, & facta consecratione fuerint 11. inuentæ, nulla illarum erit consecrata. Ratio est, quia intentio est de necessitate consecrationis; & cum Sacerdos non habuerit intentionem consecrandi 11. Hostias, sed 10. tantum non erunt 11. consecratæ. deinde neque decem, quia intentio illa non sufficit ad consecrationem alicuius Hostiæ, sub qua quælibet Hostia includi & excludi potest, quod contigit in casu posito. quia quælibet illarum 11. exclusa adhuc remanent 10. atque ita sequitur quamlibet illarum esse inclusam, & exclusam, consecratam, & non consecratam, quod est absurdum.

CONCL. III.

Si verò Sacerdos mente signauerit 10. Hostias quas intendit consecrare, & repertæ fuerint 11. decem signatæ erunt consecratæ v.g. si non sint benè dispositæ, & sub aliqua signatarum alia lateat, latens non consecrabitur. Ratio est, quia illud quod specialiter cadit sub intentione consecrantis, consecratum remanet. nam vt ex prima conclusione constat, effectus consecrationis, consecrantis intentionem sequitur, non opinionem.

Hinc Hostiæ tantummodo mente signatæ erunt duntaxat consecratæ. nam illud consecratur, quod sub speciali consecrantis intentione cadit. APPEN. 1

Hinc Sacerdote intendente consecrare 10. ex illis 11. quas mente non signat, nulla illarum erit consecrata. patet eodem argumento; quo 2. concl. fuit confirmata. APPEN. 2.

Hinc guttulæ vini in aduertẽter in pede calicis remanentes, consecrato calice, non erunt consecratæ, quia non habuit intentionem consecrandi guttulas illas. APPEN. 3.

Hinc si Sacerdos multas Hostias consecrandas assumat, de quibus dum consecrat, non aduertit, omnes nihilominus erũt consecratæ sufficit enim intentio virtualis; quoniam si aduerteret, omnes consecrare vellet; cum ad hunc finem illas in altari collocauerit. APPEN. 4

Hinc Sacerdote habẽte coram se integram Hostiam, & intendente consecrare dimidiam tantũ Hostiæ partẽ dexterã. s. APPEN. 5.

vel sinistram mente linea aliqua intellectuali signatam, illa tãtum pars erit consecrata. Ratio est, quia sola illa pars cadit sub speciali consecrantis intentione.

APPEN. 6. Hinc si Sacerdos intendat consecrare alteram Hostiæ partem indeterminatè, nulla pars consecrata remanebit, eadem ratione, qua. 2. concl. confirmatur.

Nona diffic. An sit necessaria materiæ præsentia: vt fiat consecratio?

d.10.q.2.ar.2 Duæ sunt opiniones vna Maioris asserentis posse à Sacerdote consecrari materiam post parietem existentem. Altera d.11.q.2.ar.1 est D.Tho. Primum est animaduertendum, illud vocari præsens quod tangitur, vel videtur, vel tangi, aut videri potest etiam si sit à tergo. hoc enim docet communis loquendi vsus vnde vinum in vtre, & panis in arca, quæ coram est, præsens esse dicitur.

CONCLVSIO.

De necessitate, & ratione consecrationis est materiæ præsentia, Ratio est, quia si materia non esset præsens, illa forma hoc est enim, &c. esset falsa. nam pronomen hoc in forma collocatum non rem absentem, sed præsentem demonstrat. quid; quod sequeretur nefandum, absurdum; nempe Sacerdotem Valentiæ existentem, panem, qui Romæ est, consecrare posse. nil enim refert, qua, quantaq. distantia absens sit, si illius præsentia non desideratur.

Hæreses. Hinc euelluntur tres errores. Primus Artiteritarum, qui dicebant materiam esse panem cum caseo mixtum. Secundo Cathaphrygum asserentium materiam esse panem sanguine infantis coagulatum; quem variis punctionibus eliciebant. Tertius nefandissimus fuit Manichæorum, qui affirmabant materiam esse panem semine humano coagulatum. lege præter conclusiones positas can. in sacramentorum oblationibus de consecr. dist. 2. & Patrem à Castro. ver. Eucharistia hæresi prima.

Alex.q.32.m 1.S.Tho.q.74 art.4. d Bona.d.11.ar.2. Sco.d.11. q.6 dur.ead.d.q.4 Ric.d.11.art.2 q°.3 & d. Ansel. epist. de sacr. & azymo ad Græcos Lyra super Matth.cap.26 Abulen. super Exod.c. 12. et Latius in suo defensorio. Hebrei.

Art. IIII. An Christus Iesus in pane fermentato, vel azymo consecrauerit?

Lis est maxima inter Doctores Græcos, & Latinos: Latini affirmant Cœnasse Iesum luna 14. quando iam cœperat azymorum vsus, ac proinde in azymis consecrasse. Græci autem luna. 13. Cœnasse tenent, & ex consequenti infermentato pane confecisse. Burgensis super Matth. cap. 2. videtur græcis subscribere.

CONCL. I.

Cum Dominus Iesus luna. 14. quando iuxta legis ritũ agnum immolare tenebantur, Eucharistiæ Sacramentum instituerit,

tuerit, perspicuum est non in fermentato, sed in azymis confecisse. confirmatur authoritate trium Euangelistarum. nam apud D. Matth. legitur prima autem die azymorum accesserunt ad Iesum dicentes vbi vis paremus tibi pascha? & paulo inferius. Vespere autē facto, discumbebat Iesus cum discipulis suis &c. & apud S. Mar. habetur: die azymorum, quando pascha immolabant Iudæi, dicunt ei discipuli, quouis eamus & paremus tibi &c. & post pauca. Vespere autem facto &c. vbi, aliquibus interpositis, subditur. & manducantibus illis accepit Iesus panem &c. tandem apud Beatum Lucam scribitur. venit aūt dies azymorum &c vsq; ad verba accepit panem, &c. ex quibus locis Pater à Castro Ver. Eucharistia hæresi secunda doctissime conclusionem colligit.

Matth. cap. 26.

D. Marc. c. 14.

D. Luc. cap. 22.

Prima diffic. An Ecclesia Græcorum peccet in fermentato conficiendo?

CONCLVSIO.

Quamuis Græci errent credentes latinos conficientes in azymo verum Christi corpus. non consecrare; in fermentato tamen conficientes non peccant; peccarent autem si iuxta ritū suæ Ecclesiæ nō cōficerēt definita est expresse in Concl. For. ita enim habetur. declaramus in azymo, vel fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesq. in altero, ipsum corpus Domini cōficere debere; vnusquisq. scilicet iuxta suæ Ecclesiæ oriētalis, siue occidētalis cōsuetudinē.

Alexan. m. 15 S. Tho. D. Bona. vbi supra Ric d. 11. art. 2. qō. 4. Sco. & Dur. vbi supra.

Colliges hinc, errauit igitur Sco. dubitans contra definitionē Cōc. nā dicit Græcos fortassis peccare conficientes in fermentato. Verū enimuero Sco. non errauit. nā fuit illo Conc. antiquior; & tūc ante Ecclesiæ definitionē licitū erat dubitare

APPEN.

Secunda diffic. Licebit ne Sacerdoti latino tempore necessitatis in fermentato conficere?

Alex. & S. Tho. & reliqui vbi supra.

CONCLVSIO.

Nunquam hoc illi integrum erit. Ratio est, quia nullus potest casus euenire, in quo necessarium sit Ecclesiæ ritum, & consuetudinem mutare. cum hoc sacramentum non sit de necessitate salutis: quemadmodum Baptismus.

Hæreses.

In hoc articulo refutatur error Græcorum, quem amplexi sunt Armenij, & Rutheri asserētes non in pane azymo, sed in fermentato pane esse Eucharistiam conficiendam. lege Patrē à Castro ver. Eucharistia hæresi secunda.

Art. V. An Vinum Vitis sit sola, & propria huius sacramenti materia?

CONCLVSIO.

Omne, & solum vitis vinum est huius sacramenti materia. definita est in Conc. Flor. his verbis. Tertium sacramentū est Eucha-

Alexā. q. 32. a. m. 5. vsque ad q. 33. S. Tho ab ar 5. vsque ad 8. vbi supra reliqui d. 11. D. Bona q. 4. pri. ar. Ric. q. 4. & 5. 2. ar. Scot. q. 6. Dur. q. 4. &

Eucharistia, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, & in aliis multis Conciliis, quæ apud Patrem à Castro reperies.

5. Cast. ver. Eucha. hæresi 6. I. APPEN. 8. Metaph.

Hinc collige acetum non posse esse huius sacramenti materiam. Ratio est, quia acetum non est vinum teste Arist. qui ait; sicut à priuatione ad habitum; ita ab aceto ad vinum impossibile esse regressum.

Neque ex succo agresti, siue sumine potest fieri consecratio. non enim est vinum, sed materia ex qua fit vinum: quemadmodum acetum non est vinum, licet fiat ex vino.

Alexã. m. 7. S. Tho. ar. 5. et reliqui vbi supra Ric. q. 5. art. 2.

Prima diffic. An mustum possit esse consecrationis materia?

CONCLVSIO.

Potest quidem in illo fieri consecratio. definita est per Iulium Papam can. omne de consecratione. d. 2. vbi dicit de expresso botro. id est, de vuarum granis &c. sed si necessitas sit, in calice comprimatur, & aqua misceatur. quia calix dominicus iuxta can. præcepta, vino, & aqua permixtus debet offerri.

Secunda diffic. An vua matura, musto nondum expresso possit esse materia Eucharistia.

S. Tho. art. 5.

Ricardus vbi supra duas refert opiniones. Prima partem affirmantem tenet, secunda negantem.

CONCLVSIO.

Non potest esse materia huius sacramenti. quia talis vua differt specie à musto habent enim diuersos omnino effectus mulrum enim mustum inebriat, & vuæ multæ minime, & vt succus oliuarum antequam exprimatur, non est oleum: ita succus vuarum ante expressionem neque vinum, neque mustum est.

Alex. q. 32. m 3. S. Tho. art. 3

Tertia diffic. An etiam ex lora, id est, (agua pie) quæ fit ex vuis parum expressis, & aqua calida fieri possit consecratio?

CONCLVSIO.

Si parum aquæ misceatur: ita vt ab omnibus vinum iudicetur propter acrimoniam, poterit in illa fieri consecratio. non enim differt specie à vino. idem iudicium est de vino lymphato.

APPEN.

In vino congelato non potest consecratio fieri. Ratio est, quia Christus instituit materiam sanguinis esse vinum potabile; quale non est vinum congelatum. Per primam conclusionem confutatus remanet error Aquariorum, qui in calice

Heresis.

solam aquam ponebant, & condemnatur expresse in cap. firmiter,

miter, de summa Trinitate & fide Catholica. lege Castrum loco citato.

Art. VI. An vino non consecrato misceri posit aliquis liquor?

Alex ã.m.7.et reliqui vbi supra.

CONCLVSIO.

Peccat Mortaliter Sacerdos, qui in consecratione calicis aquam vino non miscet. definita est in Con.Flor. vbi dicitur. Tertium Sacramentum est Eucharistia, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua misceri debet. nota ibidem tres congruentias, propter quas aqua vino miscetur.

Alex.S.Th.vbi supra, et reliqui etiã D.Bona.q.3.arti.1. Rica.qõ.1.ar.3 Dur.q.5. Communis est DD.sent.

Prima diffic. Est ne aquæ permixtio de necessitate sacramenti?

CONCLVSIO.

Non est de necessitate illius.quia solum ponitur propter significationem. significat enim vnionem populi Christiani cũ Christo. vide Conc. Flor.loco citato. Græci etiam verè conficiunt, tamen aquam non miscent.

Secunda diffic. Quanta aquæ quantitas erit apponenda?

Alex.vbi.sup. S.Tho.ar.8.Ricar.art.3.q.2. Dur.qõ.5.vbi supra.

CONCL. I.

Non est maior quantitas aquæ, siue æqualis in calice quantitati vini apponenda. patet ex cap. Per vitiosos de celebratione missarum. vbi Honorius tertius arguit consuetudinem apponentium in calice maiorem partẽ aquæ, quàm vini. nam tunc aqua conuertet in se vinum, & non fiet consecratio. neq; in ęquali quantitate. nam tunc vel aqua conuertet in se vinum, vel ita extenuabit illud; vt speciem vini amittat.

CONCL. II.

Aqua, quæ vino commiscetur debet esse in modicissima quãtitate. definita est in con.Flor. in prima conclusione citato. APPEN.

Ex dictis potest iudicium ferri de illis vini generibus, quæ ex aromatibus, & melle conficiũtur. nam si ita tenuis est mixtio; vt vini substantia maneat, consecrabile est si verò corrumpatur, minimè erit. & hac de causa peccatum est in huiusmodi vino conficere, propter periculum cui se Sacerdos exponit.

Tertia diffic. Si vino iam fuit apposita aqua in vtere, erit ne in Missa iterum apponenda?

Alex.m.5.art.2.et Riç. q.6. art.3.

CONCLVSIO.

Erit quidem per Sacerdotem permiscenda aqua. quia significatio vnionis Christi cum Ecclesia non fit, nisi tempore, quo Eucharistiæ mysterium celebratur, quod fuit memoriale passionis Christi, ex cuius latere fluxit sanguis, & aqua, lege cano.

in sacramentorum oblationibus de consecr. d. 2.

Alex. vbi supra D. Bona. d. 12. q. 2. art. 2. Sco. d. 12 q. 3. q. 77. art. vlt.

Quarta diffic. An vino iam cõsecrato possit vinum non consecratum, aut alius liquor admisceri?

Duæ sunt opiniones. Prima Beati Tho. vbi supra, scilicet, quod quando vinum permixtum speciebus consecratis est in maiore quantitate, quàm fuit vinum specierum consecratarũ, tali mixtione desinit ibi esse sanguis.

d. 12. q. 1. ar. 4

Contraria opinio est Ric. cui adhæsit Dur. loco citato, scilicet, quod si dolio magno vini gutta sanguinis cõsecrati misceatur non corrumpitur à vino, & ex consequenti manet ibi sanguis Christi.

CONCL. I.

Ricardi et Durandi est.

Si speciebus consecratis sanguinis Christi permisceatur vinum in maiori, vel æquali vel minori quantitate, tali mixtione species illæ non corrumpuntur. patet, quia corruptio non fit à simili, nisi à contrario, & species cõsecratæ sunt similes speciebus vini non consecrati, cuiuscunque generis sint. Secundo quia ex opposito sequeretur, quod si duæ species consecratæ ex duobus vasis, in tertio vase permiscerentur, aut in altero illorum, desineret ibi esse sanguis. quoniam ex duabus illis speciebus vt dicit contraria opinio, constituitur simul vnum indiuiduum distinctum à qualibet specie, & per consequens non maneret ibi sanguis Christi; quod est erroneum. opinio tamen opposita vera esse videbitur: si hoc modo intelligatur; nempe si partes specierum consecratarum, ita minuerentur in mixtione, vt sub quantitate minima illarum, vini substantia si adesset, conseruari non posset, tunc sanguis Christi ibi non maneret.

1. APPEN.

Hinc quamuis speciebus consecratis vinum multo fortius illis misceatur, non corrumpentur. quia est illis simile & à contrario & non á simili fit corruptio.

CONCL. II.

Si speciebus consecratis liquor aliquis in tanta quantitate misceatur, vt possit species consecratas in se conuertere; vt si tanta esset aqua, quæ vini quantitatem superaret; tũc corrumperentur vini species, & desineret ibi sanguis Christi existere, quia tunc species paterentur à suo contrario, & tandiu est ibi sanguis, quam diu species durant.

1. APPEN.

Hinc, si blasphemus aliquis magnæ quantitatis vini dolium cõsecraret, species essent tunc, tantæ quãtitate aquæ miscẽdę donec corrumperentur; vt ibi sanguis esse desineret. essent enim in rapidum flumen, vel mare proijciendæ.

CONCL. III.

Quando

Quando liquor speciebus consecratis mixtus est minoris quantitatis, vt si guttula aquæ permisceatur, tunc species illam conuertent non in species vini absque substantia, sed in vini substantiam. Ratio est, quia accidentia consecrata habent eādem virtutem generandi substantiam quam in subiecto habebant, vel dispositiuè, vt sentit Sco. vel effectiuè, vt B Tho docet. non tamen accidentia generata erunt sine subiecto. nam generare accidens separatum est solius Dei proprium. *De his infra dist, 12.*

CONCL. IIII.

Quando liquor alterius speciei; vt aqua, vel oleum, speciebus consecratis permixtus æqualis est quantitatis Tertius efficitur liquor, desinitque ibi sanguis esse. Ratio est, quia per illam mixtionem vtrunque miscibilium corrumpitur; & corruptis speciebus consecratis, desinit sanguis ibi existere.

Prima huius articuli conclusione sex errores confutantur. Primus Armachani libro nono de quæstionibus Armeniorum negantis Christum aqua in Cœna fuisse vsum. Secundus Græcorum & Armeniorum nullam aquam miscentium. Tertius offerentium lac in calice. Quartus eorum, qui seruabant linteum musto intinctum per totum annum, & tempore Sacrificij partem eius aqua lauabant, & ita offerebant, offerentes quidem potius sordes, vel aquam sordidam, quàm vinum. Quintus, cuius meminit Innocentius capite cum Marthæ de celebratione Missarum, asserentium aquam quantumuis paruam in calice semper persistere. Vltimus confitentium vinum in sanguinem conuerti, aquam vino appositam in aquam, quę ex latere Christi Iesu manauit. Ad istorum errorũ labefactationem lege Cano. cum omne de conse. d. 2. Con. Flor. citatum, & Triden. Seff. vigesima secunda capite nono, & Patrem de Castro vbi supra hæresi 7. *Hæreses.*

Art. VII. De forma consecrationis corporis Christi?

CONCLVSIO.

Forma præcisa cōsecrationis corporis Christi Iesu est ista, Hoc est enim corpus meum. vide Euangelistas Matt. 26. Luc. 22. Mar. 14. & can. quia corpus & can. panis el segundo de consecr. d. 2. & caput cum Marthæ de celebratione Missarũ, & Con. Flor. vbi expresè. definita est.

Alex. Alen. q 33. m. 1. S. Tho. qō. 78. reliqui. d. 8. D. Bona. q 2. Ricar. ar. 3. q. 1. & 4. Scot q. 1. Dur. q. 2. Matth. c. 26. Luc. c. 22. Marc. 14.

Prima diffic. An sit dicenda forma huius sacramenti, Vel consecrationis tantum?

Duæ sunt opiniones. Prima S. Tho. qui illam formam Sacramenti Eucharistiæ nominat, & hic est communis loquendi modus. *DD. vbi supr. quæst. 78. ar. 1 & 2.*

Secunda est Sco. q. 1. citata ad tertium dicentis esse formam *distinct. 8.*

consecrationis tantum. Verum enim vero animaduerte hoc sacramentum bifariam considerari posse; primò quando fit consecratio, secundò quando facta consecratione permanet Eucharistia consecrata.

CONCL. I.

Communis est opinio.

Forma est Eucharistiæ quantum ad factionem, patet; quia his verbis sacramentum efficitur; & species sacramentales ad significandum corpus Christi sub se contentum determinantur. Quemadmodum per formam Ego te baptizo, ablutio materialis ad significandum sacramẽtalem effectum restringitur.

CONCL. II.

Si Eucharistia; vt habet esse permanens, facta iam consecratione, consideretur; tunc nulla est eius forma. Ratio est, quia forma simul est cum sacramento, permanetque cum illo, at Eucharistia manet, quando hæc forma non permanet; quare non erit dicenda Eucharistiæ, sed consecrationis forma. & confirmatur, quia quemadmodum conc. Flor. vocat panem materiam Eucharistiæ; eo quod sit materia, ex qua fit sacramentum non autem quod panis in sacramento maneat; ita erit de forma huius sacramenti theologandum.

Scot. quæst. 2.

Secunda diffic. An hoc sacramentum vnam, vel plures formas habeat?

CONCLVSIO.

Duæ sunt huius sacramenti partiales formæ & vna tantum integralis. patet. nam quemadmodum in hoc sacramento sũt duo signa particularia, id est, duo particularia sacramenta. s. panis, atque vini species, & vnum integrale signum, id est, vnũ integrale sacramentum, species. s. panis, & vini simul sumptę, quæ nutritionem spiritualem significant, quæ panis & vini speciebus consecratis integratur: vt corporali nutritio pane & vino integratur: ita quoq; sunt duæ partiales formæ & vna integralis.

D. Bon. vbi supra Ric. art. 3. q. 1. Scot. qõ. 2. Dur. q. 2.

Tertia diffic. An Christus his verbis hoc est enim &c. vel ante prolationem istorum verborum consecrauerit?

De hac egit Alex. vbi supra. m. 2. S. Tho. loco citato ad 1. à quibus quatuor opiniones referuntur. Prima est Innocentij libro quarto de Sacrificio Missæ capite sexto asserẽtis per potestatem excellentiæ, quàm Christus alligatam sacramentis minime habebat, panem in suum corpus conuertisse: deinde verò dedisse illud Apostolis dicendo hoc est &c. Secunda opinio affirmat consecrasse quibusdã verbis nobis ignotis, quãdo benedixit panem, & non quando dixit hoc est &c. Tertia

opinio tuetur illa forma Christum consecrasse, verum occultè, scilicet, quando benedixit panem, deinde publicè illa vsum fuisse vt alios formam consecrandi doceret. Quarta opinio tenet quando verba hæc, hoc est &c. protulit, simulq; factam fuisse benedictionem. qui hanc defendunt dicunt benedictionem fuisse formæ prolationem.

CONCLVSIO.

Christus Iesus his verbis hoc est &c. Eucharistiam cõfecit, quando.s. verba illa protulit. patet. ex cõmuni Ecclesiæ vsu, & consuetudine, quæ à temporibus Apostolorum vsq; ad hęc nostra tempora ita semper consecrare consueuit.

Hinc, quamuis sit de fide, à nobis sub hac forma, hoc est &c. consecrationem esse faciendam: de fide tamen non est Iesum tempore Cœnæ ijsdem verbis, quibus nos consecramus, confecisse. est enim opinio Innocentij, & aliæ suprapositæ quarum nulla est hactenus ab Ecclesia damnata, at verò, oppositum asserere esset temerarium, & retractatione dignum. APPEN.

Quarta diffic. An hæc forma, hoc est &c. sit præcisa quin præcedant illa verba qui pridie &c. Dur. quæst. 2.

Duæ sunt opiniones. Prima D. Thom. vbi supra ad quartum scilicet hæc sola verba hoc est &c. esse de essentia consecrationis: peccare tamen grauissimè consecrantem illis verbis, qui pridie &c. omissis.

Contraria opinio est Sco. q. 1. ar. 2. dicentis; si quis hæc verba, hoc est &c. sine illis, qui pridie &c. proferret, esset sacramentum sub conditione adorandum: quia incertum est; an per illa sola verba sit panis in corpus Christi transsubstantiat⁹.

CONCL. I.

Quando Sacerdos habet intentionem consecrandi, non aliter quam narrando rem tempore cœnæ à Christo gestam; tunc ijs solis verbis. hoc est &c. sine illis, qui pridie &c. minime consecrat. Ratio est, quoniam ad consecrationem ministri intentio desideratur; & in casu huius conclusionis Sacerdos non habet intentionem aliter cõsecrandi, quàm Christi factum, & eius ordinem in cœna narrando; atq; ita vera est Scoti opinio.

CONC. II.

Hæc verba Hoc est &c. sunt forma consecrationis, quatenus sunt verba practica, id est, efficiunt, quod significant, cõuersionem. s. panis in Christi corpus. probatur authoritate D. Ambro. apud S. Tho. hoc loco consecratio fit verbis, & sermonibus Domini Iesu. nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laudes Deo referuntur, & verba Domini tantum sunt illa. Hoc De Ambro.

est &c. nam illa, qui pridie &c. Sacerdotis esse dicuntur.

Scot. quæst.2. *Quinta diffic. An posita forma consecrationis panis, ante vini consecrationem, suum sortiatur effectum.*

Lege Alex. q. 34. m. 4. art. 1. & 2. & D. Tho. quorundam vbi supra. art. vlt. hi referunt errorem partem negantem tenentium. vide & Ric. q. 4. & Dur. q. 3.

CONCL. I.

Hęreticum est esserere verba consecrationis panis, ante cõsecrationem vini, vel è conuerso, suum effectum non sortiri. ex opposito enim sequeretur, adorantis Hostiam ante consecrationem calicis Idololatria, quod pestilentissimum est affirmare. quia non esset ibi corpus Christi. quousque vinum cõsecraretur.

CONCL. II.

Sacerdos consecrans panem, sine vini consecratione in eadem Missa grauissimum sacrilegium committeret. definita est expresse in capite comperimus de conse. d. 2.

APPEN. Hinc, si contingeret Sacerdotem, consecrato pane, ita ægrotare; vt non posset vlterius progredi, alius Sacerdos deberet tunc calicem consecrare ita definitum est in Con. Toletano & refertur in can. nil contra ordines 7. q. 1.

Hæreses. Hinc confutati manent tres errores. Primus Lutheranorum affirmantium nullam esse præcisam consecrationis formam. Secundus est Erasmi in principio paraphrasis super primam epistolam ad Corinth. vbi ait. vtinam Paulus explicuisset quibus verbis esset consecrandum. Tertius est. ineptissimus. quem refert Pater à Castro vbi supra, fuitq; eorum, qui dicendo septies Pater noster, & benedicendo panem, & vinũ consecrationem fieri existimabant.

S. Th. q. 78. artic. 3. *Art. VIII. Sit ne præcisa forma consecrationis sanguinis hæc. Hic est enim &c. Vsq; in remissionem peccatorum?*

Quatuor sunt opiniones. Prima Beati Thomæ qui omnia prædicta verba dicit esse de essentia formæ: priora tamen, scilicet, hic est enim Calix sanguinis mei, significare conuersionem vini in sanguinem; sequentia verò virtutem sanguinis Christi in passione effusi designare. vbi apertissimè docet omnia esse de essentia formæ: & de necessitate sacramenti. in eadem enim 3. p. q. 60. art 8. inquit, verba illa quæ sunt de substantia formæ, sunt etiam de necessitate sacramenti.

Alex. q. 33. ar 1. D. Bona. q. 2. ar. 1. Dur. q. 2. Hanc videtur sequi Rica. vbi supra ad primũ q. 2. art. 3.

Secunda opinio est Alex. D. Bona. & Dur. qui affirmant de necessitate consecrationis calicis esse hæc sola verba, scilicet Hic est sanguis meus.

Tertia opinio dicit hæc verba, scilicet, hic est sanguis meus

qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, esse de necessitate consecrationis, prætermissis alijs verbis, quæ ab Ecclesia Romana adduntur, qua forma vtuntur Græci.

Quarta opinio est Sco. vbi supra art. 2. qui ait. de hac quęstioni nihil certitudinaliter esse nobis traditum; ac proinde, qui non profert omnia illa verba, exponit se periculo non cõsecrandi. quare Sco. anceps in hac quæstione esse videtur. *Sco. vbi supra art. 2.*

CONCL. I.

Forma consecrationis calicis, qua Romana vtitur Ecclesia, est sufficiens, traditur enim ab Euangelistis; & verba, quæ ab Ecclesia interponũtur, scilicet, noui & æterni testamẽti, misteriũ fidei, formæ, qua Christus cõsecrauit sensum haud mutãt.

CONCL. II.

Sufficiens quoque forma consecrationis calicis erit hæc: Hic est sanguis meus: etiam si nullum aliud verbum addatur probatur à simili, nam: vt in consecratione corporis Christi necessarium non est, illa verba, quod pro vobis tradetur, quibus fuit Christus vsus addere: ita neque in consecratione sanguinis necessarium erit subiungere verba illa, qui pro vobis effundetur, à Christo Domino apposita. *Soto d. 11. q. 1. art. 3.*

Prima diffic. An Sacerdos conuertat vinum in sanguinẽ per hæc sola verba, Hic est enim calix sanguinis mei, ante prolationem reliquorum verborum? *Alex. m. 4. ar. 2. S. Tho. ar. 3. D. Bona. art. 1. q. 2. Ricar. ar. 3. q. 2. Sco. q. 2. Dur. ead. quæ. Soto d. 11. q. 1. art. 3.*

Soto tenet Sacerdotem obligari ad habendum intentionem consecrandi per totam illam orationem: vsq; in remissionem peccatorum. atque ita non finita tota oratione, non fieri consecrationem. dicit secundo; Sacerdotem intendentem consecrare per hæc sola verba, Hic est sanguis meus: conficere; cõmittere tamen sacrilegium quia exponit se periculo non consecrandi. forte enim (inquit) hæc opinio non est vera.

CONCLVSIO.

Magister Soto hoc loco sibi repugnat. probatur primo. applicata forma debita, & sufficienti ad materiam, statim sequitur effectus. Secundo: quia virtus actiua formæ non proficiscitur ab intentione sacerdotis, sed ab institutione diuina; etsi secunda opinio esset vera, hæc esset forma sufficiens: Hic est sanguis meus. quare per illam solam fieret consecratio, & nõ per verba sequentia, etiam si Sacerdos per alia verba intenderet consecrare.

Dubium I. Quid si præcisa forma sit, Hic est sanguis meus, et Sacerdos non habeat intentionem consecrandi per ista sola verba, sed per alia, quæ sequuntur: conficiet ne sacramentum?

CONCL. I.

Si habet intentionem non aliter consecrandi, quàm per omnia illa verba, non conficiet. peruersam enim habet intentionem: quia non intendit consecrare per verba illa priora, quamuis sint forma præcisa; atque ita cũ non habeat intentionem vtendi præcisa forma, non consecrabit.

CONCL. II.

Si habet intentionem consecrandi per totam illam orationem, qua Ecclesia vtitur, verè conficiet. Ratio est, quia habet etiam intentionem consecrandi, vel per totam orationem, vel per primam eius partem. non enim excluditur intentio consecrandi per verba priora, si illa; vt docet secunda opinio, virtutem conuertendi vinum in sanguinem habent.

Verum nota egregium Scoti Consilium loco citato dicentis; Sacerdos proferat verba illa omnia, & habeat intentionem consecrandi sicut Christus instituit, & tunc nulli se periculo exponet.

Ricar. q. 2. ar. 3. & Dur. q. 2

Dubium II. Est ne Græcis necessarium ad veritatem Sacramenti vti tota hac forma, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur. qua consecrare solent?

CONCLVSIO.

Non est necessarium. patet, quia sicut institutio Ecclesiæ Romanæ veritatem formæ præcisæ non tollit, etiam si formæ v. g. Baptismi, & in nomine omnium sanctorum adderet (hoc enim non erit de necessitate sacramenti) ita quamuis Ecclesia Græcorum addiderit; quod pro vobis frangetur. non erit hoc de necessitate sacramenti. esset tamen de necessitate præcepti additio illa: quia Sacerdos illam prætermittẽs mortaliter peccaret.

Art. IX. Inestne aliqua virtus prædictis formis efficiens consecrationem?

De hoc art. lege supra quæstionem tertiam de sacramentis in genere, & præter Doctores ibi citatos lege Alex. q. 34. m. 1. art. 1. ad. 2. & D. Tho. q. 78. ar. 4. & Ric. hac distin. q. 3. ar. 3. & D. Bona. art. 1. q. 1.

Hinc refutat Sco. q. 5. opinionem cuiusdam, qui asserebat inesse his verbis qualitatem quandam &c.

CONCL. I.

Scoti est.

Virtus harum formarum, quatenus sunt signa corporis, & sanguinis Christi, est certitudo in significando; nempe quod positis his verbis, Hoc est corpus &c. & Hic est sanguis &c. illorum significatum, scilicet, corpus Christi, & eius sanguis ponantur. Ratio est, quia virtus cuiuscunque rei (primo de cœlo(

cœlo) dicitur vltimum de potentia, id est, vltima rei perfe-ctio & vltima perfectio siue virtus signi est certitudo eiusdẽ in significando. hæc autem virtus est super naturalis: quia ver ba sacramentalia ex sua natura non habent virtutem efficien di, aut significandi vt significant.

CONCL. II.

Virtus sacramentorum, quatenus sunt gratiæ, & aliorum effectuum causæ præsertim in verbis consecrationis est con-cursus diuinus, diuinaq. institutio, Sacerdotisq. intentio. Ratio est, quia virrus efficiens est ratio, propter quam agẽs, siue principale, siue instrumẽtale operatur, vt in igne calor. & hæc verba conuersionem panis, & vini &c. operantur. quia Deus concurrit cum illis ad consecrationem, & quia instituit; vt illis veluti instrumentis consecrationis Sacerdotes vterentur, & quia Sacerdotes per hæc verba consecrare intendunt.

Art. X. An huiusmodi formæ sint locutiones veræ?

Præter Doctores scolasticos lege Innocen. lib. 4. de mysterio Missæ cap. 17. Tho. Vvalde. in 2. Tomo de sacra. cap. 49. Gabr. in Cano. Lec. 48. Castro verb. Eucharistia heresi 4. glossam in can. timorem de consecratione d. 2. verb. corpus.

Alex. q. 33. m 3 art. 2 §. 2. 3. 4. S. Tho. q. 78 artic. 5. reliqui DD. d. 8. D. Bona. art. 1. q. 1. Ricar. q. 1. art. 3. Scot. q. 2. & Dur. in ead. q.

Sex sunt opiniones. Prima Innocentij scilicet, hæc verba, Hoc est &c. supponere materialiter, & recitatiuè. hanc sequũtur glossa citata, & Dur. & illam probabilẽ Sco. adiudicauit.

Secunda asserit verba harum formarum supponere significatiuè, & metaphoricè; ita vt sit in propria suppositio, est q. iuxta hanc opinionem sensus huius formæ; Hoc est &c. id est, hic panis repræsentat corpus meum; quemadmodum Leo, & Agnus metaphoricè Christum repræsentant: qui quidem sensus erroneus est: quia insinuat sub speciebus Christum non realiter, sed metaphoricè, & repræsentatiuè, & secundum figuram cõtineri. atq; hoc dicebant esse demonstrationẽ quo-ad intellectum.

Tertia opinio affirmat pronomẽ hoc demõstrare corpus sub ratione corporis Christi, & hoc, demõstratio quo ad sensum vocabatur: ita vt sit formæ sensus, Hoc est &c. id est, corpus, est corpus meum.

Quarta opinio est D. Bona. qui docet pronomen, hoc, panem conuertendum demonstrare, & copulam, est, verbo (fit) æquiualere: ita vt sit sensus, panis fit corpus meum.

Quinta opinio est Ochani, quam refert Gabr. vbi supra, asserentis pronomen, hoc, corpus sub ratione corporis demonstrare, & copulam, est, exponendam esse per futurum erit; ita vt faciat hunc sensum; hoc erit corpus meũ. quæ quidẽ opinio à multis temeraria censetur: quia corpus in fine prolationis non erit, sed est iam sub speciebus panis.

erit, sed est iam sub speciebus panis.

Vltima opinio est S.Thom.Ric & Sco. qui existimant illud pronomen, hoc, non demõstrare panem, nec corpus sub ratione corporis, sed corpus Christi sub ratione entis, vel indiuidui de prædicamẽto substãtiæ. vt sit sensus, hoc ẽs, vel hæc substãtia, quæ cõtinetur sub speciebus panis, est corpus meũ.

CONCL. I.

Formæ consecrationis panis, & vini, verissimæ sunt. proferuntur enim in persona Christi, qui est summa veritas, & mentiri non potest: atque ita se habet à parte rei, quemadmodum per illas significatur. nam corpus, & sanguis Christi Iesu sub speciebus consecratis continentur.

CONCL. II.

Sacerdos consecrans non profert hæc verba recitatiuè tãtum. tunc enim supponerent materialiter tantum; quemadmodum si aliquis diceret, Christus: dixit Ego sum via, veritas, & vita. est enim suppositio materialis, quãdo termini pro se ipsis tantum supponunt: formæ autem sacramentorũ, cum sint propositiones practicæ & efficiant quod significant, non supponunt materialiter.

CONCL. III.

Pronomina istarum formarum hoc est &c. & Hic est &c. non demonstrãt panem aut vinum. Ratio est, quia pronomẽ hoc, præsertim in orationibus practicis, quæ significant, & significatum efficiunt, vsque ad vltimum instans prolationis nil demonstrant. & cùm in fine istarum orationum, Hoc est &c. & hic est &c. iam non sit ibi panis, & vinum, sed corpus, & sanguis Christi existant, impossibile erit pronomen, hoc, panem demonstrare quod autem vocalis propositio nil significet, donec eius prolatio finiatur; perspicuum est. nam ex opposito sequeretur eandem propositionem verã esse simul, & falsam: vt hæc; Deus non est iniustus, in vltimo instanti vera, ante prædicati pronuntiationem falsissima: vt deus non est. hæc conclusio videtur contra D. Bona. non est tamen; nam est exponenda hæc propositio, Hoc est enim corpus meum, per verbũ fit, & est; ita; vt sit sensus, quod fit ex pane; est corpus meum. vide Caiet. qui ita illam exponit.

CONCL. IIII.

Pronomen, hoc corpus Christi sub ratione corporis non demonstrat. Ratio est, quia si demonstraret non esset propositio practica, sed speculatiua, vel significatiua tantum æquipolleret enim in consequendo, & significando huic; Corpus meum est corpus meum. quod quidem est contra definitionem sacramenti in principio positam.

CONCL. V. Suppo-

Supponit autẽ pro Christi Iesu corpore, quatenus est ens, vel indiuiduum de prædicamento substantiæ: ita vt sit sensus hoc ens, vel hoc indiuiduum factum ex pane, est corpus meũ. Ratio est, quia si non supponit pro pane, vt ex tertia conclusione constat, neque pro corpore sub ratione corporis: vt in quarta cõclusione probatũ est; profecto pro corpore Christi quaten⁹ est ẽs, vel indiuiduũ prædicamẽti substãtiæ supponet. S. Tho. & Scoti est.

Prima diffic. An quod demonstratur per illud pronomen, sit aliquod commune vel singulare?

Duæ sunt opiniones. Prima est S. Thom. vt docet Mag. Soto in 4. s. pronomen, hoc, non demonstrare singulare aliquod, sed subiectum in communi indifferens ad panem, & Christi Iesu corpus. Eamq. defendit Magister Soto.

Contraria opinio est Sco. & Caiet.

CONCLVSIO.

Pronomen, hoc, corpus sub ratione substantiæ singularis, non autem communis demonstrat. patet. hæc oratio; Hoc est. n. corpus meũ, est singularis propositio, quod Mag. Soto confitetur, quare subiectum erit singulare vagũ, scilicet hoc ens, vel hæc substantia. Deinde omne quod continetur sub illis speciebus est singulare, & non commune, & illud est, quod pronomen, hoc, demonstrat; quamobrem non. rem aliquam communem, sed singularem demonstrabit.

Obiicit doctor ille; propositio hæc; Hoc est enim &c. non esset tunc practica, sed speculatiua, æquiualeret enim huic; corpus meum, est corpus meum. cui respondetur æqui pollere in consequendo, non tamen in consequendo, & significando nõ enim termini in vtraq. propositione, scilicet, Hoc est enim corpus meum, & corpus meum est corpus meũ, sunt Synonimi idem; & eodem modo significantes quod desideratur, vt propositiones in consequendo, & significãdo, æquipolleãt.

Secunda diffic. Illud singulare vagum demonstrat ne corpus sub ratione entis, vel substantiæ?

Duæ sunt opiniones. Prima est Caiet. quod demonstrat corpus sub ratione substantiæ indiuiduæ.

Contraria opinio est Sco. vbi supra.

Alex. §. citato S. Tho. ar. 5. D Bona. ar. 1. qõ. 1. Ricar. qõ. 2. art. 3. Scoti. q. 2. Dur. q. 2.

CONCLVSIO.

Pronomen, hoc, demonstrat corpus sub ratione entis. hanc primo sic probat Sco. quia illud pronomen, hoc, ponitur in neutro genere, & sine substantiuo, & nomen adiectiuum in neutro genere sumptum potius ens, quàm substantiam demonstrat: vt si quis dicat bonũ est legere, id est, bona res, vel

bonum

bonum ens est legere. atque ita resoluetur per hoc ens, id est, hoc ens est corpus meum. Secundo, quia quando percontamur, quid hoc est? intelligimus, quid est hoc ens? & ita à simili; hoc est, id est, hoc ens &c.

Tertia diffic. An pronomen, hoc, quando dicitur, accipite, & comedite ex hoc omnes, supponat materialiter tantum?

Duæ sunt opiniones. Prima dicit supponere materialiter tantum. contraria opinio continetur sequenti conclusione.

CONCLVSIO.

Illud Pronomen, hoc, nihil vsque ad finem orationis demonstrat. probatur eodem modo, quo supra explicatum est. pronomen in forma, hoc est &c. nihil vsque ad vltimum instans prolationis demonstrare.

Alex. vbi supra Scot. q. citata. Dur. d. 11 q. 1.

Quarta diffic. An hæc oratio Hoc est &c. significet conuersionem &c.

CONCLVSIO.

Significat quidem, & efficit conuersionem panis in corpus Christi ex diuina institutione. patet. nam est propositio practica, quæ efficit quod significat, queadmodum, & forma Baptismi, quæ ex institutione diuina interiorem animæ ablutionem significat, & efficit.

S. Th. o. qo. 78. ar. 6. reliqui. d. 8. D. Bon. q. 1. Sco. q. 2.

Quinta diffic. Est ne prius natura conuersionem fieri, quam hæc propositio sit vera, an è conuerso?

Perinde est, ac si quæratur, an conuersio sit causa veritatis orationis, vel orationis veritas sit causa conuersionis panis in Christi corpus.

Scotus dubitans huic difficultati satisfacit; nam videtur, inquit, prior conuersio, cum ex eo quod res est, vel non est, dicatur oratio vera, vel falsa; quæ maxima vera est in orationibus speculatiuis, qualis est hæc, Franciscus est vir dicendi peritus: at vero in propositionibus practicis veritas illarum est causa existentiæ rei: vt quia hæc est vera; ego condono tibi iniuriam, ideo iniuria est condonata.

CONCLVSIO.

Prius natura est hanc propositionem? Hoc est &c. esse veram, quam quod sit conuersio panis in corpus Christi id est, veritas propositionis præsupponitur in genere causæ efficientis. probatur quia causa prior est effectu; & cum veritas huius propositionis, Hoc est &c. sit causa efficiens conuersionis (nã est propositio practica) erit profectò prius natura hanc propositionem esse veram.

Error.

Hinc refutatus est. Error Erasmi super primam epistolam ad

ad Corinth. 11. dicētis hæc verba hoc est &c. solum significare præsentiam corporis Christi, & non panis conuersionem. hactenus de prima quæstione.

QVAESTIO SECVNDA DE SVSCIPIENTIBVS EVCHARISTIAM.

Hac quæstione nona Mag. distinctio. fit perspicua.

Art. I. An Eucharistiæ susceptio, quemadmodum & Baptismi sit de necessitate salutis?

Alex. q. 43. vsque ad 53. S Tho. 73. & 80 reliqui dist. 12. S. Tho q. 73. artic. 3. D. Bon. q 1. Dur. q. 2 dist 9. & q. de sacr. in genera supra.

CONCL. I.

Effectus Eucharistiæ. s. vt quis membrum Christi & Ecclesiæ efficiatur, est de necessitate salutis. patet. quia esse membrum Ecclesiæ, & Christi est de necessitate salutis. vt constat in extrauaganti; vnam sanctam de maioritate, & obedientia, & in can. quoniam vetus 24. q. 1. & gratia qua aliquis Christo, & Ecclesiæ vnitur expressius per Sacramentum Eucharistiæ significatur, dicente B. Paul. prima Corinth. 10. panis benedictionis &c. quoniam vnus panis, & vnū corpus, multi sumus, omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus. 1. Corinth. 10

CONCL. II.

Iste effectus Sacramenti Eucharistiæ potest haberi per solum propositum percipiendi illud; quod quidem habetur, quando Baptismus absq. reali susceptione Eucharistiæ percipitur. Ratio est, quia volens medium ad aliquem finem, cōsequenter vult & finem. nam propter quod vnumquodq. tale, & illud magis, & cum Baptismus sit medium disponens ad Eucharistiam sumendam, suscipiens Baptismum habet ex cōsequēti voluntatem interprætatiuam suscipiendi Eucharistiā.

Dubium. Cur paruuli possunt per votum interpretatiuum Eucharistiæ effectum suscipere; non autem Baptismi effectum? S. Tho. q͞o. 73. ar. 3.

Ratio est, quia votum interpretatiuum habetur in susceptione alicuius sacramenti, & cum ante Baptismum nullum sit sacramentum (quia est omnium sacramentorum ianua) hac de causa paruuli non poterunt votum interpretatiuum Baptismi quemadmodum Eucharistiæ habere.

CONCL. III.

Actu siue realiter Eucharistiam sumere non est de necessitate salutis. patet ex D. Aug: contra Pelagiū lib. 1. cap. 22. ad Bonifaciū, vbi ita ait, neq; illud cogitetis, paruulos vitā habere nō posse: quia sunt corporis, & sanguinis Christi expertes. D. August. Alex. q. 44. & 81. & q. 51 m. 4. & S. Tho q. 84. ar. 7. ad. 4. D. Bona. q. 4. artic. 1. d. 9

Art. II. Quando Christus fuit hoc sacramento vsus.

CONCL. I.

Chri-

Ric. d. 11. ar 4. q. 1. Castro. Verb. Euchar. Hære. 11. Mat 26. Luc. 22.

Christus tempore cœnæ sub speciebus panis, & vini consecratis sacramentum sumpsit. patet Matth. 26. & Luc. 22. vbi facta consecratione legitur dixisse. Amen dico vobis, non bibã amodò de hoc genimine vitis, donec &c. quare tũc biberat aliter enim non dixisset, non bibã amodo, id est, amplius &c.

APPEN.

Hinc constat Christum seipsum sacramentaliter manducasse. quia recepit verum sacramentum.

CONCL. II.

Christus spiritualiter tunc manducauit seipsum. Ratio est, non quod augmentum gratiæ susceperit. nam ita erat plenus gratia; vt augmentum suscipere non posset. sed quia nouam quandam spiritualem dulcedinem recepit.

CONCL. III.

B. Hilarius.

Erroneum non est asserere Iudam nõ fuisse in cœna, quãdo Christus Eucharistiam instituit. Ratio est, quia B. Hilarius quem citat B. Tho. defendit hanc conclusionem, cuius sententia hactenus ab Ecclesia non fuit condemnata.

B. August. est & D. Hiero. Marc. 14.

CONCL. IIII.

Iudas Eucharistiæ institutioni affuit, & de manu Saluatoris illã suscepit, & patet. Mar. 14. vesp. autẽ facto, venit cũ duodecĩ &c & biberũt ex eo oẽs, quare & Iudas qui vn⁹ ex duodecĩ erat.

CONCL. V.

Dedit autẽ Apostolis corpus passibile; sub modo tamẽ impassibili. Ratio est, quia idẽ erat corpus in sacramẽto, & extra & cum ibi non possit tangi, neq; pati poterat. quoniam omnis actio agentis naturalis fit per contactum; atque ita sub modo impassibili illud tradidit.

D. Tho. q̃o. 81. ar. 4. Sco. d 12 quæst. 6.

Difficultas, An si tempore passionis seruata fuisset Eucharistia anima Christi ab eius corpore fuisset separata?

CONCL. I.

Omnia tormenta, quæ qualitatem quandam absolutam infligebant, vtrobiq. corpori Iesu inhæsissent, si tempore passionis sub sacramento extitisset. exempli causa. vulnera, quibus caro diuidebatur, cicatrices, mors &c. Ratio est, quia ex opposito sequeretur duas contradictorias esse simul veras de eodem. idem enim corpus esset mortuum & viuum, sanum & vulneratum, quod est impossibile.

APPEN. distin. 12, q̃o. 2. ar. 4.

Hinc sequitur contra Magistr. Soto, non posse Deum Opt. Max. etiam medio miraculo, vt ipse ait, efficere. vt extra sacramentum corpus Christi esset mortuũ, & in sacramẽto viuum. Ratio est, quia cum vita sit forma absoluta, idẽ corpus viueret, & nõ viueret, quod manifestã implicat cõtradictionẽ.

CONCL. II.

Secundum formas respectiuas non vtrobiq. corpus Christi passum fuisset. erat enim forma respectiua: propinquitas

carnificum flagellantium, & crucifigentiũ, Christũ & Hæc autem appropinquatio non poterat ei sub Eucharistia conuenire quia non potuisset ibi tangi, vt supra diximus.

Hinc confutatur error Lutheri negantis Christum suũ corpus sumpsisse. vnde falsissimè colligebat non debere Sacerdotes illam sumere sed solum cõsecrare, & populo sub vtraq. specie ministrare. cuius erroris secunda pars fuit condemnata ab Ecclesia; vt habetur Cã. Relatum, & Can. cõperimus de consecr. dist. 2. vbi castigãdos esse Sacerdotes nõ recipiẽtes integra sacramẽta, id est, corporis & sãguinis species definitur. *Hæreses.*

Art. III. An qui existit in mortali, Eucharistiam sumat sacramentaliter?

CONCLVSIO.

Existens in peccato mortali, & huius sacramenti fide habens recipit illud sacramentaliter tantum. Patet exemplo Iudæ, qui vere suscepit corpus Domini, quod multis sanctorum authoritatibus patet. Pater de Castro hæresi 11. probat. *Alex. q. 4. 6. m 2. S. Tho. q. 80 art. 4. D. Bona d. 9. q. 1. art. 2 Ric. eadẽ d. ar 1. q. 3. Duran. q. 4. d. 9. Castr. V. Euch. hære. 11. & 12. Sco dist. 9. q. 1 Communis est opinio.*

Prima diffic. Quo tempore post susceptionem desinit esse Christus sub speciebus consecratis?

Diuus Bona. d. 13. q. 2. art. 2. quatuor citat opiniones. Prima est communis, scilicet. manet corpus sub speciebus consecratis, vbicunq; illæ existant, &c. Secunda tenet manere corpus Christi sub speciebus, dummodo existat in custodia, aut in hominis stomacho, donec consummentur species, & nõ alibi Tertia asserit manere quãdiu species dẽtibus terũtur, & quousque ad stomachũ descendũt. Quarta est glossæ in Can. tribus de consecr. d. 2. affirmantis; tamdiu esse sub speciebus, quãdiu dentibus terũtur, & hæc etiam videtur esse Innocentij lib. 4. de mysterio Missæ cap. 15. & Hugo. lib. de sacramẽtis, p. 8. cap. *Ric. d. 8. art. 2 q. 4. Scot. d 12. quæst. 6.*

CONCL. I.

Hæreticum est affirmare Christi corpus non cõtineri sub speciebus consecratis, nisi quando actu à fidelibus recipiuntur. definita est in multis Conc. in Flor. sub Euge. IIII. & tãdem in Trid. Sess. 13. ca. 6. hæc reperies apud Castro hæresi 12. in quibus Conc. definitum est Eucharistiam esse in custodia seruandam, infirmis deferendam, per plateas in festo corporis Christi, maximo cum iubilo circunferendam, Sacerdotemque verum sacramentum conficere. panem virtute verborũ cõsecrationis in corpus Christi conuertendo.

CONCL. II.

II, III, & IIII. opinio sunt falsissimæ & redolẽt hæresim. Ratio est, quia corpus Christi non continetur sub illis speciebus ratione loci; sed quia sunt virtute verborum consecratæ. & sunt condemnatæ per Gregorium II. & habetur in

directorio Inquisitorum.p.3.q.10.delata enim fuit ad illum præsens quæstio, & quæ immediate sequitur.

Secunda diffic. An brutum comedens sacramentum deuoret etiam Christi corpus?

Alex. q. 45. in art. 1 & 2. S.Tho. vbi supra ad 3. Ric. d.9.ar. 1.q.3. Dur. eadem d. & q. Hæreses.

Duæ sunt opiniones. Prima negans Magistri, quam sequitur D.Bona.d. 13.q.1.art. 2.

Contraria opinio est communis.

CONCLVSIO.

Brutum comedens sacramentum, verum Christi corpus deuorat. patet, eadem ratione, qua proxima conclusio & fuit expressè definita per Greg.11. proximè citatum.

In hoc articulo confutantur duo errores. Primus asserentium existentes in mortali, & ponentes obicem gratiæ nullo modo sacramentum recipere. vide Magistrum d. 9.

Sco.d.8.q.3.

Alter fuit quorundam Lutheranorum affirmantium Christi corpus non contineri sub speciebus, nisi quando actualiter tantum sacramentum suscipitur.

in 4.d.12.q.2 ar.1.& art.3. ad secundum.

Hinc etiam patet non rectè reprobatum fuisse Sco. à Mag. Soto, quod dixerit sacramentum tantum recipi quãdo à bruto Hostia deuoratur. dicit enim non recipere sacramentũ per se brutum in tali euentu. saltem hoc non potest diffiteri Hostiã consecratã. quæ à mure recipitur, esse per se & vere sacramentum, quamobrem concedit sacramentum, & per consequens confiteatur, necesse est, aliud esse comedere sacramentum, aliud verò sacramentaliter comedere, scilicet, animo, & intentione illud suscipiendi, quemadmodum Sco. docuit.

Alex. q. 46. m.3. 4. & 5. S.Tho.ar.5.& 6. vbi supra D Bona.d.9. ar. 2.q.1. Scot. ibid.q.1. Duran.q.4. eiusdem d.1. Cor. 11.

Art. IIII. Peccat ne Mortaliter qui in mortali existens ad Eucharistiam accedit?

CONCL. I.

Recepturus Eucharistiam alicuius peccati mortalis conscius, mortaliter peccabit, si prius non pœniteat, hæc est D. Pauli multis in locis prima ad Cor.11. probet autem seipsum &c. & ibidẽ ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. quæ quidem pœna mortis nulli in sacra scriptura, nisi ad culpam mortalem infligebatur. & ibidem: quod si nosmetipsos diiudicaremus &c. lege cano. qui celebrare, & cãquid est, de consecrat. dist. 2.

APPEN.

Eucharistiam suscepturus sua peccata recogitare tenetur Ratio est, quia cum teneatur illa confiteri, vt modo diximus, tenebitur illa recogitare; cum nemo possit illa recte confiteri, quin prius in memoriam reuocet.

CONCL. II.

Qui facta peccatorum recogitatione, nullius peccati conscius est, quãuis illud habeat, accedit dignè priuatiuè, id est, nec pec

peccabit Eucharistiam suscipiendo; nec gratiam sacramentalem assequetur. Ratio est, quia qui nullius peccati est cōscius, non tenetur pœnitere & ita non pœnitendo non peccabit, nec gratiam accipiet, quia non secundum veritatem se præparauit. D.Bona est q° 3.ar.2.

Prima diffic. An qui habet confeßoris copiam ante receptionem Eucharistiæ teneatur peccatum, cuius est conscius confiteri?

CONCLVSIO.

Qui alicuius peccati mortalis conscius est, & habita confessoris copia confessionem ante receptionem Eucharistiæ nō præmittit, mortaliter peccat. est enim præceptum diuinum de confessione ante Eucharistiam præmittenda, & est definita ad verbum in Con. Trid. Sess. 13. cap. 7. & can. 11.

Hinc colligitur; Caiet. cautissime esse legendum, qui in sūma ver. Communio, dixit non esse necessariam confessionem ante Eucharistiam, sed satis esse contritionem habere. *Caiet. caute legendus.*

Secunda diffic. An deficiente confessore, & nulla vrgente necessitate, in mortali existens possit sola deuotione motus, vel celebrare, vel Eucharistiam sumere? *Alex. q. 46. in 3. art. 1. & 2. Sco. d. 9. q. 1.*

CONCLVSIO.

In casu posito ad celebrandum absq; confessione solus cōfessoris defectus non sufficit, cum & defectus huiusmodi, atque necessaria, & vrgens celebrandi causa desiderentur. definita est in Con. Trid. vbi supra cap. 7. cuius verba sunt: absq; præmissa confessione sacramentali nullus ad Eucharistiam accedere debet; modo non desit illi copia confessoris, quod si necessitate vrgente, Sacerdos absque confessione celebrauerit, quàmprimum confiteatur.

Hinc colligitur; cautè legendum esse Ric. qui dixit non teneri, qui celebraturus est ad confessionem statim faciendam, si forte de propinquo expectat alium, cui deuotius, & securius confiteatur. Adrianum qui q. 3. de confessione Ric. citat, & sequitur, Silue. ver. Eucharistia. 3. §. 14. & Abbatem Panor. in cap. de homine extra, de celebratione Missarum, qui docuit non esse necessariam cōfessionem ad Eucharistiæ receptionem, sed satis esse contritionem habere. APPEN.

Tertia diffic. Quando erit censenda vrgens necessitas, vt absque prauia confessione Sacerdos celebrare, vel non Sacerdos communicare possit?

Respondeo huic difficultati per aliquod propositiones. *quatuor priores sunt Sot. d. 12. q. 1. ar. 4.*

PROPOSITIO PRIMA.

Quando sæcularis est in articulo mortis, in quo Euchari-

stiæ susceptio est sub præcepto, & non adest Sacerdos, qui possit confessionem audire (nam qui presto est, omnino est surdus, & mutus) posset tunc talis Sacerdos extrahere Eucharistiam à custodia, & deferre infirmo, qui non præmissa confessione, poterit illam recipere. Ratio est, quia habet præceptum diuinum tunc illam recipiendi atque ita sola contritione præuia poterit communicare.

PROPOSITIO SECVNDA.

Quando ex officio tenetur Sacerdos celebrare, & non habet confessoris copiam, vt Curatus, qui solus in oppido existit, is semel poterit celebrare, dummodo cõmodè non possit ad vicinum Curatum ante Missam se conferre. nam si posset à peccato non excusaretur.

PROPOSITIO TERTIA.

Quando in die Paschatis non habetur confessoris copia, adest tamen. qui Eucharistiã ministrat, causa ad implẽdi præceptum Ecclesiæ de Communione, poterit tunc Christianus de sententia aliquorum non præuia confessione communicare. verum hæc propositio videtur falsa. quia præceptum de præmittenda confessione ante Eucharistiam est diuinum; præceptum vero de communione in die Paschatis est duntaxat Ecclesiasticum, quare primum potius, quàm secundum est obseruandum.

PROPOSITIO QVARTA.

Necessitas audiendi Missam, vel illam celebrandi; vt si Sacerdos iter faciens non celebret, non poterit Missam audire, erit satis, vt sola contritione præuia possit celebrare. neq; hæc propositio est vera; quia hoc præceptum est Ecclesiasticum, & illud de præmittenda confessione diuinum.

PROPOSITIO QVINTA.

Potest Sacerdos; imò tenetur sola contritione præuia ad vitandum scandalum celebrare. Ratio est, quia non tenetur infamare se: vt abstineat à celebratione, at hoc intelligitur, dummodo habeat animum confitendi; quàmprimum poterit, & certo nouerit scandalum oriturum, non enim potest aliquis pro libito scandali suspicionem fingere.

PROPOSITIO SEXTA.

Quando Sacerdoti in altari existenti in mentem venit aliquod peccatum, quod nunquam est confessus, tunc sola contritio sufficit; verum tenebitur iuxta decretum Con. Trid. cap. 7. vbi supra absoluto sacrificio quàmprimum poterit, confiteri. quamprimum, id est, antequàm die sequenti Eucharistiam recipiat, vel sublata omni causa suspitionis, & infamiæ. nam si subito absoluto Sacrificio teneretur. infamaret seipsũ. circun-

circunstantes enim suspicarentur, vel ante Missam, vel in Missa aliquod mortale commisisse. quod neq; Ecclesiæ neq; eius spõso Christo Redemptori nostro placuit, qui in cœna Iudam manifestare haud voluit.

Quarta diffic. An laicus iamiam cõmunicaturus, cui occurrit mortale peccatũ non confessum possit. absq. confessione præuia illius peccati, Eucharistiam recipere? *Alexã. vbi supra. Ricar. d. 9 ar. 3. q. 2. Scot. ead. dist. q. 1. et Dur. ib. q. 44.*

Magister Soto vbi supra damnat secularium consuetudinẽ, qui coram plebe publicè ante communionem peccata prætermissa confitentur, dicit enim vel differant communionem si absque nota fieri potest: vel recipiant Eucharistiam animo confitendi illico post receptionem.

CONCL. I.

Tenetur confessionem illius peccati præmittere. patet. primo quia Con. Trid. vbi supra dicit necessario esse præmittendam confessionem, & non excipit aliquem casum, nisi quando non est copia confessoris, & vrget communicandi necessitas: hic autem habetur confessoris copia. Secundo ex communi vsu Ecclesiæ confirmatur. qui maximam habet authoritatem. solent enim rectores per contari (*Acuerdase os algun peccado, que en la confession se os haya oluidado.*)

CONCL. II.

Si Sacerdos, qui ministrat Eucharistiam, non est confessor institutus, habet tunc locum Magistri Soti opinio. Ratio est, quia infamaret seipsum, qui coram alijs relicta communione recederet.

Si peccatum confitendum longam exigat moram, vel alicuius circunstantiæ longam explicationem, quàm locus ille non patitur, poterit tunc confessionem differre animo confitendi statim post communionem. Ratio est ne seipsum infamet, & inde scandalum oriatur, & intelligitur statim teneri ad confessionem eo modo, quo dictum est in sexta propositione difficultatis proximæ.

Quarta diffic. An possit Sacerdos excommunicatus ratione vitandi scandalum non præmissa confessione celebrare? *Alex. q. 50. m. 6. Scot. vbi supra.*

Magister Soto vbi supra tenet partem negantem.

CONCL. I.

Potest quidem hæc conclusio colligitur ex S. Tho. qui ait, si Sacerdos recordetur in altari se esse excommunicatum, tenetur perficere Missam quando sine scandalo non potest recedere. hinc ita probo Con. si ita; vt sine scandalo Sacerdos non possit abstinere: quin teneatur Missam incipere, ergo *q. 83. artic. 6. ad 2.*

tenebitur illam incipere, & absoluere. patet à pari. nam si causa vitandi scandalum tenetur inceptam perficere, eadem prorsus ratione tenebitur illam incipere & perficere. deinde, quia concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus, potius tenetur homo adimplere Diuinum, quàm Ecclesiasticum, & præceptum de vitando scãdalo, & propria infamia est diuinũ: præceptum verò de abstinendo à sacramentorum participatione tempore excõmunicationis est tantũ positiuum; quare tenebitur primũ adimplere. hac tamẽ lege, & cõditione; vt prius cõteratur, etsi fieri potest, animo obediẽdi Ecclesię cõfiteatur.

S.Thom.q.80 art.5. Alex. in 4.& q.46.in 5.Ric.d.9.art. q.1.ar.2. Sco. & Dur. vbi supra.

Quinta diffic. An sit grauißimum omnium peccatorum Eucharistiam in conscientia peccati mortalis recipere?

CONCL. I.

Indigne sumere Eucharistiam ex parte obiecti; non est grauissimum omnium peccatorum. Ratio est, quia eo grauius est peccatum, quo obiectum, in quod peccatur est excellentius, & Christi Redemptoris nostri Diuinitas sanctissima, & eius gloriosa humanitas excellentiora multo sunt sacramneto, cui fit iniuria, indigne illud sumendo.

APPEN.

Hinc perspicuum fit peccatum infidelitatis, desperationis, & odij in Deum, quæ sunt immediate contra Christi diuinitatem, & contumelias Iudæorum contra eius humanitatem fuisse grauiori peccata, quam sit indignè Eucharistiam sumere, quo iniuria sacramento efficitur.

CONCL. II.

Peccatum indigne sumentis Eucharistiam grauius est peccatis, quæ contra creaturas perpetrantur. Ratio est, quia quanto persona offensa, siue peccati obiectum est nobilius; tanto peccatum ex ea parte est deterius, & Christi humanitas, quæ etiam ab indigne sumente Eucharistiam offenditur, est quacunque creatura dignior.

CONCL. III.

Multa peccata cõtra puras creaturas commissa, ratione circunstantiarum peccato indignè sumendi Eucharistiam grauiora esse iudicantur. Ratio est, quia grauitas peccatorum est quoque mensuranda penes circumstantias: vt in floribus super secundum librum sententiarum de grauitate peccatorum patebit atque ita homicidium ex parte damni illati personæ imperfectæ: quia fuit vita priuatus, & ex parte damni contra filios, si eius labore alebantur, & ratione scandali grauius peccatum est, quàm indigne sumere Eucharistiam. nam personæ Christi nullum infertur nocumentum. Secus autem ratione irreuerentiæ. nam homicida, inhonorat hominem; hic autem

autem Deum, & hac distinctione conciliantur inter se Dur. & S. Tho. qui contrarij esse videbantur.

CONCL. IIII.

Ex parte personarum indignè sumentium Eucharistiam non omnes æqualiter peccant. peccata enim ex infirmitate, & ignorantia, minus grauia sunt peccato ex contemptu, & malitia vt in floribus secundi libri constat & potest vnus quidem ad Eucharistiam sine cõfesione accedere ex infirmitate, quia timet, & veretur sua peccata confiteri; aliter vero quia suam conscientiam negligit, & gratiam sacramentalem contemnit;

Hinc error destruitur Lutheri, qui vt refert Castro, affirmabat nullam esse necessariam conscientiæ præparationem ad Eucharistiam, sed solam fidem sufficere. *Hereses.*

Flo. Theo. q. super. 4. lib. sent.

Art. IIII. An peccatori petenti Eucharistiam poßit Sacerdos illam negare?

Alexan. q. 48 49. m. 1. S. Tho. q. 80. art. 6. D. Bona. q. vl. ar. 2. Ricar. ar. 2. per. 3. q.

De publico peccatore nemo dubitat, de occulto est quęstio. qui aut petit publicè, aut occulte, si publicè communis est opinio Alex. Bona. Ric. & S. Tho. m. 4. d. 9. art. 5. q. 1. qua dicitur non esse illi Eucharistiam denegandam. Dur. solus tenet occulto peccatori, petenti à suo Curato extra tempus Paschatis publicè aut citra mortis articulum, non solum negandam esse, verumetiam ad hoc Curatos teneri; dummodo sine scãdalo posit illum expellere. quod si à nõ suo Curato petit, debet, inquit, tunc publicè illam negare dicens, non sum tuus Curatus, & non teneor illam dare.

Nota primum peccatorem publicum dici, qui damnatus est per sententiam in iudicio latam de vsura, symonia &c. vel qui confessus est in iudicio ante iudicis sententiam latrocinium, vel aliud crimen, vel cuius delictũ ita est manifestum, vt nulla tergiuersatione cœlari posit; vt est meretrix in lupanari existens, vel domi concubinam habens. Hoc notabile, expresse est definitum in cap. finali extra de cohabitatione Clericorum, & mulierum. *Peccator publicus quisnã sit, et quis suspectus.*

Animaduerte secundo, illum nominari suspectum, qui de aliquo crimine infamatus est, non tamen aliquo trium modorum primi notabilis cõuictus. ita colligitur ex capite, tua nos, eodem titulo.

CONCL. I.

Quando peccator est publicus, quicunque illi Eucharistiam administrat, mortal. peccat. definita est in Can. pro dilectione de conseer. d. 2. vbi ita legitur. consulendum existimasti, quid mihi vedeatur de histrione, & Mago illo qui apud vos constitutus, adhuc in artis suæ dedecore perseuerat, an

 talibus

talibus sacra communio cum cæteris Christianis debere ad puto, nec maiestati Diuinæ, neque Euangelicæ disciplinæ cōgruere: vt pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur. quod quidem est intelligendū, quando perseuerat in crimine. nam si publicè pœniteat, secus faciendum esset.

APPEN. Hinc siquis domi habeat concubinam, maiori parte parochianorum hoc cognoscente, erit à communione expellendus. similiter vsurarius, & symoniacus publicus. atq; etiam si post condemnationem, aut confessionem in iudicio factam

q.2. vbi supra. publicam pœnitentiam non egerint. ita sentit Ric. qui subiungit. nisi articulus pietatis, aut necessitatis aliquando aliter fieri persuaderet.

CONCL. II.

Quando peccator non est publicus, sed infamatus, siue suspectus, si publicè petat, se alijs communicantibus ingerens, non est illi Eucharistia neganda. definita est in capite si Sacerdos de officio iudicis ordinarij, vbi legitur; nullum esse nominatim arguendum, & increpandum, neque à communione

Ricar. est. remouendum, nisi iudiciario ordine possit probari, scilicet, vno ex tribus modis in primo notabili collocatis.

2. APPEN. Hinc sequitur; si quis sit in populo infamia concubinarij, siue alterius criminis notatus; non tamē notorius aliquo modo ex illis tribus, & se ingerat alijs communicantibus, nō erit à communione expellendus.

CONCL. III.

Quando crimen est occultum (quia non est notorium) si se alijs communicantibus inijciat, non erit publicè siue à proprio, siue ab alieno Sacerdote repellendus. Ratio est, quia tunc infamaretur à Sacerdote, atque ita Sacerdos mortaliter peccaret. est etiam definita in Cano. Christus. q. 1 & in Cā. non prohibeat contra Dur. de consecr. dist 2.

CONCL. IIII.

Communis est opinio contra. Sco. Peccatori occulto, occultè petenti, est à proprio siue ab alieno Sacerdote Eucharistia deneganda. Ratio est, quia Sacerdos tunc cooperaretur peccato illius, quod sine scādalo prohibere potest. Dices; ille habet ius petēdi donec condemnatus sit? Respondeo, nequaquam habet, nam vt publicus peccator perdit ius publicè petendi sacramentum; ita peccator occultus, Sacerdoti notus, perdit ius priuatim petendi.

CONCL. V.

Peracta pœnitentia publica peccatori publico est Eucharistia concedenda. definita est in Con. Carthagin. 4. & refertur cano. penultimo de consecr. d. 2. & constat per caput primum de

de pœnitentijs, & remissionibus, vbi ita legitur; manifesta peccata sunt manifesta pœnitentia purganda.

Prima diffic. Peccatori publico, vbi crimen eius ignotum est, erit ne Eucharistia neganda? *Alex. vbi sup. S. Tho. loco proxime citato Richar. ibid. q. 1. Dur. vbi supr.*

CONCLVSIO.

Non est publicè à communione, vbi eius crimen occultũ est, reijciendus. Ratio est, quia ibi nulla est causa scandali: imò si publicè exploderetur, esset graue scandalum, & maxima hominis infamia; quod est contra charitatis præceptum. nam etsi in alio loco sit publicus, vbi Eucharistiã publicè petit, est occultus.

Secunda diffic. Excommunicatus, & denuntiatus, cuius tamen excommunicatio est occulta, & soli Sacerdoti nota, potestne à publica Eucharistiæ receptione reijci? *Alex. q. 50. m 6. Ricar. dist. 9. art. 12. q. 3.*

CONCLVSIO.

Nequaquam potest excludi. Definita est per cap. cum non ab homine, extra de sententia excommunicationis. vbi dicitur occultè, excommunicatum, occultè, & non publicè esse vitandum' & in extrauaganti, ad euitanda.

Tertia diffic. Licetne Eucharistiam alicui ministrare, vt eius crimen miraculosè detegatur? *Alex. q. 49. m. 2. S. Tho. q. 80 art. 6.*

Verbi gratia. si vir vxori suæ de adulterio suspectæ Eucharistiam ministrare faciat.

CONCLVSIO.

Nullo modo hoc licet. definita est expressè in Can. consũluistis 2. q. 4. & in cap. ex tuarum, extra de purgatione canonica, & in cap. Dilecti de purgatione vulgari. nam canon sæpe tale genus purgandi crimen permittitur, abrogati sunt à S. Stephano Papa in Can. consuluisti citato.

Quarta diffic. Licet ne occulto peccatori ex eiusdem consensu, vt suo honori, & famæ consulat Hostiam non consecratam porrigere?

Duæ sunt opiniones. Prima negans B. Thomæ vbi supra ad 2. Altera affirmans D. Bona, vbi supra, quem sequitur Adria. quol. 6. *Alex. vbi supr. m. 6. Ric. ar. 3 q. 1. d. 9.*

CONCLVSIO.

In graui euentu, vbi grande occultè peccatori à communione abstinenti periculum immineret, probabilis est opinio D. Bona. si tamen proponatur Hostia consecrata adorando, & à tergo post illam non consecrata apponatur: ita vt non videatur, nec adoretur atq; hoc est Consilio, & scientia peccatoris;

 ne ado-

ne adoret Hostiam non consecratam, & vt peccatum & periculum vitet.

Alex.q.47.m 1.ar.1.& 2.S. Tho.qō.80. art.7.D.Bona. d.12.ar.vlt.q. vlt.Ric.d.9.q. 3.ar.2. Adria. q.4 de Eucha. Siluest.V.Euc. 3 §.12.Gabri. lect.10.super can.

Art. V. An corporalis immunditia; vt nocturna pollutio, Eucharistiæ receptionem impediat?

CONCL. I.

Quando pullutio nocturna est Mortale peccatum, non potest aliquis ante peractam pœnitentiam sine sacrilegij crimine illam recipere. eadem enim est ratio de hoc peccato, & de alijs; vt ex 4. art. constat. indigne si quidem manducat seipsũ non probans, & corpus Domini non dijudicans.

1.Corinth.11.

CONCL. II.

Post peractam pœnitentiã de pollutione nocturna, siue diurna, qui eadem die Eucharistiam sumit, mortale peccatum non committit. nullum enim præceptum diuinum, aut Ecclesiasticum est, quo polluti peracta iam pœnitentia, eadem die Eucharistiam sumere prohibeantur, & vbi non est legis præuaricatio non est peccatum.

Rom.cap.4.

CONCL. III.

Actus est maximæ reuerentiæ; vt eadem die, qua quis pollutus est, vndecunque fuerit orta pollutio, acta etiam pœnitentia ab Eucharistia abstineat. multa sunt loca sacræ scripturæ, quibus hæc Con. confirmatur. quæ etiam est definita in can. omnis homo de consecr. d.2. vbi Con. Elibertinum omnibus coniugatis consulit, vt per 4. aut 6. aut 8. dies ante cõmunionem, ab vxoribus abstineant. quare idem consulendum erit pollutis, ante communionem. quibus D. Tho. consuluit esse abstinendum per spatium 24. horarum.

in 4.dist.9.

Alex ibi m 2. S.Th.loco citato.D.Bona.vbi supra.Ric.d 9 art.2.q.3. B.Greg.

Difficultas. Peccat ne mortaliter coniugatus, si eadem die, qua debitum soluit, ad Eucharistiam accedat?

CONCLVSIO.

Nequaquam, si causa procreandorum liberorum debitum reddiderit. Con. B.Greg. est, & refertur Can. vir cum propria vxore 33. q. 4. vbi non esse ab ingressu Eccles. neque à communione repellendos decernit. ibidem enim est iudicium de coniugatis, & pollutis, sine propria culpa, quia nunquam est mortale ad Eucharistiam accedere, nisi quando præcessit in cogitatione, verbo, aut opere culpa mortalis, quæ non fuerit prius per pœnitentiã deleta. quando autem pollutio mortalis culpa esse dicatur, in floribus 2. lib. sent. explicabitur.

Alex.q 52.m 1 S.Tho.vbi supra.art.8.Ric. d.8 q 1.3.et 4 ar.2.Scot.ead. d.q.3.Durã.q 4.eiusdem dist.

Art. VI. An qui soluto ieiunio Eucharistiam sumit, mortaliter peccet?

CONCL. I.

Qui soluto naturæ ieiunio Eucharistiam recipit, mortaliter peccat

peccat, definita est in Conc. Constantiensi Sess. 13. vbi reiicitur error contrarium affirmātium & in Cōc. Carthagin. cap. 8. & in Can. sacramenta de consecr. d. 1. & in cap. ex parte de celebratione Missarum, & in aliis multis iuris Canonici decretis.

CONCL. II.

Licitum est soluto naturæ ieiunio Eucharistiam recipere, quando recepturus in periculo mortis existit, definita est expresse per cap. Presbyter de consecr. d. 2. vbi infirmos statim communicandos esse præcipitur; ne sine communione moriantur; & in Conc. Constantiensi proximè citato.

CONCL. III.

Integrum etiam est, soluto naturæ ieiunio Eucharistiā sumere: quando Sacerdos post consecrationem, vel soluit ieiunium; vt si errore seductus salam aquā in calice effundat, quā ante sumptionem non cognouit. vel quando recordatur post consecrationem se antè Missam ieiunium soluisse. Probatur à Scoto; quia concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus, præceptum superioris est adimplendum, & præceptum de integra receptione Eucharistiæ est diuinum, & Ecclesiasticum simul; ac verò præceptum de communione non facienda soluto naturæ ieiunio est tantum Ecclesiasticum. nam olim Ecclesia Corinthiorum Eucharistiam post prandium in die cœnæ Domini sumebat. vt 1. ad Cor. 11. constat, & nota Sacerdotem in his euentibus nō peccare soluto naturæ ieiunio Eucharistiam sumendo, licet peccauerit propter culpabilem negligentiam. Animaduerte etiam assumpta aqua loco vini teneri Sacerdotem vinum consecrare aqua apposita, si non superfluit aliqua pars aquæ in calice, incipiendo ab illis verbis, simili modo &c. etsi seculares scandalizantur, scandalizentur, esset enim scandalum Pharisæorum. nam de his, quæ Sacerdos facere tenetur, scandalizarentur, debet autem, quo secretius poterit hoc efficere.

vbi supra.

1. Cor. 11.

Scoti est.

Vide Sco. vbi supra, & Nauar. in manuali ca. 25. num. 91.

Alex. S. Tho. & Sco. vbi supra.

Prima diffic. An Sacerdos si ante consecrationem recordetur se non esse ieiunum teneatur Missam inchoatam non perficere?

Siluest. verb. Eucharist. 3. §. 6. videtur sentire non esse licitum illam perficere, cui etiam videtur subscribere Magister Soto d. 13. q. 2. art. 6. saluo tamen semper meliori iudicio sit conclusio.

CONCLVSIO.

Si ex recessu ab altari aliquod sequatur scandalum, tenetur illam perficere; sin minus ab altari recedere tenetur. probatur: quia si timetur scandalum, magis ad obseruandum præ-

ceptum diuinum de ſcandalo vitando, quam Eccleſiaſticum præceptum de abſtinendo ab Euchariſtia ſoluto naturæ ieiunio obligatur. colligitur hæc Conc. ex Dur. vbi ſupra. nam dicit in caſu neceſſitatis licere ſumere Euchariſtiam poſt medicinam, vel poſt quemcunque cibum; ergo ex neceſſitate vitandi ſcandalum erit etiam licitum. vt in concl. habetur. Oppoſitum tenet Sylueſt. vbi ſupra dicens nunquam licitũ eſſe celebrare ſoluto ieiunio, etiam propter vitandum ſcandalum, & doctiſſimus Nauarrus in manuali cap. 21. numero 53.

APPEN. Hinc collige poſſe Sacerdotem non ieiunum Miſſam incipere, & perficere, quia vitare ſcandalum eſt de iure diuino, & confirmo ex his, quæ Silueſter, & Nauarrus affirmant, ſcilicet, poſſe Romanum Pontificem ſoluto ieiunio celebrare; quia legibus Eccleſiaſticis eſt ſolutus. poſſe etiam diſpenſare vt Sacerdos non ieiunus celebret· vnde manifeſtum fit; quod ſi in aliquo oppido eſſet vnus tantùm ſacerdos; qui in die Natalis Domini poſt mediã noctẽ naturæ ieiunium ſoluiſſet, neque reperiri poſſet ſacerdos, qui Miſſam celebraret, teneretur profectò ipſe rem ſacram facere: ne populum ſcandalizaret, cum ei ex officio celebrare incumbat. A ſimili poſſunt alij caſus occurrere, in quibus ſcandalum ſequatur, poteritque non ieiunus Miſſam inchoare, & perficere.

vbi ſupra.

Caie t. in quodam quolib. Alexan. S. Tho vbi ſupra.

Secunda diffic. Sumpta lotione poterit Sacerdos reliquias in patena ex communione ſæcularium remanentes ſumere?

CONCLVSIO.

Poterit quidem. Ratio eſt, quia Hoſtiæ & reliquiarũ, vna, & eadem cenſetur eſſe ſumptio.

Dubium. Quid ſi relicta ſit particula alicuius magnitudinis?

CONCLVSIO.

Si non eſſet cuſtodia, vbi commode ſeruari poſſet, etiam integram Hoſtiam, nedum particulam illam, poterit Sacerdos poſt lotionem ſumere: vt ſi in campo longe ab Eccleſia diſtante Miſſa eſſet celebrata. Et ratio eſt, eadẽ, quia cenſetur eſſe vna perceptio; ſi verò eſſet cuſtodia, eſſet particula ſeruãda.

Tertia diffic. An in Eccleſia Græca ille dicatur eſſe ieiunus naturæ ieiunio, qui poſt mediam noctem nihil cibi, aut potus ſumpſit, quemadmodum in Eccleſia Romana?

CONCLVSIO.

Si illic dies à primo mane computentur dicitur ieiunus, qui à primo mane nihil cibi, aut potus ſumpſit; quia ſtandum eſt illius Eccleſiæ conſuetudini quo ad ieiunium verum fortaſſis illic etiam dicetur ieiunus, qui poſt mediam noctem &c. quemadmodum apud nos, nihil enim de hac re certi habetur.

Quar-

Quarta diffic. An qui deuorauit reliquias cibi inter dentes manentes, vel aquam, abluens os, naturæ ieiunium soluisse dicatur? *Alex. q. 12. m. S. Tho. loco citato, Ric. q. 3. ibid. Duran. dist. 8. quæst. 4. S. Tho. est.*

CONCL. I.

Respectu reliquiarum non soluit ieiunium, etiam si nutriãt Ratio est, quia non deuorantur per modum cibi, sed per modum saliuæ.

Hinc, si sit adeo magna reliquia; vt priusquàm deuoretur, dentibus teratur, videtur solui ieiunium, quia tunc per modũ cibi deuoratur. APPEN.

CONCL. II.

Si inter saliuam deglutiatur gutta aquæ, non soluitur ieiunium. Ratio est, quia transit per modum saliuæ; & contingit aliquando aquam labi vsque ad guttur, & non ad stomachum vsque & tunc neque soluitur naturæ ieiunium. oportet enim vt quod sumitur ad extra per modũ medicinæ, aut cibi, aut potus in stomachũ descẽdat; vt naturæ ieiuniũ frangatur. *Syluest. est vbi supra.*

Hinc, ex Syluest. vbi supra, & Nauarro in manuali cap. 21 numero 13. (*El que gusta la olla, vino, o otra cosa semejante podra comulgar, o deZir Missa si es Sacerdote*) dũmodo illud quod gustauit, statim foras proiiciat, & in stomachũ non descẽdat APPEN. 2.

Hinc, sanguis, vel humiditas à capite descẽdẽs nõ frãgit naturæ ieiuniũ, nec impedit cõmunionẽ; cũ ad extra nõ sumatur.

Hinc, qui in digestione laborat post opulentissimam cœnam, & noctem insomnem ieiunus censetur, & celebrare potest. Ratio est, quia non habemus præceptum vt post digestionem celebremus, sed vt ieiuni ad Eucharistiã accedamus. potest enim aliquis, etiam si per decem horas, dormierit indigestione grauari. APPEN. 3.

Hinc, reprobanda est glossa super cap. ex parte, de celebratione missarum oppositum affirmans. Tunc enim multi qui debilẽ habent naturalẽ calorẽ, frequẽtissimeq. crudũ habẽt stomachũ, nunquã celebrare deberẽt; quod est falsissimum. *Communis est opinio, lege Siluest. vbi supra.* APPEN.

Quarta diffic. Quo tempore licebit post susceptionẽ Eucharistiæ prandere?

CONCLVSIO.

Licebit modo finita Missa prandere; neque expectanda erit necessario specierum consecratarum digestio; bene tamẽ ex deuotione. nam consuetudo, siue præceptum nihil comedendi vsque ad meridiem: vt habetur in Can. Tribus de consecr. d. 2. iam per contrariam consuetudinem est abrogatum. *Alexã. m. 2. S. Tho. vbi supra. Ric. d. 8. art. 2. q. 4. Sco dist. 9. quæst. 3.*

Prima cõcl. huius articuli cõfutatur error Lutheri in libello, quẽ edidit de abrogãda missa priuata, vbi docuit cõsultius esse *Hæresis.*

esse post cibum sumptum Eucharistiam recipere. lege Clichtoueum lib. 2. de officio Missæ, contra Lutherum cap. 20. & Vualdensem Tomo 2. de sacra. cap. 87.

Alex. q. 49. m. 4. S. Tho. q. 80. art. 9. Ric d. 9. ar. 2. q. 2.

Art. VII. An sit non vtentibus ratione Eucharistia tribuenda?

CONCL. I.

Quando aliquis dicitur amens, quia debilem rationis vsum habet, non est illi Eucharistia neganda. Ratio est, quia debilis rationis vsus satis est ad diiudicandum corpus Domini ab aliis cibis, id est, ad cognoscendum, qua deuotione, & animi præparatione sit ad Eucharistiam accedendum.

APPEN. Hinc, infirmis, quamuis videantur delirare, non est neganda Eucharistia, dummodo prius interrogentur. An habeant animum paratum, & velint eam recipere.

CONCL. II.

Amentibus à natiuitate nulla ratione est Eucharistia dãda. Definita est in Can. omnis vtriusq. sexus. vbi præcipitur nulli esse tribuẽdã, quousque ad annos discretionis peruenerit, & cum amentes à natiuitate nullum habeant, nec habere possint rationis, & discretionis vsum, nulla ratione erit illis Eucharistia conferenda.

2. APPEN. glossa canen. Hinc, refutatur opinio glossæ super Can. qui recedunt 26. q 6. asserentis amentibus à natiuitate esse in necessitate Eucharistiam administrandam.

CONCL. III.

Phreneticis, & amentibus, si in sanitate constituti Eucharistiam petierint, vel signa pœnitentiæ præbuerint, erit Eucharistia tribuenda. definita est expresse in Conc. Carthagin. 4. & ponitur in Can. is qui 26. q. 6. Et ratio est, quoniam sicut qui in vigilia petiit Baptismum si dormiens baptizaretur, gratiam sacramentalem recipit; ita à simili in hoc casu.

3. APPEN. Hinc, laborantibus phrenesi per multã temporis morã erit etiam Eucharistia singulis annis tribuenda. Ratio est, quia non datur illi Eucharistia propter multum aut paruum tempus, quo in phrenesi detinetur, sed propter deuotionem, quàm erga sacramentum in sanitate existens, verbo, aut signo declarauit.

CONCL. IIII.

Paruulis ante vsum rationis non est Eucharistia conferenda. definita est in Can. omnis vtriusq. sexus. vbi dicitur. cum ad annos discretionis peruenerit &c. & in Conc. Trid. Sess. 21. cap. 4. & Can. 4.

Prima diffic. Si aliquis Sacerdos paruulo daret Eucharistiam, reciperet ne sacramentalem gratiam?

CON-

CONCLVSIO.

Reciperet quidem. Ratio est, quia hoc sacramentum operatur non per deuotionem recipientis, sed ex opere operato, virtute meritorum Christi, quemadmodum, si paruulo sacros ordines Episcopus conferret, characterem, & gratiam reciperet.

Secunda diffic. Qua ætate paruuli ad Eucharistiam sumendam obligabuntur? *Alex. & S. Th. vbi supra.*

Caietanus vbi supra S. Thom. tenet ætate 20. annorũ esse illis ministrandam.

CONCLVSIO.

Ecclesiæ consuetudo declarauit, maiorem discretionẽ ad communionem, quàm ad confessionem desiderari Ratio est quia pueri obligantur ad confessionem cum primum nouerint inter honestum, & inhonestum, distinguere, quod nunc sæpissimè ætate 8. annorum contingit: & tamen, Ecclesiæ cõsuetudine Eucharistia eis nón confertur.

CONCL. II.

Non est 14. annorum ætas expectanda, sed quando pueri ante illam ætatem deuotionem aliquam, & dilectionem Dei habere videntur, est illis Eucharistia ministranda. Ratio est. quia habentes hanc deuotionem, non solum bonum à malo distinguunt. verum etiam huic tanto sacramento debitam reuerentiam exhibent. huius autem rei examen paruulorum parentibus, & confessoribus incumbit.

Hinc conuincitur error Pelagij, & Nestorij dicentium Eucharistiam paruulis necessario dandam esse. vide Caiet. vbi supra, S. Tho. art. 12. *Hæresis.*

Art. VIII. An liceat secularibus singulis diebus Eucharistiam sumere? *Alex. q. 51. m 1. ar. 1. S. Tho. q5. 80. art. 10 DD d 12. Bona. art. 2. q 2. Ric art. 6. q. 1. Dur q. 5.*

CONCL. I.

Hæreticum est asserere singulis diebus præceptum esse Christianis absq; vllo discrimine communicare neque. n. de hac re modo habetur præceptum: vt pestilẽtissimus Lutherus docuit, neq; omnes, cum variis negotiis præpediantur, sunt semper dignè ad Eucharistiam dispositi: Sacerdotibus verò cum offerat Sacrificium pro se, & pro tota Ecclesia, tanquàm Ecclesiæ ministris licet pro Ecclesia & animabus purgatorij sacrificium offerre.

CONCL. II.

Sæcularis ita diuino amore flagrans, & se per communionem in dies roborari, & charitati proficere experiens, quotidie poterit communicare. patet ex B. Aug. apud. S. Thom. dicẽtẽ, accipe quod tibi prosit, & sic viue vt quotidie merearis, *D. August. D Bona. & Caiet, est.*

ris, accipere ; cui quidem non in publico sed priuatim erit communicandum.

APPEN.

Hinc; qui non experitur diuinum amorem ex frequēti cōmunione, indies in se augeri, ab hoc sacramento abstineat: vt saltem non nisi semel in hebdomada communicet. Ratio est; quia si hoc non experitur, signum est profectò se minus digne accedere. quotidie enim, inquit D. Aug. celebrare, nec laudo, nec vitupero, & refertur Can. quotidie. de consecr. d. 2.

D. August.

Tertia diffic. Ex duobus æque ad Eucharistiā dispositis vter erit magis laudandus, qui ob reuerentiam tanti sacramenti aliquot diebus abstinet, an qui propter deuotionem frequenter communicat?

CONCL. I.

Luc. 19. Matth. 8.

Vterq. est laudandus. patet exemplo Zachæi, qui gaudens excepit Christum in domum suam, & Centurionis, qui Christum recipere recusauit dicens, Domine non sum dignus &c vterq. enim Christo laudatur.

CONCL. II.

Magis tamen ille laudandus esset, qui propter amorem, & deuotionem singulis diebus communicaret. Ratio est, quia charitas, quæ ad communicandum excitat, est præstantior virtus, & in se timorem, & reuerentiam includit.

Quarta diffic. Fuit ne in primitiua Ecclesia laicis præceptum communicandi singulis diebus?

D. Bona. vbi supra, Ric. ibid. Act. cap. 2.

Mos erat tunc Christianis, diebus singulis communicare, in actibus enim Apostolorum dicitur. Erant autem credentes perseuerantes in doctriua Apostolum, & communicatione, & fractione panis. vbi per communicationem, & fractionem, sancti Sacramenti communionem intelligunt.

CONCL. I.

Hic mos, seu consuetudo fuit illis sub præcepto. Ita enim definitum est à Calixto Papa in Can. peracta, de consecr. d. 2. nam inquit, peracta consecratione, omnes, communicent, & qui noluerint Ecclesiasticis careant liminibus. sic enim Apostoli statuerūt, & sancta Rom. tenet Ecclesia. Ex cōmunicatio autē solū propter fractionē præcepti obligātis ad M. imponitur

CONCL. II.

S. Tho. est ad 3.

Deinde in Ecclesia propter remissam fidelium deuotionē, in diuersis temporibus statutū fuit; vt rarius sæculares cōmunicarent. nā Fabianus Papa instituit vt ter in anno sæculares cōmunicarent, Sotherus verò Rom. Pōtifex: vt in die Cœnę Domini. Tandē in Cōc. Lateranensi decretum fuit in die Paschatis Eucharistia sumeretur ratio autem huius varietatis est quia iuxta temporis varietates leges, statutaq. humana, iure opti

optimo variantur.

Hinc destruitur error Lutheri asserentis singulis diebus esse communicandum. in libello de Missa priuata reuocanda, vocauitq. Missam priuatã in qua solus Sacerdos cõmunicat. *Hæresis.*

Art. IX. Licetne alicui Christiano per totam vitam à communione omnino cessare? Sensus est an sit praeceptum diuinum communicandi semel in vita, an Ecclesiasticum tantum?

Alex. q. 51. m. 3. D. Bona. q. 1 vbi supra, Gabr. in cano. lec 87. Sco. d. 9. in principio quæstionis, Ricar. d. 13 q. 2.

Duæ sunt opiniones. Prima dicit; esse tantum Ecclesiasticũ altera opinio opposita est S. Tho. ar. 11, citato, & Dur. q. 2. vbi supra & Palud. d. q. 1.

CONCL. I.

Præceptum de Eucharistia sumenda est diuinum. patet Luc. 22. & ad Cor. 11. vbi post Eucharistiæ institutionem legitur dixisse; hoc facite in meam commemorationem, quæ verba inducunt præceptum. nam frustra. præcepisset Apostolis, quod ipse fecit, faciendum, si Sacerdotes non tenerentur Eucharistiam sumere, & fidelibus ministrare. cum ipse suũ corpus sumpserit, & iisdem Apostolis in cœna tradiderit. *Luc. 22. 1. Cor. 11.*

CONCL. II.

Ex præcepto Ecclesiæ tenetur homo singulis annis in die Paschatis communicare. definita est in Conc. Latera, & habetur in can. omnis vtriusq; sexus. Hinc, iure etiam diuino tenetur Christianus eodẽ die Eucharistiã recipere: quia idem est præceptũ in determinatũ diuinũ, & ab Ecclesia determinatum: atque ita quãdo fit cõmunio in Paschate ex præcepto Ecclesiæ, præceptũ quoque diuinum de illa sumẽda adimpletur. APPEN.

CONCL. III.

Præceptum de Eucharistia in die Paschatis sumenda potest iam à dominica in ramis, vsque ad dominicam in albis adimpleri. patet per extrauangantem Eug. IIII. quam citat Caiet. in summa verbo communio.

Prima diffic. Estne Eucharistia de necessitate salutis: vt Baptismus, & pœnitentia?

Alex. q. 30. m. art. 1. S. Tho ar. 11. D. Bona. d. 12. art. 3 q 4. Duran. d. 9. q. 2.

CONCL. I.

Nõ est necessaria ad salutẽ quo ad peccatorũ remissionẽ. Ratio est, quia ex sua institutione præsupponit peccatorũ remissionẽ, & peccatoris iustificationẽ, vt infra q. 3 patebit sola enim Baptismi, & pœnitentiæ sacramẽta sunt hoc modo necessaria.

CONCL. II.

Est tamen necessaria ad salutem quo ad perseuerantiam in gratia. Ratio est, quia ad perseuerandũ in gratia est necessaria obseruatio omnium mandatorum Dei & Eucharistiæ perceptio

ptio est vnum ex præceptis diuinis: atque ita est necessaria ad gratiam, & ex consequenti ad salutem. Hac eadem ratione omnia præcepta diuina dicuntur esse ad salutem necessaria.

APPEN.

Secunda diffic. An sit præceptum diuinum sumere Eucharistiam tempore mortis, quando pro Viatico datur?

Alex.q.52.m 4.S.Tho. vbi supra, Duran. loco.citato.

CONCLVSIO.

Est sub præcepto diuino. nam est præceptum diuinum indeterminatum, quod voluit Ecclesia in articulo mortis obligare: vt ex consuetudine Ecclesiastica à temporibus Apostolorum ad nostra vsque tempora seruata, quæ vim habet legis, constat.

Tertia diffic. An sit Eucharistia damnatis ad mortem tribuendam?

CONCLVSIO.

De iure est suspendendis tribuenda. definita est in Conc. Maguntinensi expresse, & refertur 103.q.12.Can. Quæsitũ, vbi dicitur; si de omnibus suis peccatis puram confessionem egerint, communio in fine secundum præcepta canonum danda est, & cadauera sepelienda. quod intellige; si in iudicio crimina confessi fuerint. nam si publicè negant, tanquam suspectis de falsitate, non est Eucharistia conferenda.

Art Vle. An sit sub præcepto Sacerdotibus celebrantibus & communicantibus, & laicis etiam sub vtraq. specie communicare?

Alex.q.53.m 1.S.Tho. artic.12.q.80.D Bona.d.11.q̃o. 2. Ricar. ead. dist.q.6.ar.4.

CONCL. I.

Non est contra ius diuinum populum sub vtraq. specie cõmunicare. definita est in Conc. Constantiensi Sess.13. vbi dicitur in primitiua Ecclesia huiusmodi sacramentum à fidelibus sub vtraq. specie receptum fuisse, & can. in cœna, & can. cum frangitur, & can. quid sit de consecrat. dist. 2.

CONCL. II.

Non est præceptum diuinum, quo populus ad communicandum sub vtraq. specie obligaretur. hæc est contra hæreticos; & est definita in Conc. Basiliensi Sess, 30. & in Constãtiensi Sess. 15. vbi populo in terdicitur cõmunicatio sub vtraq. specie, & in Conc. Rhemensi, & refertur can. prouenit de consecr. d.2. & in Carthagin. & in aliis Conciliis, & tandem in Trid. Sess. 21. cap. 1. & 2 &. can. 1. & 2.

CONCL. III.

Præceptum Ecclesiasticum, quo sub specie tantum panis communicandum populo præcipitur, est magis rationi consentaneum, quàm oppositum: vt multis argumentis à Patre de Castro, verb. Eucharistia. hæresi vltima, probatur. est autẽ definita in quatuor Cõciliis generalibus, scilicet, Cõstantiẽsi Basilien-

Basiliensi, Flor. & Trid. vbi oppositum asserentes condemnãtur. Hinc colligitur magis expedire Ecclesiæ communionẽ sub vna tantum specie, quàm sub vtraque, lege Caiet. vbi supra S. Tho. sunt enim multæ mulieres, quæ tunc præ stomachi debilitate ad vomitum prouocarentur. Hinc etiam patet non expedire S. Rom. Ecclesiæ calicis communionem alicui nationi concedere nam si petentes sunt catholici reprehẽdendi potius, quàm audiendi sunt. satis enim est illis eam cõmunionem recipere, quàm B. Franciscus, & alij sanctissimi viri receperunt. si autem hæretici sunt multò minus sunt audiendi. tunc enim gloriarentur catholicos sua falsa doctrina victos calicis vsum concessisse, & eadem ratione esset vniuersę Ecclesiæ concedendus, & ideo Con. Trid. Sess. 21. Can. vlt. ab huius art. definitione abstinuit. APPEN. APPEN. 2.

Difficultas. Daturne maior gratia suscipienti Eucharistiam sub vtraque specie? *Alex. & S. Th. ibidem.*

CONCLVSIO.

Non datur maior gratia suscipiẽti sub vtraque specie. quàm sub altera tantum. Ratio est, quia cum vnica sit perceptio corporis, & sanguinis Christi, non dabitur vnus gradus gratiæ, per susceptionem corporis, & alius per calicis sumptionem: quemadmodum sacerdoti sumenti decem Hostias consecratas maior gratia, quàm sumenti vnam tantum non datur. qui earum omnium est vnica sumptio, atque ita nullum detrimentum populo irrogatur, quàmuis illi sanguis non ministretur, vt supra S. Th.

Hinc, cofutatur error Bohemorum asserentium esse magnum sacrilegium Eucharistiam sub specie vini populo negare. quem errorem excitauit nefandus Lutherus. quo etiam errore laborant græci non quod sub specie vini populus communicet, quia iam illis ab Ecclesia Rom. concessum est, sed quia nobis vitio dant consuetudinem Rom. Ecclesię, negandi populo calicem, Hactenus de 2. quæst. *Hæreses.*

QVÆSTIO TERTIA DE EFFECTIS EVCHARISTIÆ.

Alex. q. 41. m. 2. S. Th. q. 79. art. 1. D. Bona. d. 12. art. 3 q. 2. Ric. art. 5. q. 2. eiusdem dist. Dur. ibid. q. 4 Castr. V. Euch. hære. 8. 9. DD. vbi supra.

Art. I. An virtute huius sacramenti gratia conferatur?

CONCLVSIO.

Confertur quidem dignè suscipientibus Eucharistiam virtute sacramenti gratia. conclusio est de fide, & definita expressè in Conc. Flor. & Trid. Sess. 15. & can. 5.

Prima diffic. An Eucharistia possit primam gratiam qua homo ex peccatore fit iustus, conferre?

CONCL. I.

EVcharistia per se non confert primam gratiam, bene tamen per accidens. Ratio est, quia non est institutum hoc sacramentum ad hunc finem a Christo Domino; vt primam gratiam conferret; vt fuerunt instituta Baptismi, & pœnitentiæ sacramenta, quæ virtute suæ institutionis dicuntur primam gratiam conferre. Secũda pars etiam patet; quia gratia sacramentalis datur non ponenti obicem, quem quidẽ non ponit, qui cum ignorantia inuincibili ad Eucharistiam accedit hæc eadem. Ratio est, de omnibus aliis sacramentis, & est ferè cõmunis conclusio quàm d.9.4.iidẽ Doctores tractant.

CONCL. II.

Conferre primam gratiam conuenit per se Eucharistiæ, quatenus tempore Baptismi in voto recipitur. Ratio est, quia quando causa efficiens operatur propter aliquem finem, tunc etiam dicitur finis ille operari, quatenus mouet efficientem causam producentem effectum, vt pecunia operatur, quatenus mouet artificem; qui propter pecuniam operatur; & Baptismus atque pœnitentia efficiunt primam gratiam in nobis propter hunc finem, vt dignè Eucharistiam recipiamus. atque ita gratia tunc ab Eucharistia, tanquã à finali causa cõfertur.

Alex.m.3.art 3. vbi supra.

Secunda diffic. Confertne Eucharistia gratiam, quando recipitur, an quando species in stomacho corrumpũtur?

Duæ sunt opiniones. Prima Caiet.art.1. vbi supra S. Tho. Ioan. Maior.d.9. 4. asserentium non dari primam gratiam, in instanti receptionis, sed in aliquo instanti vsque ad receptionem in stomacho. Contraria opinio est Magistri, & cæterorum. d.9.4.

CONCLVSIO.

Gratiam confert tempore, quo recipitur, & per receptionẽ intellige non retentionem eius in ore, sed descensum in stomachum. probatur à simili. nam vt alia sacramenta precisè in instanti perceptionis conferunt gratiam: ita & hoc. quia quã tum ad gratiæ collationem eadem est omnium sacramentorum ratio.

Tertia diffic. Requiriturne actualis deuotio tempore, quo Sacerdos Eucharistiam recipit? Vt sibi gratia conferatur?

Duæ sunt opiniones. Prima Caiet, vbi supra S. Tho. art. 1. qui dicit, vt aliquem fructũ ex hoc sacramento Sacerdos, vel sæcularis recipiat, desiderari actualem tempore receptionis deuotio-

deuotionem. Hæc eadem opinio videtur fuisse Alex. vbi supra in 3. ar. 2. & D. Bona. q. 1. ad 1. & Dur. loco citato.

Altera, & contraria opinio est S. Tho. vbi supra ar. vltimo asserentis veniale peccatum gratiæ habitualis, & charitatis, quæ datur virtute Eucharistiæ, augmentum minime tollere.

CONCLVSIO.

Actualis deuotio tempore receptionis non est necessaria ad gratiam sacramentalem consequendam. impossibile enim esse videtur; habere intellectum fixum per aliquod temporis spatium in alicuius rei contemplatione; quin per momenta distrahamur. nam impossibile est, inquit D. Aug. quin visis tangamur, etsi actualem deuotionem tūc habere teneremur ad impossibile profectò obligaremur. D. August.

Quarta diffic. An qui timore vomitus Eucharistiam tantummodo adorat, gratiam sacramentalem recipiat? Alex. vbi supra.

CONCLVSIO.

Nullum sacramentum gratiam confert, nisi in se, vel in alio sacramento; vt causa finalis, sed in voto tantum recipiatur. Ratio est, quia gratia sacramentalis, quæ datur ex opere operato, id est, virtute passionis Christi, non confertur nisi per sacramenta exteriora, quibus passio Christi nobis applicatur recipit tamen adorans Eucharistiam, gratiam, quæ ex opere operantis confertur, de qua loquitur D. Aug. cum ait, crede, & manducasti. D. August.

Quinta diffic. Estne effectus Eucharistiæ gloriæ consequutio, sic ut gratiæ collatio?

CONCLVSIO.

Est quidem, quia gloria est vita perfecta; & Eucharistia dicitur sacramentum vitæ Ioan. 6. qui manducat hunc panem, viuit in æternum. Hinc etiam viaticum nominatur. quia datur morientibus; vt recto tramite ad gloriam proficiscantur. Ioan. c. 6.

Hinc destruuntur duæ hæreses. Prima Messalianorum asserentium hunc sanctissimum cibum, nec prodesse quicquā, nec lædere, & Armenorum dicentium soli corpori prodesse. Altera hæresis fuit Græcorum existimantium maiorem vim habere Eucharistiam in die Cœnæ, quam in alio die confectam quod quidem falsissimum est, quia sacramentum. vt docet Conc. Flor. non ex tempore, sed ex debita materia, forma, & intentione pendet, & Christus in Cœna tradens potestatē Apostolis consecrandi absolutè dixit; hoc facite in meam cōmemorationem, & nullam temporis legem præscripsit. Hæreses. Castr. V Euch hæresi 8. Luc. C. 22.

Art. II. Remittit ne Eucharistia peccatum mortale?

Alex. Alen. q̄o. 41. m. 1. art. 2. S. Tho. q. 79. artic. 3 DD. dist. 12. 2. Bona. q. 2. Ricar. ar. 5. quæst. 1.

Tres sunt opiniones. Prima affirmantium nullum sacramẽtum conferre primam gratiam, nec remittere peccatum. M. quia præsupponuntur remissa per contritionem præuiam. hęc opinio quantum ad Baptismum, & pœnitentiam est erronea, quia si aliquis ad hęc duo sacramenta attritus accedat, primam gratiam consequetur, & ex consequenti omnium mortalium remissionem. ita definitum est Con. Trid. Sess. 14. cap. 4.

Secunda opinio, ait; omnia sacramenta conferre primam gratiam, & per consequẽs peccata remittere, ita vt Baptismus, & pœnitentia per se, reliqua verò per accidens hoc efficiant.

Tertia opinio est media, quæ dicit Baptismum, & pœnitentiam conferre primam gratiam per se, reliqua verò neque per se, neque per accidens.

Sco. liberatur.

Scoto falsissimè hæc opino ascribitur. nam d. 9. q. 1. de Eucharistia verba faciens ita loquitur. si qua alia peccata lateant, per istud sacramentum etiam remittuntur. quibus verbis apertissimè docet, & peccatum mortale per Eucharistiam remitti, & primam gratiam conferri. nam de lege nõ potest Deus culpam remittere, quin gratia conferat.

CONCL. I.

Quando prima gratia per Baptismum, vel per pœnitentiam confertur, & peccata remittuntur, Eucharistia quatenus est in voto suscipientis, concurrit. quia est causa finalis Baptismi, & pœnitentiæ, & causa finalis operatur simul cum causa efficiẽte, quatenus illam ad operandum mouet.

CONCL. II.

Si accedens ad Eucharistiam sit suæ attritionis cõscius, peccatorum remissionem non consequetur. qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat &c.

1. ad Cor. 11.

CONCL. III.

Ad Eucharistiam cum conscientia peccati. M. accedens, prętèr pœnam æternam, ad quàm obligatur, plerumq. corporalem contrahit infirmitatem. constat apertissimè. nam de his B. Paul. loquens ita ait. Ideo inter vos multi infirmi, & imbeciles, & dormiunt multi vide gloss. super hunc locum.

1. ad Cor. 11.

CONCL. IIII.

Si quis attritus se contritum existimans ad Eucharistiã accedat primam gratiam, & mortalium peccatorum remissionẽ consequetur. Hæc conclusio colligitur ex Alex. quem sequutus est B. Tho. vide Castro hæresi. 8. ver. Eucharistia. Et ratio est, quia cum Eucharistia non ponentibus obicem gratiam conferat, & hic nullum ponat obicem (fecit enim totum quod in se erat) profectò primam gratiam, mortalium remissionem

conse-

consequetur. Est autem limitanda conclusio, nempè, quando non habetur confessoris copia. nā si haberetur peccaret mortaliter, si prius non confiteretur.

Prima diffic. An detur accessus medius ad Eucharistiam, ita vt accedens neque peccet, neque gratiam consequatur?

Alex. Alen. q. 46. in 3. ar. 2. S. Tho. ar. 1. D. Bona. eodē ar. vbi supra.

Duæ sunt extremæ opiniones. Prima Alex. Alen. quem sequuti sunt D. Bona. & Caiet. art. 1. vbi supra, B. Tho. & Ioā. Gerson, quem citat, & sequitur Gabriel d. 9. quæst. 2. qui partē affirmantem tenet, contraria opinio est Iohan. Maior d. 9. q. 2.

CONCLVSIO.

Medius datur ad Eucharistiam accessus ita vt accedens neque peccet, neque consequatur gratiam. Potest. enim aliquis ignorare inuincibiliter esse necessarium habere dolorem ante Eucharistiæ susceptionem, & is si cum hac iuris ignorantia, ad Eucharistiam accedat, etiam alicuius dilicti conscius cuius neque complacentiam, neque displicentiam habet, tali ignorantia à peccato excusabitur, & gratiam non consequetur, quia nullus dolor de illo delicto præcessit, nullum enim peccatum per sacramentum deletur nisi præcedēte dolore aliquo. quamobrem debet Sacerdos alicuius peccati ignarus; vt gratiam consequatur, saltem in generali conteri, dicens de confessis, & oblitis me pœnitet, & confiteor me peccasse.

Secunda diffic. An venialia peccata per Eucharistiam remittantur?

Opinio Caiet. vbi supra est, scilicet, si tempore receptionis homo est distractus, sicut Eucharistia non dat gratiam; ita neque venialia remittit. opinio contraria est grauissimorum doctorum.

Alex. Alē. m. 1 ar. 1. S. Tho. ar cic. 4 & 5. D. Bona q 3. Ric. art. 5. q. 1. vbi supra.

CONCLVSIO.

Venialia peccata quod culpam per Eucharistiam remittentur. Ratio est, nam si mortalia remittuntur per Eucharistiam virtute gratiæ habitualis, quæ tunc confertur. vt ex superioribus constat. multò magis venialia, de quibus non habetur complacentia, quamuis homo tempore receptionis sit distractus, remittentur.

Tertia diffic. An per Eucharistiam pœna temporalis luenda in purgatorio remittatur?

De hac re latius in q. de sacrificio Missæ.

Alex. Alen. q. 41. m. 1. §. 2. ar. 2. S. Th. art. 5. vbi supra.

CONCL. I.

Remissio pœnæ infligendæ, quæ per Eucharistiam vt est sacramentum, fit, non ratione sacramenti efficitur. Ratio est

quia Eucharistia fuit instituta non ad remittẽdam talem pœnam, sed ad animæ gratiã augendam. quemadmodum cibus corporalis ad augendas & reficiendas corporis vires.

CONCL. II.

Efficitur tamẽ ratione dispositionis recipientis, & charitatis, quæ tunc infunditur, pœnæ remissio. Cõstat Exod. 12. nã manducatio agni Paschalis cum lactucis agrestibus innuebat, cum dolore & amaritudine nostrorũ peccatorũ, & passionis, sanctissimã Christi Eucharistiam esse à nobis manducandam. tum etiã ratione charitatis per accidẽs fit talis pœnæ remissio est enim rationi consentaneum: vt quoties nouum amicitiæ augmentum efficitur, pœna aliqua ab amico remittatur, & donum aliquod concedatur.

Exod. 12. c. Alexã. & S. Tho. sunt.

CONCL. III.

Eucharistia, quatenus est oblatio, & sacrificium, pœnam iuxta mensuram deuotionis offerentium remittit, plus enim Deus affectum offerentis, quàm munus oblatum respicit. nã vidua, quæ duo tantum minuta obtulit, propter affectũ dicta est plus omnibus obtulisse.

Lucæ 21.

CONCL. IIII.

Hic sacrificij effectus sine actuali deuotione etiam dormienti applicatur: deuotio enim non est necessario habenda tẽpore, quo Missa pro aliquo offertur, sed tempore quo petit, vt celebraretur.

APPEN.

Hinc, Eucharistia Sacerdoti bifariam prodest; & vt sacramentum, quatenus sibi illam recipienti gratiam confert & vt sacrificium, quatenus iuxta mensuram deuotionis pœna sibi remittitur, perinde etiam illis pro quibus offertur; dummodo illam recipiant, alioqui enim solum prodest per modum sacrificij ad impetrandum, & pro peccatis satisfaciendum. De cęteris Eucharistię effectis copiosissimè DD. pręsertim Alex. D. Tho. & D. Bon. vbi supra, disputant.

Alex. Alẽ. q. 40. m. 3. per 8 ar. & q. 53. m. 4. per. 5. ar. S. Tho. q. 76. art. 1. DD. d. 10. D. Bona. q. 2. art. 3. Ricar. q. 1. art. 1. Sco. & Duran. q. 1.

QVÆSTIO QVARTA DE EXISTENTIA CORPORIS CHRISTI IN EVCHARISTIA.

Art. I. An verè, & realiter sub hoc sacramento corpus & sanguis Christi existant?

CONCLVSIO.

Corpus Christi Iesu verè, & realiter non metaphoricè sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini facta conse-

consecratione continentur. hæc conclusio multis sacræ scripturæ, & sanctorum testimoniis probatur. estq; definita in multis Conc. & tandem ad verbum in Trid. Sess. 15. cap. 1. & Can. 5.

Hac conclusione quã copiosissimè Pater à Castro, hæresi. 4. 11. & 12. verb. Eucharistia confirmauit, destruuntur multi errores. Primus fuit discipulorum, qui abierunt dicente Christo, nisi manducaueritis carnem filii hominis &c. de quo Magist. d. 10. Secundus asserentium; ibi esse carnem alicuius hominis, in quã panis substantia conuertitur. prodesseq; ad peccati remissionem, siue homo ille iustus esset, siue non. Tertius Nestorii dicentis in Eucharistia contineri carnem nõ Dei, & hominis; sed puri hominis, fueruntq. damnati 2. & 3. error in prima synodo Ephesina. Quartus Berengarii, scilicet, verba hæc; hoc est corpus &c. esse intelligenda non in proprio, sed in metaphorico sensu. Constat ex Can. ergo Berengarius. de consecr. d. 2. quem errorem post multos annos excitauit Vvicleph, & Oecolampadius Lutheri discipulus. Secundus asserentium in mortali existentes non recipere corpus Domini, Hostiam consecratam suscipientes. qui etiam consecrationem negant; tamdiu enim ibi corpus Christi est, quamdiu species consecratæ durant. Vlt. error fuit existimãtium corpus Christi in Eucharistia solũ, dum sumitur, existere. Verum de his duobus vltimis erroribus supra q. 2. egimus. *Hæreses.* *Ioan. cap. 6.*

Ex conclusione posita, & probationibus; quæ à Patre à Castro afferuntur. colligitur cautè legendum esse Caiet. vbi supra S. Thom. dicentem non apparere ex Euãgelio aliquod coactiuum, quo possimus conuincere hæreticos ad intelligẽda verba hæc, hoc est corpus meum, propriè; sed tenendum hoc esse solum ex authoritate Ecclesiæ quæ ita verba consecrationis declarat. APPEN. *Caiet. cautè legendus.*

Art. II. An totus Christus sub hoc sacramento contineatur?

CONCL. I.

Totus Christus sub speciebus panis, & vini continetur. Ratio est, quia vt fides Catholica docet. idem Christus, qui in cœlo ad dexteram patris sedet, est in altari. *Alex. Alẽ ar. 2. & 3. S. Tho. artic. 1. ubi supra, D. Bona. art. 1 q. 1. Ric. q 2. ar. 1. Dur. qõ. 2. in eadem dist. 10.*

CONCL. II.

Virtute verborum consecraionis corporis non est totus Christus in hoc sacramento. Ratio est, quia hæc verba; hoc est corpus meum, virtute propria solum efficiunt, quod significant: & cum non significent totam Christi personam, sed corpus dũtaxat, virtute verborũ solũ corpus ibi cõtinebitur.

CONCL. III.

Humanitas, & Diuinitas Chriſti Ieſu ſũt in Euchariſtia per ſolam concomitantiam ad corpus. nam cum in ea ſit totus Chriſtus, vt ex prima concluſione conſtat, & non virtute verborum conſecrationis. vt in 2. concluſione demonſtratum eſt, erunt profectò per concomitantiam.

CONCL. IIII.

Quantitas, & accidentia corporis Chriſti, ſolum ſunt in Euchariſtia per vnionem, & concomitantiam ad corpus. non enim per verba conſecrationis ſignificatur, ſcilicet, hoc eſt &c. nam corpus ibi non ſupponit pro trina dimenſione, ſed pro altera parte compoſiti naturalis. Hinc, ſolum Chriſti corpus eſt ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ſub ſpeciebus vini virtute verborum conſecrationis. definita eſt expreſsè in Conc. Trid. Seſſ. 13. cap. 3. Hinc ſub ſpeciebus panis ſanguinem per concomitantiam ad corpus, & ſub vini ſpeciebus corpus, per naturalem concomitantiam ad ſanguinem eſſe colligitur.

APPEN.

APPEN. 2.

APPEN.

Hinc colligitur, quod ſi Hoſtia cõſecrata à Chriſto in Cœna fuiſſet reſeruata in illo triduo, corpus abſque ſanguine extitiſſet tunc enim ſanguis non erat corpori naturaliter vnitus; cum ita eſſet à corpore effuſus: vt ex latere ſanguis, & aqua ſimul emanauerint.

Difficultas. An virtute conſecrationis corporis ibi et anima, tanquam terminus formalis cõuerſionis panis, vel per ſolam concomitantiam, contineatur?

Alex. Alẽ. vbi ſupra.

Duæ ſunt opiniones. Prima B. Thom. q. 75. arti. 6. ad. 2. aſſerẽtis animam eſſe terminum formalem, quatenus dat corpori eſſe corporeum, organicum. Altera, & contraria opinio eſt Sco. d. 10. q. 4. art. 2.

CONCLVSIO.

Formalis terminus conuerſionis panis eſt Chriſti Ieſu corpus, quatenus ex materia prima, & forma corporeitatis, componitur; & non, vt ex anima dante eſſe corporeum. conſtat quia forma dans corpori eſſe corporeum non eſt anima rationalis, ſed forma corporeitatis; alioqui n. ſequeretur quod cadauer non eſſet eiuſdem hominis viuentis corpus, quod eſt erroneum in Phĩa, & in fide. quia tunc corpora ſanctorum non eſſent veneranda neque corpus Chriſti in ſepulchro fuiſſet idem qũod in cœna quod eſt contra fidem, & multorum ſanctorum authoritates, quas apud Scot. vbi ſupra reperies. ratio manifeſtiſsimè hoc concludit; nam ſi forma eſt, quæ dat eſſe rei, & poſt mortem corpus non habet eandem formam ſubſtãtialem; vt aduerſarij fatentur, nõ erit profectò idem corp⁹.

Art. III. An totus Chriſtus ſub vtraq; ſpecie contineatur?

CON-

CONCLVSIO.

Continetur quidem totus sub vtraque . specie. Definita est in Con. Flor. & Trid. Sess. 13.cap.3.& Can.3.& Sess.21.cap. 3.& Can.3.est autem intelligenda conclusio. vt art 2.diximus: ita vt corpus Christi sit sub speciebus panis virtute verborum. reliqua per concomitantiam;& sub speciebus vini virtute verborum sanguis, reliqua verò per concomitantiam continentur.

Alex.Alē.qō. 40 ar.2 & 3 S.Tho.q.76.artic.2.ad 3. D. Bona. 10. qō. 5.&.Ric.q.1. &.2.Dur.q.2 Gab.super.cā. lect.80.

Difficultas. An sub qualibet particula vtriusque speciei totus etiam Christus contineatur.

Duæ sunt opiniones, quas citant Alex. & S. Thom. vbi supra. Prima asserentium ante fractionem non esse totũ Christum in qualibet parte Hostiæ, sed totum in tota,& partem in parte: ita vt Christus ad extensionem Hostiæ extendatur.post fractionem verò Hostiæ esse totum in qualibet particula . Ex hac opinione multa sequuntur absurda. Secũda opinio est cõmunis dicens: esse totum in qualibet particula &c.

CONCL. I.

Post fractionem Hostiæ totus Christus sub qualibet particula continetur . definita est expressè in Con. Flor . & Trid. Sess. 13. cap. 3. & Can. 3.

CONCL. II.

Ante fractionem Hostiæ, & ante diuisionem specierum vini totus Christus sub qualibet Hostiæ particula,& vini guttula continetur. definita est Can. vbi pars. de consecr. d. 2. dicitur enim,vbi pars est,etiam & totum.hęc est contra primam opinionem.

Art. IIII. An eædem proprietates,quæ corpori Christi Iesu sub modo naturali existenti insunt, necessario eidem sub modo sacramentali insint?

Duæ sunt opiniones.Prima est Magistri Soto d.10.q.1.ar.24 dicentis . posse Deum sua omnipotentia efficere; vt corpus Christi sit habens quantitatem in cœlo , non tamen in sacramento; atque etiam, vt in sepulchro fuisset absque anima , & sanguine,& in sacramento cum anima & sanguine,& hanc dicit fuisse Scot. opinionem. cum tamen contrarium ad verbum vbi supra Scot. teneat; dicit enim impossibile esse Christi corpus sub modo naturali habere aliquas proprietates absolutas, quibus sub modo sacramentali careat.

Alex.Alē.ar. 7.vbi supr.D. Bona.loco citato ad 2.Sco.d. 10.q.4. Sco.liberatur

CONCLVSIO.

Corpus Christi necessariò easdem proprietates absolutas in sacramento, quas extra sacramentum, habet. patet, nam dato opposito,darentur duę contradictorię simul verę,scilicet,hoc *Scot.est.*

corpus est viuens, & non viuens: habens sanguinem, & non habens sanguinem &c. quamobrem impossibile est corpus Christi extra sacramentum esse mortuum, vt erat in sepulchro, & in sacramento viuum. &c. vt asserit prima opinio. quid? quod absoluta non variantur ad variationem relationum, sūt enim priora respectibus, & ab illis minimè pendent.

Art. V. An existentia corporis Christi in sacramento necessario eiusdem existentiam extra sacramentum, & sub modo naturali, supponat?

Duæ sunt opiniones. Prima Caiet. q. 76. art. 2. B. Tho. qui opinatur partem affirmantem esse impossibilem, Altera est Scot. d. 10. q. 4. & illam Caiet impossibilem iudicat. Primum animaduerte existentiam naturalem corporis esse occupare locum, & ad extensionem loci extendi existentiam verò sacramentalem esse contineri sub aliquo signo, & non occupare locum, neque ad extentionem loci extendi.

CONCL. I.

Neuter horum modorum existendi ab alio dependet. probatur: quia neque dependet vnus modus ab alio essentialiter, siue intrinsece: neuter enim in definitione alterius includitur. neque vt à causa extrinseca efficiente, & conseruante; neque modus sacramentaliter existendi à modo naturali, cū sit creatura, sed à solo Deo efficitur. Tandem, neque pendet vnus ab alio, tanquam à suo correlatiuo. tunc enim non posset esse vnus modus sine altero, quod est erroneum; quia ante institutionē Eucharistiæ Christus erat sub modo naturali, eritq; post diem vniuersalis iudicij, quando nullum sacramentum existet.

CONCL. II.

Possibile fuit ante incarnationem Christi corpus sub modo sacramentali duntaxat esse. probatur, & primum perpende corpus Christi posse desinere esse, vel simpliciter, vel secundum quid simpliciter quidem, si eius humanitas corrumperetur, secundum quid verò, quantum ad modum existendi tantum. Exempli causa desinere esse sacramentaliter, nil aliud est, quàm non contineri sub speciebus panis, haberéque modum quātitatiuum, & extensum; atque hoc est corpus Christi, desinere esse secundum quid sacramentaliter. perinde desinere esse solum quantum ad modum naturalem existendi; est non habere modum quantitatiuum, id est, extensionem ad loci mensuram. à simili etiam corpus incipere esse secundum quid est incipere habere modum naturalem, vel sacramentalem existendi; vnde corpus Christi incipere esse, secundum quid, est; quando fit cōsecratio, incipere esse simpliciter est: to-

tius

tius suppositi inceptio. ita vt sit verum dicere, hoc suppositum nunc est, & immediatè ante hoc non fuit. Deinde nota; corpus Christi realiter distingui ab vtroq; modo existendi. nam potest existere, & existit absque altero istorum modorum. nā modo est in cœlo, & non sacramentaliter, & in Hostia, & nō est ibi naturaliter, his positis, probatur cōclusio: corpus Christi realiter distinguitur ab vtroque modo existendi, & neuter illorum modorum pendet ab alio: vt ex prima conclusione constat: ergo sub altero modo poterit esse simpliciter: vt sub modo sacramentali. quamobrem possibile fuit ante incarnationem &c. consequentiam ita probat Sco. nam quando res differenter se habet ex se ad duos existendi modos, sub quolibet potest incipere esse simpliciter. potest enim homo incipere esse sedendo vel stando, quia indifferenter ad vtrumque modum existendi se habet.

CONC. III.

Possibile est per potentiam diuinam, vt corpus Christi desinat esse quoad modum existendi naturalem, & non quoad modum existendi sacramentalem. Ratio est, quia desinere esse quoad modum naturalem non esset corrumpi, sed solum non occupare locum, & ad extensionem loci, quo continetur non extendi, quemadmodum quando cōtinetur sub speciebus vbi est inextense, obijcies, sequeretur tunc formam sacramenti, hoc est corpus meum, esse falsam, si tantum esset sub modo sacramentali, nam facit hunc sensum; hoc corpus, sub his speciebus contentum, est idem corpus quod sub modo naturali præexistit. R. nunc facit hunc sensum: vt verò si non esset sub modo naturali, esset nihilominus vera oratio: nam significaret corpus sub speciebus contentum; atque ita virtute horum verborum, siue aliorum posset Deus facere, vt Christi corpus simpliciter sub sacramento esse inciperet.

Insurges iterum; ante incarnationem illud corpus non fuisset formatum ex sanguinibus; vt postea, quare non præcessisset sub sacramento idem corpus numero, sed aliud R. si humanitas Christi in sacramēto incarnationē pręcessisset, eandem differentiam indiuidualem habuisset; atq; ita esset eadem humanitas numero, quæ fuit post incarnationem. etiam si demus materiam esse formale principium indiuiduationis. quia materia est ingenerabilis & corruptibilis: atq; ita eadem numero humanitas ante, & post incarnationem fuisset.

Iterum disputabis; si potuisset ante incarnationem in Eucharistia præexistere, tempore, quo fuit corpus ex virgine genitū, essent simul duæ contradicentes propositiones veræ. f. hoc corpus incipit esse simpliciter quia modo generatur &, hoc

hoc corpus non incipit esse simpliciter; propterea quod iam præexistebat. Sequeretur etiam: idem bis produci, quod est intellectu difficillimum. R. Immo facillimum est intellectu, nam si sacramẽtaliter præextitisset, per incarnationem quoad naturam humanam simpliciter esse non incepisset, sed secundum quid. s. quantum ad modum naturalem existendi. nec tunc per incarnationem generatum fuisset, sed transubstantiatum; atque ita non esset bis genitum. nam, vt fit modo corpus ex pane per transubstantiationem, & non per generationem; ita tunc temporis ex sanguinibus sanctissimæ virginis corpus Christi fuisset secundum quid, quoad modum naturalem existendi virtute illorum verborum, ecce ancilla Domini &c. Tandem rogabis, quod non est in seipso, non potest esse in alio, sed si sub modo naturali non præextitisset, non esset in seipso; in alio, id est, sub modo sacramentali. R. imo esset in seipso; nam esse in seipso, est; habere esse reale, quale habuisset sub modo sacramentali: atque ita sub tali modo potuisset existere, quamuis sub modo naturali non præextitisset.

Art. VI. An corpus Christi sub speciebus panis & vini habeat dimensiones quantitatis, longitudinem &c?

dist.10.q.2. Tres sunt opiniones. Prima. Dur. qui probabile esse arbitratur, corpus Christi absq; vlla quantitate in Eucharistia existere. Secunda opinio est Ochami, vt refert Gabri. Lect. 43. super can. tenet, nullo modo habere quantitatem. quia quantitas (vt ille docet) non distinguitur à substantia, siue à re quanta; sed est tantum modus existendi rei in loco, scilicet, extensio substantiæ ad mensuram loci. Tertia opinio est communis Alex. & cæterorum.

Alex. Alẽ. qõ. 40. m.3. ar.4. S.Tho ar.3. Ricar. d.10. qõ.2. ar 1. Sco. d.10 art.1.

CONCL. I.

Christus in altari quantitatem habet. corpus enim Iesu est animatum anima rationis compote, quæ non potest informare nisi corpus organicum. quia anima actus corporis Physici, organici &c. & non informat corpus nisi sub certa, & determinata quantitate, quid; quod, si substantia corporis Christi non haberet quantitatem, esset incorporea, & forma cõsecrationis, hoc est corpus meum, esset falsa. quod est perabsurdũ.

Art.2. de anima.

CONCL. II.

Christus in altari modum quantitatiuum non habet patet; quia magis proprium est, & peculiare substantiæ existere per se, quam sit quantitati habere modum quantitatiuum; & humanitas Christi à verbo diuino assumpta non est per se: quare poterit Deus efficere vt quantitas sine suo modo quantitatiuo existat.

Hinc

Hinc colligitur Christũ in Eucharistia non replere locum, nam si repleret; Hostiæ quantitatem excederet, quod est contra fidem. APPEN.

CONC. III.

Quantitas non virtute verborum, sed per concomitantiam est in Eucharistia. nam vbi est corpus, est etiam, quicquid illi naturaliter vnitur. *Communis est opinio.*

Posset tamen defendi, esse ibi virtute verborum, quia quantitas de ratione corporis organici est, cũ impossibile sit, corpus sine quantitate habere organa.

Art. VII. An corpus Christi sit sub quantitate panis, vt in loco? *Alex. Alẽ. q̃o. 40. ar. 6. & 7 m. 3. S. Tho. q̃o. 76. ar. 6. D. Bona. d. 10 q̃o. 3. & 4. Ricar. d. 10. q. 1. art. 2. Scot. ead. d. q. 1 Durã. ibid. q. 2. & d 11. q. 1.*

CONCL. I.

Christus Iesus in Hostia circunscriptiuè non continetur. nã cum non habeat ibi modum quantitatiuum, neque occupat locum neque loco circunscribitur: ita vt in alio non existat, quod est circunscriptiuè esse in loco. dicitur tamen esse circunscriptiuè in loco specierum per accidens, vt qui est in naui dicitur in mari esse.

CONCL. II.

Neque est in hoc sacramento definitiuè, illud enim est definitiuè in loco, quod ita ibi est, vt nullo modo alibi existat. Corpus verò Christi Iesu sub pluribus speciebus consecratis, & in cœlo existit. *Contra Gabri. est vbi supra.*

CONCL. III.

Est autem sub speciebus tanquam in loco præsentialiter. nã substantia panis erat sub speciebus intimè præsens, & corpus Redemptoris nostri loco substantiæ panis, dempta tamen inhærentia, succedit, & per intimam præsentiam, siuè præsentialitatem intelligitur nullum esse inter extrema spatium.

CONCL. IIII.

Est quoque ibidem modo supernaturali, id est, sacramentali. quia sub speciebus consecratis continetur, & ab illis quantum ad esse secundum quid, conseruatur. tandiu enim ibi existit corpus Christi sacramentaliter, quandiu, species durant. *Alex. Alen. q. 40. m. 3. art. 6 §. 3. S. Thom. q. 75. ar. 1. Reliqui. d. 10 D. Bona. q. 2. ar. vlt. Ricar. q. 2 art. 2. Scot. q 2. & Duran. q. 1.*

Art. VIII. An per diuinam potentiam posset idem corpus in diuersis locis existere?

Duæ sunt opiniones. Prima negans S. Tho. Dur. & aliorũ, quos numerat Soto. Secunda est Alexa. Alen. Ric. Ochami, Scot. & aliorum nominalium, quibus multi Thomistarum, subscripserunt.

CONCL. I.

Idem

Idem corpus per Dei omnipotentiam potest simul in pluribus locis circunscriptiuè existere. ratio prima Sco. est. quia cum duo corpora per Dei omnipotentiã possint simul in eodem loco existere, quorum alterum non occupat locum: vt constat de corpore Christi in hora sui sanctissimi ortus; poterit profectò idem corpus per eandem potentiã simul in duobus locis esse. Illationem confirmo. Primum quia magis proprium est quantitati replere, locum, quam esse in loco, & potest esse, quin repleat locum, vt ex proxime dictis constat, ergo &c. 2. quia prius est habere quantitatem, quàm loco contineri; quamobrem corpore non multiplicato locus multiplicari poterit, & ex consequenti in pluribus locis collocari. Posterius enim multiplicari potest, priori præsertim si sit absolutum non multiplicato. Deinde confirmatur conclusio: idem corpus potest esse in pluribus locis sacramentaliter, quod maius est; ergo per Dei omnipotentiam poterit circunscriptiuè in pluribus locis existere; nam existentia sacramentalis tria exigit miracula. 1. esse in pluribus locis 2. sine loci occupatione existere, & 3. absque modo quantitatiuo. At verò circũscriptiua existentia eiusdem corporis in pluribus locis primum tãtum miraculum præsupponit. Tum etiam corpus Christi est in pluribus locis, & non per motum localem, sed solum per cõuersionem substantiæ panis in ipsum, possetq; Deus efficere, vt panis substantia in corpus Christi sub modo naturali conuerteretur. quia pauciora essent miracula. Quamobrem per panis substantiæ conuersionem posset tunc efficere, vt in pluribus locis circunscriptiuè existeret. Ad hæc idem Angelus per Dei potentiam potest in pluribus locis definitiuè esse: quare & corpus circunscriptiuè. Par enim est vtriusque ratio præter hæc; cum non implicet contradictionem, quod idem corpus habeat plures relationes ad plura loca, quemadmodum eadem albedo plures habet relationes, ad plura alba, quid prohibet fieri non posse &c. tandem, idem corpus numero potest habere plures præsentialitates, & habet ad plures Hostias, quando est sacramentaliter sub illis poterit igitur habere, plures præsentialitates, ad plura loca circunscriptiuè continentia. propterea quod esse in loco, præter loci relationem, nihil aliud est, quàm præsentialitas locati ad locum.

CONCL. II.

Si idem corpus in pluribus locis circũscriptiuè existeret, eodem modo à pluribus agentibus, ac si in vno esset loco, pateretur. v.g. si in vno loco ignis, & in alio aqua admoueretur, vel à fortiori, vel ab vtroque simul, si essent æqualia, pateretur.

Ratio

Ratio est, quia virtus actiua agētis, & passiua patiētis sūt formę absolutæ, quæ ad multiplicationem loci, nec variantur, nec multiplicantur.

Hinc, agens naturale non habet maiorem actionē in pluribus locis simul, quam in vno tantum. quia virtus actiua est forma absoluta, & multiplicato loco, non multiplicatur.

CONCL. III.

Si idem corpus in pluribus locis existeret, posset habere respectus, siue relationes contrarias. idem namq; esset sursum, & deorsum &c. Ratio est, propterea quod, istæ relationes pręsupponunt locum, & ab illo dependent, atq; ita multiplicato loco multiplicantur. APPEN.

Iam satisfaciendum est argumētis oppositæ opinionis. Primo enim sic obijciunt si idem corpus posset esse in pluribus locis, posset esse vbique. quod est solius Dei proprium. & Scot. Deus per suam omnipotentiā posse corpus Christi vbique constituere, conuertendo omnem substantiam orbis in illud: vt modo conuertit Hostiam, & tunc esset vbique non vt Deus, qui virtute propria, & sua omnipotentia vbique est, sed accidentaliter, id est, per aliud, scilicet, per virtutem diuinam. Secundo collignnt, ergo idem corpus esset sanum in vno loco propter aeris temperiem, & in alio ægrum quod est impossibile. nam si duo contraria de eodem verificarentur, & duo contradicentia similiter; vt Arist. auctor est. negatur consequentia. quia prædicata absoluta sunt priora, & præsupponūtur ad locū; nec ab illo dependent; atque ita multiplicato loco, non multiplicantur; vnde si in vno loco esset corpus calidum, vel frigidum, sanum, aut ægrum, &c. in omnibus similiter. Tertio colligunt, sequeretur idem esse vnum, & plura quod fieri non potest. nam corpus est vnum quia commensuratur vno loco. quare si pluribus locis idem corpus commensuraretur, esset plura. non recte colligunt; quia cum esse vnum, sit ens absolutum, ad multiplicationem loci non multiplicatur. Quarto inferunt, eandem materiam duplici forma specifica informari, & habere duplex esse, exempli causa, si de sententia Scot. idem cibus in duobus stomachis poneretur. hæc illatio nullam habet vim, vt ex secunda conclusione constat. Quinto disputanr, colligitur eundum ignem in pluribus locis positum maximam syluam comburere posse; atque ita vltra suam naturam agere quod impossibile censetur, cum actio non fiat à proportione minoris æqualitatis. Huic satisfactum est per appendicem 2. couclusionis. *Aristoteles.*

Sexto, tunc vnus homo, si in vno loco comederet, & in alio non simul quidem esuriret, & non esuriret. Verum hoc nequaquam

quam sequitur, quia conuertendo in vno loco substantiam alimenti in suam naturam, alterius loci famem extingueret.

Vltimo, tunc priuatiuè opposita, vtpotè, motus, & quies, de eodem verificarentur. Respondeo falsum hoc esse; nam quies non est tantum priuatio motus, quia vtrunque est positiuum, & dicit relationem ad locũ. Dices; saltem sunt incompossibiles termini motus; & quies est terminus ad quem, qui motu acquiritur. Respondeo quando motus localis est deperditiuus, & acquisitiuus simul, termini sunt incompossibiles; non autem quando est acquisitiuus tantùm. tunc enim potest vnus absque perditione alterius acquiri, vndè posset tunc idem corpus Valentiæ quiescere, & motu locali Romæ locum acquirere.

Alex. Alē. vb. supra. S. Tho. q 76. art. 6. reliqui d. 10. Ric. q. 1. ar. 4. Scot. q. 6. Dur. qō. 3.

Art. IX. An corpus Christi sacramentaliter existens possit ab aliqua creatura motu locali moueri?

Duæ sunt opiniones. Prima Alex. B. Tho. & Ric. Secunda Sco. & Dur. hi omnes confitentur ad motum hostiæ localiter moueri; differunt verò quia 1. opinio affirmat moueri per accidens à Sacerdote mouente Hostiam. 2. verò dicit non à Sacerdote, sed à solo Deo moueri.

CONCLVSIO.

Per accidens corpus Christi localiter à Sacerdote mouente species consecratas mouetur. Ratio est, quia, omne contentũ mouetur per accidens ad motum continentis, & ab eo, qui mouet continens; & Christi Iesu corpus verè & realiter sub speciebus consecratis, seclusa inhærentia, sicut substantia panis continetur. nam vt substantia panis quantum ad esse, & conseruari dependet ab accidentibus (destructis si quidem accidentibus panis, & eius substantia destruitur, vt destructa frigiditate, & humiditate aquæ per ignem, aquæ substantia, corrumpitur) ita etiam Christus ex lege diuina dependet quoad esse sacramentaliter ab accidentibus panis, & vini, tandiu enim ibi est, quandiu species illæ durant.

Prima diffic. An possit motu alterationis moueri?

Animaduerte dupliciter aliquid posse Christo cõuenire, vel ratione specierum, sub quibus sacramentaliter continetur, vel ratione eiusdem corporis, quatenus sub modo naturali existit.

CONCLVSIO.

Christi Iesu corpus, neque per se neque per accidens alteratione facta circa species consecratas alterari potest. Ratio est, quia omnis actio materialis fit per contactum, vt Ari. docet, *Arist. 7. Phy.*

cet, & corpus Christi Iesu; vt est sub sacramento, non potest tangi per se, neque etiam per accidens. nam quod ita patitur, debet inhærere illi, quod patitur per se, & extendi ad illius extensionem, & Christus non extenditur ad extensionem specierum, neque illis inhæret.

Secunda diffic. An habeat Christus in Eucharistia easdem actiones immanentes, quas sub modo naturali habeat Verbi gratia visionem, auditionem, &c?

CONCL. I.

Omnis operatio sensitiua immanens, quæ inest Christo sub modo naturali; inest eidem sub modo sacramentali concomitanter. nam omnes, inquit Sco. operationes potentiarum sensitiuarum sunt formæ absolutæ, & vbiq; vniformiter eidē corpori insunt. Ex opposito enim implicatio contradictionis sequeretur. Cæterū Soto se hoc nō intelligere posse cōfitetur. quia si loqueretur, inquit, & ambularet in cœlo, quatenus in sacramento est, neq; loqui, neq; ambulare posset. Scot. verò de actionibus transeuntibus; vt est locutio, quæ sonū in aere efficit, non loquitur; neq; de motu locali, qui locum circunscriptiuum præsupponit; sed de actionibus immanentibus quinq; sensuum, quia nihil extra efficiunt. neq; n. actiones, sed passiones quædam sunt. nam sentire, pati quoddam est, vt Arist. 2. de anima, demonstrat. est autem actio immanens non receptio specierum, sed est, potentiam suum obiectum per illas species cognoscere. Dices, istæ sensationes sunt quātæ, & extensæ, quomodo igitur possunt Christo in sacramento sine extensione conuenire? Respondeo sunt inextensæ, vt est corpus in ordine ad Hostiam; quoniam ibi modum quantitatiuum non habent quamuis in se sint quantæ; quemadmodum corpus Christi est in se quantum.

Scot. q. 5. ubi supra.

dist. 10. quæst. 1. ar. 6.

Arist. 2. de anima.

CONCL. II.

Corpus Christi quatenus est in Eucharistia, non potest sensationem aliquam vt visionem, auditionem, &c. recipere. Ratio est, quia omnis sensatio fit per receptionem specierum in organo quanto; cum species sint materiales, & quantæ, & organa corporis Christi sub Eucharistia sub modo quantitatiuo non sunt; vt ex superioribus constat.

Hinc, non potest recipere sensationes ab obiecto, quamuis possit illas habere quia obiectū materiale non potest imprimere species nisi per appropinquationem, & contactum ad passum, & corpus Christi; vt est in Eucharistia, non potest tangi, cum sub modo quantitatiuo ibi non existat. potest nihilominus ibi habere extra hostiam impressas, & receptas.

I. APPEN.

2. APPEN. Hinc non posse habere actionem transeuntem in Eucharistia constat quia omnis actio transiens corporalis fit per contactum; & cum corpus Christi in Eucharistia non sit quantitatiuè, neq; tangi, neq; agere, neq; pati ibidem poterit.

CONCL. III.

Christus, quatenus est in Eucharistia abstractiuè intelligere, & velle potest. istæ. n. actiones non modum quantitatiuum, sed solùm animæ potentias præsupponunt.

Tertia. diffic. Possetne Deus per suã omnipotentiam corpus Christi, quatenus est in Eucharistia calefacere?

CONCLVSIO.

Posset quidem, nam Deus non operatur per contactum, quemadmodum naturale agens, sed per solam omnipotentiã verum enimuerò calor ille modũ quantitatiuũ haud haberet.

Quarta diffic. An Christus quando desinit esse in sacramẽto corruptis speciebus, mutari dicatur?

CONCLVSIO.

S. Thom. eõ vbi supra. Nequaquam mutari dicitur. quemadmodum enim Deus, qui est in creatura, quando creatura desinit esse, ibi etiam esse desinit, non per mutationem sui, sed creaturæ: similiter corruptis speciebus desinit esse ibi Christus, non per mutationẽ localem propriam, sed per specierum mutationem.

Art. X. An corpus Christi; vt est in Eucharistia, virtutem transmutandi substantialiter, & localiter aliud corpus à seipso habeat?

Lect. 45. sup. can. Duæ sunt opiniones, quas citat Gab. 1. Ochami dicentis posse habere easdem operationes, quas sub modo naturali habet. Contraria opinio est communis, quam elegantius tradit Scot. dist. 10. q. 7.

CONCL. I.

Christus, vt est in Eucharistia, non potest aliquam operationem potentiæ meræ naturalis; vt est nutriendi potentia, vel mixtæ; vt est sentiendi potentia, habere. Ratio est, quia omne agens Physicum agit per contactum, & repatitur in agendo; & Christus cum in Eucharistia non habeat modum quantitatiuum, neq; tangere passum, neq; repati poterit.

CONCL. II.

Christus Iesus; prout est sub speciebus consecratis, potest actiones merè spirituales habere; vt velle, & intelligere aliquod obiectum. Ratio est, quia anima non operatur per contactum sed per species intelligibiles, quas, vt est in Eucharistia, habere potest.

Alex. Alẽ. q. 40. m. 3 ar. 4. S. Tho. q. 6. ar. 7. reliqui dist. 10. D. Bon. ar. vlt. q. 1. Ricar. art. 5. q. 1 Scot. q. 9 Duran. q. 4. Gabri. lect. 45. super can.

Art.

Art. XI. An aliquis intellectus creatus poßit corpus Christi, vt est in Eucharistia, videre naturaliter?

Duæ sunt opiniones, vna Scot. altera S. Tho. Prima est affirmans. Secunda negans, quæ est etiam Alexandri.

CONCL. I.

Intellectus viatoris non potest habere notitiam intuitiuam Christi in Eucharistia existentis, quia cum Christus in Eucharistia non sit sub modo quantitatiuo, non potest pro isto statu de illo habere notitiam sensitiuam, & ex cõsequenti neque intellectiuam, nihil enim est in intellectu intuitiuè, quin prius fuerit in sensu. *Arist.*

CONCL. II.

Intellectus separatus beati naturaliter põt corpus Christi in Eucharistia videre. *Sco. est, et Duran.* primo probatur à Sco. hac ratione, intellectus separatus potest naturaliter notitiam intuitiuam substantiæ panis, & non tantum accidentium habere; poterit igitur & notitiam intuitiuam corporis Christi sub illis accidentibus existentis habere. vis huius illationis ita demonstratur; corpus enim Christi sub accidẽtibus est obiectum intellectui nostro proportionatum, quemadmodum panis substantia, cum sit finitum. antecedens verò sic confirmatur; ratio, ob quam intellectus noster coniunctus non potest intuitiuè formas substantiales videre, est; propterea quod notitiã alicuius obiecti nisi medio sensu habere non potest, & quæ sensibus percipiuntur sunt accidentia sola; vnde fit; vt pro hoc statu visio intuitiua non de substantia sed solum de accidenti habeatur. Verumenimuerò, cum intellectus separatus in cognoscendo à sensibus non dependeat, poterit intuitiuè formas substantiales, panisque substantiam cognoscere. Deinde, intellectus separatus essentiam panis potest naturaliter cognoscere; quia cognoscens habitum, & priuationem cognoscit. quare poterit naturaliter Christi præsentiã cognoscere. ita enim est intellectui separato obiectum proportionatum Christi Iesu præsentia; sicut panis absentia. nam vtrumque est obiectum finitum. tum intellectus separatus eo ordine cognoscit entia, quo ipsa sunt; nam sicut res se habet ad esse, ita ad cognitionem, & substantia sub accidentibus contenta prior est accidente; quamobrem prius natura intellectus separatus corpus Christi sub accidentibus contentum, quàm accidentia cognoscet, præterea supernaturalis modus existendi quem ibi habet, non obstat quominus naturaliter ab intellectu separato possit cognosci. quia naturale, & supernaturale non mutant rei essentiam, cum eiusdem rationis sit homo genitus,

& creatus. quapropter neque variabitur ratio congnoſcendi ipſum, perindè ac ſi ſub modo naturali ; & accidentibus eſſet. adhæc, neq; obſtat; vt poſsit ita cognoſci, quod omne ſuper-naturale ſit quocunque naturali perfectius. quia ſubſtātia naturalis eſt perfectior accidentię ſupernaturali. Ad extremum, intellectus ſeparatus naturaliter ſpirituales ſubſtantias, quamuis ſint inextenſæ cognoſcit, & corpus Chriſti in Euchariſtia inextenſum non videbit? planè videbit.

CONCL. III.

Non eſt de eſſentia beatitudinis Chriſtum in Euchariſtia, vel in proprio genere videre. quia de eſſentia beatitudinis ſolum eſt videre obiectum beatificum Deum . ſ. Opt. & Max. qui ſolus beatificat, quod intelligendum eſt de beatitudine eſſentiali. nam beatititudinis accidentalis eſt Chriſtus obiectū, & etiam obiectum creatum . Et nota cum Scot. in patria ſuccedere fidei clarum viſionem articulorum ad diuinitatem ſpectantium. quia ſola diuinitas eſt obiectum beatificum; non autem creatura, quæ per alios articulos; vt verbum eſſe, incarnatum &c. ſignificatur.

Reſtat, vt rationes oppoſitas diſſoluamus . Primo enim ita obijcitur; ens ſupernaturale; vt eſt exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia , non poteſt naturaliter cognoſci ; nam vt ens factibile ſupernaturaliter, naturaliter effici non poteſt, vt potè, miraculum; ita neque ſupernaturale ens poterit naturaliter cognoſci. R. Scot. omne ens ſupernaturale iam in eſſe poſitum naturaliter ab intellectu ſeparato poteſt cognoſci. quia eſt ens finitum, & creatum , & tale ens eſt obiectum intellectui proportionatum. neque enim ſequitur , non poteſt naturaliter fieri, ergo neque cognoſci. cæco enim non poteſt naturaliter viſus reſtitui, & tamē naturaliter poteſt cognoſci . tum etiam , gratia non eſt naturaliter factibilis ; & tamen ab Angelo naturaliter cognoſcitur.

Secundò diſputant aduerſarij; fidei myſteria , inter quæ recenſetur exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia, naturaliter cognoſci non poſſunt. alioqui enim non fidem de illis, ſed opinionem, vel ſcientiam haberemus. R. à viatoribus non poſſunt naturaliter cognoſci, benè tamen ab intellectu ſeperato, vt ex 2. concl. conſtat.

Tertio inſurgunt hoc modo; ſequeretur hinc , dœmones etiam hoc myſterium agnoſcere, quorum naturalia poſt lapſum manſerunt integra quod quidem eſt falſum ; quia inimici gratiæ, gratiæ ſacramentum non agnoſcunt. R. Sco. cum Magiſtro, Angelos, etiam bonos multa myſteria naturaliter cognoſcere poſſe, quæ ſibi à Deo occultantur ; vt incarnationis myſte-

mysterium, quod multi Angelorum per Apostolorum predicationem didicerunt: vt DD. sancti super locum B. Pau. vt innotescat principibus, & potestatibus &c. declarant. Vlt. argumentatur Caiet. nullus intellectus separatus intelligit per species sumptas ab obiectis, sed à Deo impressas; Deus autem intellectibus separatis non imprimit species supernaturalium obiectorum, id est mysteriorum fidei, sed naturalium tantùm. R. cum Scot. añs esse falsum: quia intellectus separatus, quemadmodum, & coniunctus per species ab obiectis desumptas cognoscit; atq, ita naturaliter põt cuiusuis entis finiti cognitionem acquirere. alioqui enim deterioris cõditionis esset intellectus separatus coniuncto. Verum de his latius in floribus 2. lib. sent.

Ad Ephè. 3.

q. vlt. dist. 3. 2 sent.

Art. XII. An per Dei omnipotentiam corporalis oculus possit existentiam corporis Christi in Eucharistia videre?

Alex. Alẽ. vbi supra, et S. Th. loco citato Reliqui. d. 10. D. Bona. q. 2. art. vlt. Ric. art. 5. q. 2. Sco. et Durã. vbi supra. Scot. est.

Duæ sunt opiniones. Prima Alex. S. Tho D. Bona. Ric. Dur. scilicet, neque per miraculum posse aliquo modo corpus Christi videri in Eucharistia ab oculo corporali. Secunda Sco. quæ solo nomine à 1. differt.

CONCL. I.

Si corpus Christi non esset sub modo naturali, sed sub modo sacramentali tantum, posset Deus pro sua omnipotentia in oculo viatoris aut beati efficere notitiam Christum repræsentantem. quia cum hæc notitia esset forma absoluta, sine vlla contradictione posset à Deo effici; etiamsi obiectum esset absens.

CONCL. II.

Per hanc visionem non posset Christus aliquo modo, quatenus est in Eucharistia videri. Ratio est, quia nulla potentia visiua potest cernere nisi obiectum circunscriptiuè, & indebita distantia contentum, & extensum, & per species quantas, & extensas vsque ad oculum, & corpus Christi in Eucharistia respectu potentiæ videndi non ita se habet, vt ex superioribus constat. Vnde illa visio tunc aut nihil actualiter, aut Christũ sub modo naturali repræsentasset, sed esset tantùm qualitas absoluta.

Difficultas. Oculus Christi videtne suum corpus in Eucharistia?

CONCL. I.

Oculus Christi non videt suum corpus, quatenus est in Eucharistia propterea quod est inextensum.

CONCL. II.

Oculus Christi non videt ibidem seipsum. probatur, 1. quia

ſi extra ſacramentum oculus non videt ſe, cum non habeat ſui ſpeciem, multò minus in ſacramento. 2. inter potentiam videndi, & obiectum eſt futurum medium, & oculus à ſeipſo nõ diſtat, & 3. quia cum in Euchariſtia oculus ſit inextenſus, impoſsibile eſt quod à ſeipſo videatur. S. Tho. oppoſitum huius concl. tenet,

Alex. Alen. q. 53 m. 4. per. 3. art. S. Thom. q. 76. artic. vlti. vbi ſupr. Dur. q. citata.

Art. Vlt. An quando in ſacramento caro, vel ſanguis, vel alia viſio apparet, ſit Chriſtus ibi ſacramentaliter?

Tres ſunt opiniones. Prima S. Tho. ſ. quando mutatio eſt in ſpeciebus circa colorem tantùm, & non circa quantitatem, & alia panis accidentia, Chriſtus ibi ſacramentaliter continetur. Secunda tenet non eſſe Chriſtum ſacramentaliter, ſed ſub modo naturali, quando fit apparitio, per mutationem circa ſpecies; vt ſi puer appareret, ille eſſet Chriſtus: hæc videtur eſſe Alex. Tertia opinio præcedentibus contraria, defendit; neque ſub modo naturali, neque ſacramentaliter exiſtere in Euchariſtia Chriſtum, quando fit apparitio per mutationem, circa ſpecies.

CONCL. I.

Quando miraculoſa apparitio fit tantum permutatione in ſenſibus facta, Chriſtus in ſacramento non deſinit eſſe. quia per talem mutationem accidentia panis non corrumpuntur, & tandiu ſub illis Chriſtus manet. quandiu conſeruantur.

CONCL. II.

Quando mutatio eſt in ſpeciebus circa colorem tantum, & non circa quantitatem, & alia panis accidentia, Chriſtus ſub illis ſacramentaliter continetur. ratio eſt, quia remanerent tũc accidentia, quæ ſatis eſſent ad conſeruandam panis ſubſtantiam ſi adeſſet, & quæ ad illam conſeruandam eſſent ſatis, ad continendum & corpus Chriſti ſufficerent. v. g. ſi rubedo in Hoſtia appareret, per quàm ſapor, odor, virtus nutriendi, & quantitas panis non corrumperentur.

APPEN. Caiet. vbi ſupra. S. Tho.

Hinc; ſi apparerent dimenſiones maiores quantitate Hoſtiæ, & vini conſecrati; ita vt ſub illis non poſſet ſubſtantia panis, & vini conſeruari, non maneret ibi Chriſtus propter eandem rationem. parua enim ſubſtantia non poteſt magna quantitate informari.

Alex. Alen. & S. Tho. vbi ſupra, & reliqui loco citato.

Difficultas. Si Hoſtia ſanguinea appareat. vel puer, quid erit Sacerdoti faciendum?

S. Tho. d. 10. art. 4. q. 3. m. 4. duas citat opiniones, vnam negantem, quæ dicit ſufficere tunc ſpiritualem ſumptionem, alteram affirmantem, quæ eſt ſecurior, quæ hac concluſione continetur.

CON-

CONCLVSIO.

Tenebitur Sacerdos tunc aliam Hostiam consecrare, & sumere Ratio est, quia per hanc apparitionem sacerdos ab obligatione recipiendi Eucharistiam sub vtraque specie non liberatur, quæ in Can. relatum, de consec. dist. 2. præcipitur. Hęc de 4. q.

QVÆSTIO QVINTA DE CONVERSIONE ETC.

Hac quæst. explicatur dist. 11. Mag. ad cuius pleniorem intelligentiam lege DD. hac eadem distinct.

Art. I. An panis in corpus Christi conuertatur?

Quatuor sunt opiniones. Prima est Duran. qui omnino negat transubstantiationem, affirmat enim panem conuerti in corpus Christi; vt in nutritione cibus conuertitur in substantiam aliti, & vt in nutritione materia cibi forma aliti informatur; ita huic materia panis anima rationali Christi informatur, & hoc modo docuit panem in corpus Christi cõuerti: hæc opinio est erronea; quia est contra Conc. Lateran. quod refertur cap. firmiter, de sũma Trinitate, & fide Catholica, & cõtra Conc. Trid. Sess. 13. c. 4. & Can. 2. transubstantiationẽ negat. *d 11. q. 1. & 3* *Durã. caute legendus.*

Secunda opinio est Capre. art. 3. & 4. S. Tho. q. 75. art. 4. vbi supra & eadem fuit opinio Henrici in quem Scot. q. 4. citata inuehitur. Caiet. affirmat panem transubstantiari in corpus Christi, concedit nihilominus rem quæ erat panis, manere & esse corpus Christi. hæc est omnino fugienda: vt prima, ex ea enim sequitur. conuersionem istam in corpus Christi non esse transubstantiationem. nam dicit aliquid panis manere contra Conc. Later. & Trid. modo citatum, Soto multis argumentis in Caie. & Dur. inuehitur. Tertia opinio dicit pane n annihilari; contra quam art. sequenti disputabitur. *Caiet caute legendus.*

Quarta est communis cæterorum asserentium panem in corpus Christi, & vinum in eius sanguinem transubstantiari, & quamuis Scot. distinguat transubstantiationem in productiuam, & adductiuam: nihilominus q. 3. concedit panem in corpus Christi transubstantiari; ita vt terminus ad quem transubstantiationis non sit tantum præsentia corporis Christi, sed & ipsum corpus, vt infra patebit. *Alexã. Alen. q. 34. in 1. et 38. m. 1. & 2. D. Bon. d. 11. q. 1. & 4. ar. 1. Ric. d. 10. art. 3. q°. 1. & 2. et dist. 11. ar. 1. Sco. d. 11. q. 1. 2. et 3. Durã. ead. d. q 1. & 3.*

CONCL. I.

Corpus Christi præcisè incipit esse in altari ratione conuersionis panis in ipsum. Nã aut incipit esse in altari per mutationem localem acquisitiuam, aut per panis conuersionem, non per mutationem localem præcisè; quia si Christus

alibi non præextitisset, non moueretur, & nihilominus virtute huius conuersionis in altari esse inciperet vt ex superioribus constat. Quare præcisa ratio erit panis conuersio, quamuis accidat motus localis acquisitiuus, quia corpus Christi præexistit.

CONCL. II.

Conuersio ista naturalibus mutationibus non est similis. Hæc est definita in Can. reuera, & in alijs tex. de consecrati. distin. 2. in omi enim mutatione naturali terminus a quo sub termino ad quem permanet, in hac autem minime, quid igitur fit de pane?

CONCL. III.

Panis in corpus Christi transubstantiatur. Definita est in Conc Latera. & Trid. in principio contra Dur. citato.

Alexā. Ale. in 1. & 2. S. Tho. ar. 2. & 6. vbi supra, reliqui d. 11. D. Bon. q. 2. art. 1. Ricar. eod. art. & q. Sco. q. 4. Durā quæst. 1.

Prima diffic. An facta conuersione simul cum corpore, & sanguine panis, vel vini substantia maneat?

CONCLVSIO.

Hæreticum est affirmare in Eucharistia facta conuersione sub accidentibus panis, vel vini substantiam manere. definita est in cap. ad Abolendam, de hæreticis, & exprefsè in Conc. Trid. Sess. 13. cap. 4. & can. 2.

Alex. Alen. m. 7. S. Tho ar. 7. vbi supr. reliqui dist. 11. D. Bon. q. 5. ar. 1. Ric. art. 1. q. 4. 5. & 6. Sco. q. quæst. 1.

Secunda diffic. An conuersio in instanti, vel succeßiuè fiat?

CONCLVSIO.

Conuersio hæc in instanti fit. Ratio est, quia corpus Christi; in quod fit conuersio, non recipit magis, & minus, & nullum præsupponitur subiectum. nihil enim panis remanet, & quoniam causa principalis huius conuersionis, scilicet, Deus, est infinitæ virtutis.

Alex. Alē. qō. 39. m 3. S. Tho. ar. 7. citato. reliqui d. 11. D. Bona. ar. 1. q. 6 Scot. q. 5.

Tertia diffic. Quibus verbis hæc conuersio explicari debet?

CONCL. I.

Panis fuit, aut est corpus Christi, est falsa. quia Copula, est significat extremorum vnionem; & tamen extrema hæc nunquam sunt vnum.

CONCL. II.

Panis fit corpus Christi: est etiam falsa. patet, quoniam fieri quot est tertium adiacens, significat subiectū formam prędicati in se recipere. vt. Petrus fit albus. Panis autem non recipit corporis Christi formam.

CONCL. III.

Soto d. 9. q. 2. art. 8.

Panis pōt esse corpus Christi? est quoque falsa. quia sua de inesse, panis fit corpus Christi, est imposfibilis.

CONCL. IIII.

Panis mutatur in corpus Christi, est perinde falsa. Ratio est, quia,

quia in hac conuersione nullum manet subiectum, atque ita nulla interuenit mutatio.

CONCL. V.

Ex pane fit corpus Christi, est vera. Ratio est, quia præpositiones istæ, de, & ex, terminum à quo conuersionis significant; qualis est panis in hac conuersione, & ita declaranda est propositio illa Ecclesiæ; fitq. sanguis Christi merum, & aliæ id genus; quæ apud DD. sanctos reperiuntur.

CONCL. VI.

Panis transit, aut conuertitur in corpus Christi est magis propria; propterea quod significat conuersionem, qualis dicitur fieri in hac, Panis in corpus Christi transubstantiatur; vt ex superioribus constat.

Quarta diffic. An quodlibet in quodlibet possit transubstantiari? Verbi gratia lapis in Deum, aut in Angelum?

Alex. Alen. vbi supra Sco. q. 2. d. 11. Dur ead. dist. q. 2.

Duæ sunt opiniones contrariæ vna Sco. affirmans, altera Dur. negans.

CONCL. I.

Nulla creatura potest in Deum conuerti, vel transubstantiari, ita vt hæc sit vera: ex lapide fit Deus. Ratio est, quia terminus à quo & ad quem conuersionis debent subiici mutui, & potestati conuertentis, Deitas autem, cum sit ens necessarium, nulli potestati quo ad esse, aut non esse subiicitur.

CONCL. II.

Quælibet creatura in quamlibet transubstantiari potest; vt lapis in Angelum. nam quælibet creatura est ens possibile, & potestati diuinæ quo ad esse, & non esse subiecta.

Obiicies; Deus potest esse terminus incarnationis, ergo & transubstantiationis, nulla est illatio, quia de ratione trãsubstantiationis est: vt terminus ad quem possit incipere esse simpliciter, quod deitati repugnat; atque hoc non est de ratione incarnationis.

Deinde ages cum Durando; Angelus est immaterialis; ergo lapis non potest in illum transubstantiari. neque hæc illatio valet; quia transubstantiatio est totalis desitio vnius substantiæ, & alterius successio. atq; ita nihil obstat, quominus vna substantia quo ad materiam, & formam desinat esse, cui ex diuina institutione alia specialis substantia succedat.

Vltimo disputabis; Angelus non potest incipere esse, cum sit immaterialis, nisi per creationem, transubstantiatio autem non est creatio; quare &c. imo secundum Dei omnipotentiã poterit per transubstantiationem incepere esse.

Hæreses. Hoc articulo confutantur tres errores. Primus cuiusdam Valeriani, cui successit Vvicleff asserentis cum corpore Christi panis substantiam manere sis.

Secunda Ioannis Parrhisien affirmantis; ibi panis substantiam corpori Christi vniri hypostaticè; vt humanitas verbo vnitur. Tertius Lutheri, qui à primo errore hoc differt, quod Valerianus nullo modo concedebat istam; panis est corpus Christi, quia nullam ponebat inter extrema vnionem: vt Ioannes Vvicleff, Lutherus vero concedit istam; panis est corpus Christi figuratiuè, & metaphoricè, quamuis existentiam corporis Christi sub speciebus confiteatur.

Duran. cautè legendus, d10 g. quest. 1.

Caute legendus est Duran. qui substantiam panis destrui concedit, eius tamen materiam simul cum Christi corpore manere affirmat. Caie. est quoque cauendus, qui præterquã quod asseruit non apparere ex Euangelio coactiuum aliquid ad intelligendum propriè hæc verba; hoc est enim corpus meum; vt supra diximus. subdidit non intelligi veritatẽ corporis Christi in Eucharistia ex illis verbis, quæ sequuntur, scilicet, quod pro vobis tradetur. quibus Catholici hæreticos conuincere solent. visus tamen est art. 3. & 4. vbi supra S. Tho. hanc sententiam retractare. ex superioribus facile liberatur Scotus à calumnia, quam illi Mag. Sotus imponit vbi non satis quid sibi velit, declarat. si enim vult Sotus imponere contineri corpus Christi in altari propter Ecclesiæ authoritatem, & non propter scripturæ authoritatem falsissimè hac nota ipsum inurit, nam quid Scotus dicat, audiamus; ait namque d. 10. q. 1. art. 1. corpus Christi esse in sacramento verè, & realiter, est simpliciter de substantia fidei; fundamentum est Matth. 26. & Lucæ. 22. vbi in cœna ait Christus. hoc est &c. Deinde respondet hæreticis declarantibus hunc locum figuratiuè, & non propriè; vt ex toto eius articulo patet. quare nõ probat Sco. veritatẽ Eucharistiæ solũ propter Ecclesiæ authoritatẽ verũetiã propter authoritatẽ scripturæ. Præterea si vult Scoto ascribere; dixisse: panis cõuersionẽ in corpus Christi nõ cõstare authoritate scripturæ, sed Ecclesiæ tãtũ, est plusquã falsum. nã d. 11. q. 3. nota quod incipit, ad argumenta pro 1. & 2. opinione dicit. quod eo spũ sacræ scripturæ sunt scriptę quo sunt conditæ, & quod Ecclesia Spiritu Sancto directa intellexit hæc verba: hoc est &c. esse intelligenda de præsentia reali corporis Christi, & vbi hæc scribit verba, probat corpus Christi esse in altari per conuersionem panis in ipsum corpus. quamobrem apertissime patet Scoti sententiam fuisse ex his verbis, hoc est &c. colligi non tantum realem præsentiam cor-

Caie. caute legendus.

Matth. 26. 1. Cor. 11.

Scotus liberatur.

Matth. 26. Luc. 22.

corporis Christi in altari, verumetiam conuersionem panis in ipsum, & ad maiorem huius rei explicationem & confirmationem, si placet, eundem Scot. dist. 8. legito.

Art. II. An panis desitio sit annihilatio, vel corruptio, vel transubstantiatio?

Quatuor sunt opiniones. Prima est Henrici dicentis panē non annihilari; & esse aliquid corporis Christi post cōuersionem. Secunda opinio apud Sco. affirmat panem non annihilari, quamuis desinat esse eius materia,& forma. cuius opinionis fundamentum est falsum. nam dicit ob hoc solum, nō annihilari quia in corpore Christi manet materia eiusdem rationis cum materia panis, in qua panis corruptus posset reproduci. has duas opiniones. multis argumētis Scot. cōfutat. Tertia opinio est S. Tho. asserentis panem non annihilari. Quarta est Sco. qui videtur anceps, pronior tamē est in partem negantem nam in fine q. soluit argumenta quę panis annihilationem probant.

Alex. Alē. m. 3. S. Tho. ar. 3. qō. 75. reliqui d. 11. D. Bona. q. 3. art. 1. Ricā ead. q. & art. Sco. q. 4. Durā quæst. 3.

CONCLVSIO.

Panis, ex quo Eucharistia conficitur non annihilatur. definita est in Conc. Trid. Sess. 13. can. 4. nam annihilatio, est desitio alicuius substantiæ, siue entis, ita vt nihil illi succedat, tamquam terminus ad quē per se illius actionis. Deus autem destruit panem ad hunc finem vt ibi corpus Christi succedat.

QVAESTIO SEXTA DE ACCIDENTIBVS IN EVCHARISTIA PERMANENTIBVS.

Hac q. dist. 12. Magistri quantum ad accidentia separata explanatur. nam reliqua sequētibus quæstionibus exponētur

Art. I. Sintne accidentia in hoc sacramento sine subiecto?

TRes sunt opiniones. Prima Alex. & Sco. esse dicitur, scilicet accidens quando est in subiecto non habere aliud esse à subiecto: præstare tamen Deum accidenti nouum esse, quando à subiecto separatur. Secunda opinio est Henrici dicentis; Deum accidenti separato præstare quandā supernaturalem virtutem, qua possit per se existere. in vtraq. opinionem Sco. inuehitur. Tertia opinio est cōmunis, quàm Sco. sequitur.

Alex. Alē. qō. 40. & 42. tenet partē affirmantem S. Th. q. 77. ar. 1. reliqui dist. 12. D. Bona. art. 1. q 2. Ric. art. 1. Sco. q. 1. & 2.

CONCL. I.

Si accidens pro inhærentia actuali vel aptitudinali sumatur, impossibile est absque subiecto sibi proportionato esse. nota prius inhærentiā aptitudinalē vt in accidēte separato, habere subie-

subiectum sibi proportionatum in aptitudine: actualem vero vt in accidente coniuncto, actuale subiectum sibi proportionatū habere. ratio vero cōmunis est; quia talis inhærentia siue actualis siue aptitudinalis est relatio, & nulla relatio potest esse
APPEN. sine suo termino, quale est subiectum respectu inhærentiæ.

Hinc patet; nullum accidens respectiuum posse esse sine subiecto, quia est relatio, & talis Relatio non potest esse sine suo termino quod est subiectum.

CONCL. II.

Omne accidens absolutum, potest per Dei potentiam absque subiecto actuali, non autem sine apitudinali existere. ratio primæ partis conclusionis est; quia tale accidens non dependet à subiecto, nisi tanquam à causa extrinseca conseruante, & Deus causæ efficientis vicem supplere potest. 2. pars patet; quia cum accidens separatum accidentis naturam retineat, aptitudinem ad inhærendum semper habet, atque ita sine subiecto aptitudinali esse non potest.

CONCL. III.

Accidentia in Eucharistia sine subiecto mediato, quod est substantia, existunt. definita est in Conc. Flor. & Constan. Sess. 5. & Trid. Sess. 13. can. 2.

Difficultas. An sit eadem notitia sensibilis, quæ de accidentibus ante & post consecrationem habetur?

CONCL. I.

Notitia sensitiua accidentium eadem numero ante, est & post consecrationem manet. quia vtrobiq. eadē accidētia numero permanent; quæ sunt potentiæ sensitiuæ obiectū.

CONCL. II.

Notitia iudicatiua intellectus hominis fidelis eadem ante, & post consecrationē non manet. quia; vt perspicuum est, contrarie iudicat, at vero intellectus infidelis, cum videat semper eadem accidentia, decipitur; & semper panis substantiam sub illis latere iudicat.

Hæresis. Errauit Vvicleff, & cum eo Oecolāpadius dicens; Deum non posse accidens sine subiecto efficere, aut conseruare.

Art. II. An reliqua accidentia sint in quantitate, tanquam in subiecto in Eucharistia?

Duæ sunt opiniones. Prima asserit; nullum accidens ibi esse in quantitate, vt in subiecto. hanc confutat Sco. Secūda est communis Scot. S. Tho. & aliorum.

Alex. ibidem S. Tho. ar. 2. D. Bona. q. 1. art. 1. Sco. q. 2.

CONCL. I.

Omnia accidentia relata, quæ in accidentibus absolutis substantiæ panis fundantur, vt similitudo, æqualitas, in eisdem subiectis

ſubiectis ante & poſt conſecrationem permanent. Ratio eſt, quia relatio eſſentialiter dependet ab extremis, & eadem extrema, ſcilicet, accidentia abſoluta antè, & poſt conſecrationem manent.

CONCL. II.

Omnia accidentia abſoluta de prædicamēto qualitatis quę facta conſecratione in quantitate remanent, in illa ſubiiciūtur. patet; quia omnia illa accidentia ad extenſionem quātitatis extenduntur, à qua realiter diſtinguuntur, præſtantque illi accidentale eſſe, quod eſt; eſſe in ſubiecto, albedo enim quantitatem Hoſtiæ albam facit.

Ex hoc, & 1 ar. colligitur accidentia abſoluta in Euchariſtia ſine ſubiecto mediato, non tamen ſine immediato, ſcilicet, quantitate manere. APPEN I.

Hinc etiam patet ſolam quantitatem in Euchariſtia, facta cōnſecratione, ſine ſubiecto exiſtere. APPEN. 2.

Art. III. Poterūt ne ſpecies cōſecrata corpus aliquod extrinſecum per alterationem naturaliter mutare?

Alexā. Alē. p.40.ar.1 & 3.S.Tho ar.3. q.77. D.Bona.ar. 2.q.1. &3.Ricar.art 3.q.2.Duran. q.7.

Duæ ſunt opiniones. vna S. Tho. affirmantis accidens ſeparatum poſſe generare ſubſtantiam per virtutem, quam retinet ſubſtantiæ ſeparatæ. cuius poſt ſeparationem eſt etiam inſtrumentum 2. eſt Sco.

CONCL. I.

Accidens ſeparatum, vel coniunctum non poteſt eſſe inſtrumentalis cauſa generandi ſubſtantiam. de ſeparato quidē patet; quia inſtrumentum non operatur niſi concurrente cauſa principali, ſcilicet, ſubſtantia, quæ iam non eſt; vt patet in Euchariſtia, quare accidens ſeparatum reſpectu generationis ſubſtantiæ non erit inſtrumentum. De coniuncto conſtat, quia tale accidens ſolum diſponit paſſum, vt forma ſubſtantialis operetur, calor enim ignis diſponit lignum exſiccādo vt ſubſtantia ignis formam introducat; cauſa autem diſponens impropriè dicitur inſtrumentum; quoniam agit virtute propria non principalis cauſæ, quia eſt contra inſtrumēti naturā.

Hinc, Scot. colligit; ſubſtantia ab accidente diſpoſitiuè tātum generari, & non tanquam à cauſa principali. quia ſi eſſet cauſa vniuoca, eſſet accidens æque perfectum, atque ſubſtātia producta, quod eſt falſum. ſi æquiuoca, & totalis, eſſet perfectior ſubſtantia producta. quia cauſa totalis æquiuoca ſuo effectu perfectior iudicatur. APPEN. I.

CONCL. II.

Accidens ſeparatum actione reali, ſiue intentionali, ſiue notionali poteſt in obiectum, quemadmodū accidēs coniunctū

agere

agere. eiuſdem enim rationis eſt cum accidente coniunctio-nam per ſeparationem non naturam amittit, ſed modum per ſe exiſtendi tantum acquirit. tum etiam ſpeciem ſui in alterius potentia efficit. quod quidem eſt actione intentionali agere.

APPEN. 2. Hinc colligitur. calorem vini ſeparatum perinde naturaliter calefacere, atque coniunctum, & alias etiam qualitates ſecundas ſeparatas eodem modo actione intentionali; atque coniunctas agere.

Art. IIII. An qualitates Euchariſtiæ ab agente naturali naturaliter poſſint corrumpi?

Alex. Alen. qō. 4. m. 2. ar. 4. S. Tho. art. 4. q. 77. Scot. qō. 5. Duran. q. 3.

Duæ ſunt opiniones. Prima negās nominaliũ, quã ſequitur Ga. hac d. 12. q. 1. 2. affirmãs, & cõmunis. S. Tho. Scot. & reliquorũ.

CONCL. I.

Accidentia panis, & vini ſeparata naturaliter à ſubſtantia corrumpi poſſunt. Ratio eſt, quia corruptio naturalis, & per ſe, eſt mutatio ſubiecti ex vno contrario in aliud, & quantitas Hoſtiæ conſecratæ, quæ eſt ibi ſubiectum qualitatis, poteſt ex albedine in nigredinẽ mutari.

CONCL. II.

Accidentia Euchariſtiæ per alterationem ſubiecti, aut augmentationem, ſeu diminutionem corrumpi haud poſſunt. v. g. ſi Hoſtia conteratur vſque ad pulueres, aut, ſi iuxta probabiliorẽ opinionẽ q. 1. poſitã, ſpecieb9 vini cõſecrati maxima vini nõ cõſecrati pars miſceretur. Ratio eſt, quia panis ſubſtãtia eius quantitate in puluerem redacta, non conſeruaretur; quoniam eſſet tunc farina, neque parua ſubſtantia vini conſecrati ſub magna vini non conſecrati quantitate conſeruaretur. quæ quidem accidentia non conſeruantur, niſi ſub illa quantitate, ſub qua panis ſubſtantia conſeruaretur. habent namque res ortui, & interitui ſubiectæ determinata quantitatem; citra, & vltra quam ſubſtantia conſiſtere non poteſt.

CONCL. III.

Accidentia ſeparata per accidens, corrupta quantitate corrumpuntur: vt ſi Hoſtia in ignem proiiciatur vel putrefiat. Ratio eſt, quia ſubiectum accidentium Hoſtiæ conſecratæ eſt quantitas, & ſubiecto corrupto accidentia illi inhærentia corrumpuntur, proprerea quod accidentis eſſe eſt ineſſe.

APPEN. Hinc quamuis corpus Chriſti in Euchariſtia ſupernaturaliter eſſe incipiat; tamen per actionem agentis naturalis naturaliter accidentia corrumpentis ibi naturaliter eſſe deſinit.

Prima diffic. An quantitas Hoſtiæ conſecratæ naturaliter poſſit corrumpi?

Duæ

Duæ ſunt opiniones: Prima aſſirmans, quæ ab Sco. d. 12. q. 4. citatur, quam ſequitur, Caiet. vbi ſupra, S. Tho. art. 5. & eadem. D. Tho. eſſe cenſetur, altera negans eſt Sco.

CONCL. I.

Agens naturaliter quantitatem Euchariſtiæ nõ poteſt rarefacere. Ratio eſt, quia agens naturale non poteſt efficere formam niſi in ſubiecto. alioqui enim poſſet creare; quia poſſet producere formam, & non in ſubiecto, atq; ex conſequenti ex nihilo, quod eſt creare; & cum quantitas Euchariſtiæ per ſe exiſtat ſine ſubiecto, quæ de nouo quantitas per rarefactionem in Euchariſtia generaretur in ſubiecto non reciperetur, atque ita à naturali agente crearetur.

Hinc ſequitur; partes quantitatis, quæ ibi generarentur, à ſolo Deo ſupernaturaliter, & non miraculosè effici. quia ſecundum legem, & non præter legem fierent. APPEN.

CONCL. II.

Agens naturale poteſt totam Hoſtiæ quantitatem per diuiſionem partium corrumpere quia poteſt totam Hoſtiam vſq; ad pulueres conterere.

CONCL. III.

Quantitatis corruptio per condenſationem, vbi pars quantitatis præexiſtentis deperditur, aut per tranſmutationem in aliam formam, vt ſi Hoſtia in ignem proiiciatur, à ſolo Deo efficitur. Ratio eſt, quia agens naturale nihil poteſt corrumpere, niſi ſuppoſito ſubiecto. alioqui enim poſſet annihilare, & quantitas Euchariſtiæ in ſubiecto non eſt.

Diffic. An ſacramẽtales ſpecies principaliter frangãtur?

Alex. Alẽ. q. 42. art. 4. §. 1. S. Tho. ar. 7. q. 77. D. Bon. toto art. 3. Ric. q. 1. & 2. art. 2. Sco. q. 4.

CONCL. I.

Species ſacramẽtales propriè franguntur. ſunt enim quãtæ quãtitate continua, & fractio eſt eiuſdem quantitatis paſſio.

CONCL. II.

Specierum fractio mortẽ Chriſti Ieſu, in qua anima fuit à corpore ſeparata, repræſẽtat. nã vt ſpecies ſunt ſignũ corporis Chriſti; ita illarũ fractio eſt ſignũ eiuſdem mortẽ repræſẽtãs.

CONCL. III.

Corpus Chriſti non eſt per ſe frangibile. patet; quia cum non poſſit tangi, propterea quod non habet modum quantitatiuum, neque frangi.

CONCL. IIII.

Neque per accidens ad fractionem ſpecierum frangitur, ex D. Bona. colligitur, qui ait, nos nõ debere vti forma loquendi Berengarij. Ratio eſt, quia paſſio, quæ repugnat alicui creaturæ per ſe, eidem quoq; per accidens repugnat, vt diuiſibilitas

bilitas per se repugnat animæ rationali, & per accidens. non enim potest ad diuisionem corporis diuidi; & pati. quod nulla ratione diuinitati per se conuenit, neque per accidens; quamuis per communicationem idiomatum, & ratione humanitatis assumptæ pati dicatur. Contrarium tenet Soto. d. 10. q.2. art.7. fractis enim speciebus totus Christus sub qualibet particula manet.

Hæresis. Duos errores refutat S. Tho. ubi supra, primus est affirmãtium ibi. non esse veram specierum fractionem, sed apparentem; ita vt sensus decipiantur. 2. asserentium veram quidẽ esse fractionẽ; non tamen esse aliquod fractionis subiectum.

Alexã. Alẽ. q. 40. in 2. & 4. S. Tho. qõ. 77. art. 5. & 6. D. Bona. d. 12. qõ. 1. artic. 2. Scot. quæst. 6.

Art. Vlt. An ex accidentibus, tanquam ex materia, naturaliter substantia possit generari?

Septem sunt opiniones, quarũ quinq; ab Scot. afferuntur. Prima est Innocentij de officio Missæ. cap. de fractione, qui docet; quãdo ex accidẽtibus generatur substãtia, tunc in vltimo instãti desitionis accidentium redire substãtiam panis, quæ fuerat corrupta, & conuersa in corpus Christi; & ex illa, tanquã ex termino à quo virtute agẽtis naturalis nouam substantiã generari, eius materia prima, vt in alijs trãsmutationibus, permanẽte. Secunda est B. Tho. in 4. d. 12. ar. 2. q. 1. dicẽtis; creari tunc à Deo nouam materiã primam, quæ accidentibus corrumpendis subiicitur, & in quam agens naturale formam introducit. Tertia est eiusdẽ q. 77. ar. 5. ubi ait, quantitatẽ Eucharistiæ hic vicem materiæ supplere; ita vt agens naturale in illam introducat substantialẽ formam, quã, si materia adesset, introduceret: atq; hoc non nouo miraculo, sed virtute prioris miraculi, scilicet, conuersionis panis; in corpus Christi fieri, ex qua quidem quantitate, & forma substantiali ab agente naturali introducta. nouus ignis, vel vermis generabitur. hãc multis argumentis Scot. confutat.

Quarta est Ricar. & tribuit illam B. Tho. qui existimat agens naturale posse transformare Hostiam non solum in substantiã, verumetiam in materiam, & ita ex solis accidentibus totum compositum generari huic videtur subscribere Soto d. 10. q. 2. ar. 5. Quinta est Caiet. dicentis quantitatem illã fieri materiam, & aliquid illius manere.

Sexta quam S. Tho. citat, tenet. si Hostia igni applicetur, ignẽ generari, non ex speciebus cõsecratis, sed ex aere circũstãte. Vltima est Sco. docẽtis de facto introduci in quantitatẽ Eucharistiæ qualitatem substantiæ; vt calorem in summo; tuncq; corrumpi quantitatem, & Eucharistiam desinere esse, redireque de facto illam substantiam, cui talia accidentia

genita

genita conueniunt,quam quidem ſubſtantiam quoad materiã, & formam immediatè à ſolo Deo, & non ab agente naturali produci affirmat.

CONCL. I.

In naturali compoſito, quod ex accidentibus Euchariſtiæ generatur,materia,& forma,vt in alio quouis compoſito Phyſico reperiuntur. alioqui enim compoſitum eſſet ens per accidens. quia ex quantitate, & forma ſubſtantiali ignis. ſiue vermis fieret, quid? quod forma ſubſtantialis ſolum ad materiam primam, non autem ad quantitatem informandam eſt terminata.

CONCL. II.

Talis compoſiti materia à ſolo Deo producitur. Ratio eſt, quia omne agens naturale præſupponit materiam, ſiue ſubiectum, in quod agat. alioqui enim poſſet creare, & cum materia prima non ſit in ſubiecto (nam eſt vnicuique primum ſubiectum) nõ ab agente naturali,ſed à ſolo Deo producitur. non enim ab agente naturali, vt rectè Ariſt.docuit,eſt generabilis, aut corruptibilis. 1.Phyſic.

CONCL. III.

Materia compoſiti, quæ ex Hoſtia combuſta generatur, à deo minime creatur,ſed per conuerſionem quantitatis Hoſtię in materiam producitur. patet: nam creatio eſt ex nihilo, & materia huius compoſiti producitur à Deo,pręſuppoſita quãtitatis corruptione. quamobrem non creatur, ſed per corruptionem quantitatis in ipſam materiã producitur. quemadmodum panis ſubſtantia in corpus Chriſti conuertitur. hoc modo intelligenda eſt communis opinio, quæ fuit 2. ordine: ſ. Deum producere materiam primam, non per creationem, vt docebat 2.opinio, ſed per conuerſionem quantitatis in materiam, in quam quidem agens naturale ſuam introducit formam.

Hinc colligitur quantitatem Hoſtiæ ab agente naturali nõ corrumpi, ſed quam primum Hoſtia igni applicatur, Deum conuertere quantitatem Hoſtiæ in materiam primam. quantitatem .ſ. corrumpendo & illius loco primam materiam producendo. APPEN. I.

CONCL. IIII.

In eodem inſtanti, in quo Deus materiam per conuerſionem quantitatis in ipſam efficit, agens naturale ſuam formam naturaliter in materiam nudam introducit. Ratio eſt, quia agens naturale, cum potius intendat nouæ formæ productionem, quàm præexiſtentis corruptionem, ſi materiam omni forma denudata inuenerit, multo facilius, & melius ſuam

 formam

formam introducet. cum nulla ibi repugnantia ex parte formæ præexistentis inueniatur. hæc autem formæ introductio dicitur naturalis, cum ab agente naturali, efficiatur. naturalis si quidem generatio non dicitur ratione formæ expulsæ, sed ratione formæ ab agente naturali introductæ.

2. APPEN. Hinc; quando vermis ex Hostia in custodia clausa generatur, formæ substantialis introductio naturalis est; materiæ vero productio supernaturalis.

3. APPEN. Hinc colligitur; oculum non falli quando ignis ex Hostia ab alio igne; vt Sco. affirmabat, generatur.

Alex. Ale. vbi S. Tho. ar. 6. citato D. Bo. vbi supra Ric. q. 2 ar. 4 Scot. q. 6

Difficultas. An poßit homo speciebus consecratis nutriri?

Duæ sunt opiniones. Prima asserit corpus non nutriri, sed sensus dumtaxat panis odore refici.

Secunda affirmat, ibi manere panis substantiam; atque ita nutriri; quæ quidem erronea est, vt supra diximus.

CONCL. I.

Qui solis accidentibus consecratis reficeretur, verè nutriretur, hoc enim fit ad meritum fidei. nam concesso opposito, profecto haberemus euidentiam conuersionis panis in Christi Iesu corpus.

CONCL. II.

Talis nutritio fit per conuersionem quantitatis in materiam primam à solo Deo effectam, in quam substantialis forma hominis, forma carnis &c. introducitur; quæ quidem nutritio naturalis quantum ad introductionem formæ in materiam & supernaturalis quantum ad conuersionem quantitatis in materiam primam nominatur. hæc conclusio ex proxima difficultate constat.

QVESTIO SEPTIMA DE MINISTRO EVCHARISTIÆ.

Distinctio 13. Magistri. hac qō. enodatur. ad cuius plenam intelligentiam lege quæstionem de ministro de sacramentis in genere supra.

Alex. Alen. q 35. m. 4. S. Tho. q. 82. ar. 1. Reliqui distin. 13. D. Bona. art. 1. q. 1. Ricar. art. 1. & 2. Sco. q. 2 Duran. q. 1,

Art. I. An solus Sacerdos rite per Episcopum consecratus poßit esse Eucharistia Minister?

CONCL. I.

Hæreticum est affirmare omnes Christianos Sacerdotes esse. Definita est in multis Concilijs, Carthaginensi, Lateranēsi, Rhemensi, & tandem in Tridentino sub Paulo III. Can. 10. Sess. 7. vbi habetur; si quis dixerit Christianos omnes in verbo,

bo, & omnibus sacramentis administrandis habere potestatē, anathema sit.

CONCL. II.

Soli Sacerdotes per Episcopum rite consecrati Eucharistiæ Sacramentū possunt conficere. Definita est vbi 1. cōclusio, solis enim Sacerdotibus in receptione ordinis sacramētalis consecrandi potestas attribuitur.

Errauit Lutherus dicens, omnes Christianos, cuiuscunque sexus sint, Sacerdotes esse; non tamen omnes, nisi qui sunt à república constituti; ministrare posse, quod est plusquam hæreticum. Nam conficiendi potestas, cum sit supernaturalis, quomodo alippis, & tonsoribus dari potest, Confutatur hic error conclusionibus positis, quas sapientissime Pater à Castro Verbo. Sacerdotium. hæresi 1. confirmat. *Hæresis.*

Prima diffic. Sacerdos fidelis in. m. peccato existens, amittitne consecrandi potestatem?

Alex. Alē. m. 4. S. Tho. ar. 5. vbi supr. D. Bona. art. 1. q. 1. Ric. eod. ar. & q. Scot. q. 2. & d. 9. q. 1.

Sacerdos in M. peccato existens, si quæ sunt de necessitate sacramenti seruat; verè consecr. Definita est expressè in Cōc. Trid. Sess. 10. can. 12. & Sess. 14. can. 4. alioqui enim nunquam possemus Sacerdotes certi esse, consecraremus, nec ne. Quia de nostra iusticia certitudinem habere non possumus.

Hinc confutatur error Vvaldensium, quos sequuti sunt Vviclesf, & Ioannes Hus, qui dixerunt per M. omnem potestatē amitti, in quos doctissime Pater à Castro verbo, Potestas, & verbo, Sacerdotium hæresi 7. inuehitur. *Hæresis.*

Secunda diffic. Heretici, schismatici, & excommunicati possuntne Eucharistiam conficere?

Alex Alen. m. 5. S. Tho. ar. 7. D. Bona. et Ricar. ibid. Durā quæst. 1.

CONCLVSIO.

Isti, si intentionem faciendi; quod Ecclesiæ caput Christus f. faciendum instituit, habeant: verè consecrant, characterem enim indelebilem habent. Sed de hac lege art. 4. q. de Ministro de sacramentis in genere supra.

Tertia diffic. An Missa hereticorum, et excommunicatorum illis, pro quibus offertur; ad impetrandum, & pro peccato satisfaciendum, prosit?

Alex. Alē. vbi supr. D. Bona. et Ricar. loco citato.

S. Tho. art. 7. & ad vltimum, vt eius litera sonat, aliquo modo prodesse negat.

CONCL. I.

Hæretici intendentes sacrificare, & efficere, quod Ecclesia intendit, verum offerunt sacrificium, quod non sibi, sed alijs prodest. Quia fructus sacrificij ortum habet ex merito Ecclesiæ in cuius nomine offertur.

CONCL. II.

Quando hæreticus non intendit offerre sacrificium, quia illud negat; vt Lutherani, tunc Missæ sacrificium sibi iudiciū. & alijs nullius vtilitatis est, propterea quod non intendit facere, quod Ecclesia facit.

Alex. Alē.m. 6. S. Tho. ar. 8. q. 82. Ricar. q. 1. art. 1. &c.

Quarta diffic. Sacerdos degradatus poteſtne conficere Euchariſtiam?

CONCLVSIO.

Si intendat facere, quod Christus & Ecclesia intendit verè conficiet, habet enim potestatem, idest, characterem indelebilem.

1. APPEN. Idem iudicium est de apostata, qui fidem inter saracenos negauit, etiam si in infidelitate perseueret.

2. APPEN. Istorum orationes, quatenus nomine Ecclesiæ offeruntur, vtiles erunt non sibi, sed alijs, pro quibus offeruntur. Habent enim efficaciam ab illo, cuius personam gerunt.

Quinta diffic. An peccet, qui Miſſam peccatoris, vel hæretici, ſchiſmatici; excommunicati audit?

CONCLVSIO.

Nominatim excōmunicatus, vel manifestus percussor clerici est vitandus præsertim in diuinis, ita vt audiens eius Missam mortaliter peccet. Hæc colligitur ex cap. Sacris. de his, quæ vi metus, vel causa fiunt. Et est definita per extrauagantem ad euitanda.

Si Minister non sit nominatim excommunicatus, vel manifestus percussor clerici; non erit mortale illius Missam audire. patet per eandem extrauagantem.

3. APPEN. Perinde est quamuis sit generaliter excommunicatus, vel hæreticus, vel incendiarius, &c. dummodo non sit nominatim per iudicis sententiam excommunicatus.

4. APPEN. Eadem quoque ratione, non erit mortale publici peccatoris Sacerdotis Missam audire. Solum enim cum huiusmodi hominibus communicare prohibetur iudicio Ecclesiæ, quando sunt Ecclesiæ rebelles; vt sunt tantum nominatim excommunicati.

5. APPEN. Hinc colligitur can. antiquos, qui 24. q. 1. citantur, & can. nullus 32. d. quibus prohibebatur audire Missam publici cōcubinarij, esse iam abrogatos per extrauagantem. ad euitanda, & per contrariam Ecclesiæ consuetudinem.

Alex. Alē. q. 50. m 3. S. Th. ar. 3. Ricar. ar. 1. q. 3.

Sexta diffic. An præter Sacerdotem poßit Diaconus Euchariſtiam populo miniſtrare?

CONCL. I.

1. Corinth. 4. Solus Sacerdos iure diuino est ordinarius Minister dispensandi populo Euchariſtiam. Patet. 1. ad Cor. 4. sic nos existimet

met homo, vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, id est, sacramentorum. vbi de se, & de alijs Sacerdotibus, loquebatur. Et Dominus Iesus Lucæ 22. solis Sacerdotibus dixit: Hoc facite in meam commemorationem, id est, consecrate corpus meum, & alijs tribuite, quod ego modo feci. Et confirmatur ex can. peruenit de consecr. d. 2. ibi acerbè reprehenduntur Sacerdotes, qui laicis corpus Domini dabāt; vt illi ad infirmos deferrent.

CONCL. II.

Sāguinem Christi Iesu ministrare Sacerdoti celebranti; vel communicantibus competit diacono. Patet exemplo B. Laurentij dicentis B. Sixto, experire vtrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem. Et Duran. docet, Papa communicante Cardinalibus Eucharistiam Diaconum Cardinalem tunc sanguinem ministrare.

CONCL. III.

Ex dispensatione Episcopi, vel Curati potest Diaconus vrgente necessitate Eucharistiam infirmis deferre. Ratio est, quia cum possit Sacerdoti celebranti, vel communicātibus sanguinem Christi ministrare, poterit, & corpus. Non enim ministrare Eucharistiam est illam consecrare. Quemadmodum administrare Baptismum est illum efficere.

Septima diffic. Possuntne omnes Sacerdotes iure positiuo Eucharistiam populo ministrare?

CONCL. I.

Si fuerit religiosus sine facultate proprij Curati non potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ illam alicui sæculari ministrare. Definita est in Clement. 1. de priuilegijs.

Idem definitur ibidem de sacramento matrimonij, & extremæ vnctionis. APPEN.

CONCL. II.

Possunt tamen religiosi per totum annum, qui nostris priuilegijs gaudent, præterquam in die resurrectionis ministrare singulis Christianis Eucharistiam. Constat ex priuilegijs à Nicolao v. & à Iulio II. concessis; vt in compendio priuilegiorum verbo, Communicare, habetur.

CONC. III.

Sacerdos non religiosus non potest, nisi subditis Eucharistiam ministrare, vel alienis, prius tamen à proprio Sacerdote petita, & obtenta facultate. Definita est in cap. omnis vtriusque sexus.

CONCL. IIII.

In nullo euentu licebit laico committere; vt populo Eucharistiam ministret. Non enim est tantæ necessitatis, sicut baptismus; vt à laico ministrari possit. D. Tho. est, & Syluestri; qui concedunt posse laicum Hostiam de terra eleuare, quando deficit Sacerdos.

in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. V. Eucharist. 3. 8. 4.

VIII. diffic. Poteruntne plures Sacerdotes simul, eandem Hostiam consecrare, vt possunt plures eundem baptizare?

Alex. Alẽ. qõ 52. in 4. & S. Tho. q. 82 art. 2. Ricar. qõ. ar. 2. d. 13. Duran. q. 3.

Legenda est difficultas suprapo sita, an possint plures eundem baptizare. Et est intelligenda difficultas ita, vt omnes Sacerdotes intendant absolutè, vt per formam significatur, eandem Hostiam consecrare. Et qõ. Durandi est, an si vnus prius quam alter, verba finiat, consecret posterior.

Tres sunt opiniones. Prima B. Tho. qui tenet cum Innocentio III. omnes consecrare. Secunda & contraria est Dur. asserentis; illum Sacerdotem dumtaxat consecrare, qui prius finit verba. Tertia est Caieta. vbi supra S. Tho. qui tria dixit. 1. est; Quando plures proferunt simul verba cum intentione, omnes consecrant. 2. est, Noui Sacerdotes simul cum Episcopo verba consecrationis proferentes non consecrant, sed solus Episcopus. 3 Hoc non obstante, quando nouus Sacerdos cum Episcopo profert verba, nec habet intentionem consecrandi; vel non consecrandi; sed solũ proponit habere intentionem, quam tunc habere tenetur, satis est. Et hæc (inquit) est via tutissima.

CONCL. I.

Quando simul plures Sacerdotes consecrationis proferunt verba: omnes consecrant. Constat exemplo consecrationis Episcopalis in qua iuxta Pontificale Romanum Episcopus consecrans, & consecratus simul eandem Hostiam consecrare debent. In cuius consecratione mutuò se expectant.

CONCL. II.

Quando plures consecrant, & non mutuò se expectant, ille solus qui prius finit verba, consecrat. à simili patet de Baptismo, vbi quando plures eundem baptizant, qui prius formam, & ablutionem finit, tantum baptizat. Concurrunt enim omnia in casu conclusionis ad consecrationem necessaria.

IX. diffic. Tenebiturne Sacerdos consecrans Eucharistiam recipere?

Alex. Alẽ. vbi supra m. 5. S. Tho. ar. 4. Sco. d. 9. q. 1.

CONCLVSIO.

Graue sacrilegium talis Sacerdos committeret, si Eucharistiam non sumeret, Definita est expressè in Can. relatum, & in can. comperimus de consecr. d. 2.

Hinc

Hinc refutatur error Lutheri dicentis Sacerdotem debere consecrare; non autem Eucharistiam sumere, sed de his q. 2. huius sacramenti supra. *Hæresis.*

X. diffic. Poteritne Sacerdos non Curatus per totam vitam sine peccato à celebratione Missæ abstinere? *Alex. Alen. in. 2. S. Tho. q. 82. ar. 10. Ric. dist. 13. q. 2. art. 2.*

Tres sunt opiniones. Prima Alex. qui tenet nullum esse peccatum. Secunda. S. Tho. dicentis; saltem esse peccatum in illis diebus, quibus populus communicare consuescit; vt in die Natalis Domini, in Paschate, & Pentecostes. Tertia est media Caiet. vbi supra S. Tho. qui asserit non esse peccatum ex genere, dummodo ex eo scandalum non oriatur.

CONCL. I.

Ratione scandali, & officij, & præcepti audiendi Missam, quando alius Sacerdos celebraturus non adesset; simplex Sacerdos sub pœna peccati mortalis rem sacram facere teneretur. Ratio est, quia in his tribus casibus celebrandi præceptum habet.

CONCL. II.

Non est mortale, præter hos tres casus, ob maximam Eucharistiæ reuerentiam à celebratione Missæ per totam vitam abstinere. Si enim integrum fuit sanctis præ maxima Eucharistiæ reuerentia à receptione Sacerdotij abstinere: vt exemplo B. Marci Euangelistæ, qui sibi pollicem amputasse dicitur: vt indignus Sacerdotio haberetur. & Seraphici patris nostri Francisci, constat. Cur non poterunt iam ordinati ab exequutione ordinis sine peccato, imo cum magno merito abstinere.

CONCL. III.

Quando per totam vitam propter torporem, & negligentiam, abstinet, venialiter peccat. Donum enim Characteris propter exercitationem datur. Et tunc in vanum recepisse Dei gratiam videtur, contra consilium B. Paul. dicentis; Exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *2. Corinth. 6.*

XI. diffic. Estne tanti valoris mali Sacerdotis atque boni Missa? *Alex. Alē. vbi supra, et q. 36 & 37. S. Tho. q. 81. art. 6. D. Bona. q. 4. ar. 1 d. 13. Scot. q. 2.*

CONCL. I.

Ecclesiæ sacramentum eandem efficaciam habet siue à bono, siue à malo Ministro conficiatur: ibi enim nihil operatur virtus Ministri, sed merita Christi Iesu, quorum virtute gratia ex opere operato datur.

CONCL. II.

Orationes, quæ nomine Sacerdotis mali offeruntur, nec

sibi, nec alijs ad vitam æternam prosunt. Est enim extra charitatem. Si linguis inquit B. Pau. hominum, & angelorum loquar &c. nihil mihi prodest.

1.Corinth. 13.

APPEN. Hinc quantum ad huiusmodi orationes, Missa boni Sacerdotis est fructuosior.

CONCL. III.

Orationes quæ in Missa secundum ordinarium offeruntur, atque Missa nomine iustorum, siue Ecclesiæ oblata, etiam si Sacerdos celebrans sit hæreticus, erunt illis, pro quibus offeruntur, vtiles & fructuosæ. Tanti namq. valoris est oblatio, quanta est illius, cuius nomine offertur, deuotio vt si quis vir sanctus per malum ministrum eleemosynam offerat.

CONCL. IIII.

Scot.est. Fructus tamen respondens deuotioni, Ecclesiæ vberior est, si Missa per bonum Ministrum offeratur. Ratio Scot. est Nã quanto essent plures iusti in Ecclesia, tanto Missa quæ eorum nomine offertur esset fructuosior, & plures quidem essent iusti si Sacerdos celebrans esset bonus. Intelligenda est ratio, dummodo cætera sint paria. Nam primitiua Ecclesia erant pauciores iusti,& nihilominus eorum sacrificia erant fructuosiora. Erãt enim tunc multò iustiores. Caiet vbi supra, S. Tho. tenet vtriusq. Missam æqualis esse valoris, & fructus quoad satisfactionem, & impetrationem, Rationem tamen Scoti non soluit.

QVESTIO DE VALORE MISSAE.

Alex.Alẽ.37. D.Bona.q̃õ.4. art.1.S.Tho.q. 83.Caiet.3.tomo opusculorũ tract.3.de sacrificio Missæ.

Art. I. An Missa sit sacrificium?

CONCL. I.

Missa quatenus in ea passio Christi Iesu repræsentatur, est sacrificium memoriale: in eaq. Christus memorialiter immolari dicitur. Pater quotiescunq. enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis &c. non dixit, Christum occidetis, sed mortem Domini annuntiabitis, id est, repræsentabitis eius passionẽ. Hoc hæretici non diffitentur.

1.Corinth. 11. Castro Verbo Missa Sot.1.q de iusti. & iure.q.1.& 2 et in 4.d.13.q.2. Cano. de locis theologic.libro 12. c. 13

CONCL. II.

Missa quantum ad oblationem Christi, quam Sacerdos in altari facit, & eius consecrationem, & sumpsionem est verum, & proprium sacrificiũ, vereq. & propriè ibi Christus immolatur. Sacrificium enim est propriè oblatio soli Deo facta, circa quam Sacerdos aliquam sanctam cæremoniam ex institutione diuina positam exercet; & Missa talis est quantum ad oblationem, consecrationem, & corporis Christi, atq; sanguinis sumptionẽ. Legitur enim Lucæ 22. accepit Iesus panem &c.

Sacrificium quid sit. Luce.22.

&c. hoc facite in meam commemorationem & 1. ad Cor. 11. quibus verbis Christus Redemptor noster præcepit Apostolis, & eorum successoribus; vt in sui memoriam, & honorē, quod ipse coram eis fecit, efficerent. Vbi non solum panem, & vinum consecrauit sacramentumq. instituit verum etiam seipsum sacrificium incruentum in remissionem omnium peccatorum patri obtulit. Ideoq. apud D. Lucam dicitur Quod pro vobis datur. Pater à Castro, & Magister Cano. vbi supra multis authoritatibus sacræ scripturæ, & Conciliorum hanc conclusionem confirmant. Hinc, confutata manet pestilentissima hæresis, quæ Missam sacrificium esse negat, & nullius esse vtilitatis affirmat, cuius author fuit Lutherus, quē sequutus est Caluinus, & alij. in quos doctissimè Pater à Castro verbo, Missa Hæresi. 2. disputat. Vbi etiam Erasmum in annotationibus super caput 13. actuum Apostolorum, lapsum fuisse docet.

1. Corinth. 11.

Hæresis.

Prima diffic. Estne de ratione sacrificij Missæ Hostia siue victimæ occisio?

Alex. Alen. vbi supra.

CONCL. I.

Quando hostia offerenda est mactabilis, de ratione sacrificij est eius occisio. Constat ex omnibus sacrificiis legis naturæ, & veteris in quibus, quæ sacrificabantur animalia, occidebantur. Hoc enim differt oblatio à sacrificio; quod de ratione oblationis non est Hostiæ consumptio, sed quia Deo tantummodo offeratur: quemadmodum de ratione sacrificij est Hostiæ consumptio.

CONCL. III.

Quando hostis non est mactabilis, de ratione sacrificij est Hostiæ consumptio, nempe: vt, simpliciter vel secundū quid desinat esse: quod quidem sacrificium incruētum, hoc est, sine effusione cruoris, siue sanguinis nominatur ad differentiā cruenti; vbi Hostia mactabatur. Constat exemplo sacrificij Melchisedech, qui si panem, & vinum oblatū non consumpsisset, eius percelebre sacrificium, non sacrificium, sed oblatio tantum nominanda fuisset.

CONCL. II.

Quamuis Christus in altari à Sacerdote non occidatur (iā enim non moritur &c.) immolatur tamen quia incruentè cōsumitur. Ratio est, quia Christus Iesus Sacerdos secundum ordinē Melchisedech, nominatur, Propterea quod eius sacrificium incruenta consumptio sub speciebus panis, & vini est: vt in sacrificio Melchisedech, fuit præfiguratum. Vnde Conc. Toletanum, & habetur can. relatum de consecrat. d. 2. increpans Sacerdotes Hostiam non consumentes, ait quale

Ad Hom. 6.

sacrificium

sacrificium erit cuius particeps non est sacrificans. quasi dicat, planè nullum.

APPEN. Hinc, si Sacerdos post consecrationem, & oblationem Hostiæ, illam propter aliquod impedimentum non consumeret, nec ab alio Sacerdote Missam perficiente consumeretur, talis Missa non esset sacrificium, sed oblatio duntaxat. Aliquem tamen fructum ex opere operantis haberet.

Secũda diffic. Quanã sunt de huius tanti sacrificij ratione?

CONCL. I.

Neque Hostiæ consecratio est de ratione illius, neque sanguinis sumptio. Feria namq. sexta maioris hebdomadæ verum sacrificium peragitur: & tamen Sacerdos tunc, neque sumit sanguinem sub specie potus, neque consecrat, sed tantum sumit Hostiam pridie consecratam.

CONCL. II.

De ratione huius sacrificij sunt Hostia, Hostiæq. oblatio, & sumptio, Hostia Christus est. Oblatio fit, quando iam calice deposito, dicimus: Vnde, & memores Domine &c. vsq. ad quotquot &c. quæ sunt maxima cum reuerentia, & deuotione dicenda. Quoniam ibi verum incipit sacrificium, quod Hostiæ sumptione perficitur.

APPEN. Hinc acerrimè arguendi sunt Sacerdotes, qui consuetudine potius orandi, quam animi deuotione, dum calicem eleuant, illa sanctissima verba proferunt.

CONCL. III.

Sunt tandem de ratione illius duo Ministri. Vnus principalis, Christus, scilicet, qui est simul Sacerdos, & Hostia. Alter ministerialis, qui in persona Christi consecrat. Nõ enim dicit; hoc est corpus Christi, sed meum; offertq. sacrificium in nomine propriæ personæ, & Christi; atque totius Ecclesiæ. Hac enim de causa dicit, Offerimus tibi &c. id est, tota Ecclesia tibi offert. Quare si corpus, & caput etiam; qui est Christus, offeret. Et confirmatur ex cap. firmiter de summa Trinitate & fide Catholica.

Tertia diffic. Estne modo aliquod cæremoniale sacrificium; præter Missæ sacrificium?

CONCLVSIO.

In nulla orbis parte, vbi prædicatum est Euangelium viget modo, præter sacrificium Missæ, aliquod verum, vel falsum sacrificium, dixit enim Christus. Nunc princeps huius mũdi eiicietur foras; quod quidem intelligitur, vbi iam est Euangeliũ prædicatũ. In Aphrica enim diabolo semel per Euangeliũ reiecto nunquam à Saracenis fuit oblatum sacrificium, nec à Iu-

Ioan. c. 12. d. b. Vincẽ. Ferrerij est in quodam sermo de cœna Domini.

à Iudæis alicubi offertur. Quia templum destructum est, in quo tantum sacrificandi præceptum habebatur.

Quarta diffic. Suntne multi huius sacrificij fructus?

CONCL. I.

Missæ sacrificium valet offerentibus, & pro quibus offertur ad impetrandũ, satisfaciendum, & merendum. Definita est in Conc. Trid. Sess. 22. cap. 20. vbi dicitur: docet sancta Synodus, sacrificium hoc verè propitiatorium esse &c. vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Quibus verbis impetratorium esse demonstratur. Deinde cum subditur, non solum pro viuorum fidelium peccatis, pœnis &c. sed etiam pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis &c. satisfactorium esse docetur & tandẽ, cum sit opus bonum in Deum relatum, si offerẽs, vel pro quo offertur in gratia existat, erit haud dubiè meritorium.

CONC. II.

Est etiam huius sacrificii fructus vera peccatorum quoad culpam remissio. Definita est in eodem Consilio, & in eodem loco. Vbi habetur huius Hostiæ placatione placatus Deus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Est autem hoc intelligendum mediatè, scilicet, quia impetrat nobis donum pœnitentiæ id est, speciale auxilium ad pœnitendum in remissionem peccatorum.

Hinc confutatur hæresis Lutheri dicẽtis; Missam nõ posse offerri pro peccatis nec posse prodesse viuis, aut defunctis, sed soli Sacerdoti. Vide Patrem à Castro verbo Missa hæresi. 3. *Hæresis.*

Art. II. An missa oblata pro multis, tantum singulis, ac si pro vno dumtaxat offerretur, prodesse possit? *Sco. quoli. 20. quæst. 20.*

Tres sunt opiniones: Prima Sco. tenentis partem negantem quæ magis secura, & celebris est; quam amplexi sunt multi iurisconsulti; quos Syluester, & Soto citant. *Verbo Missa. 7. 8. 9. Soto vbi supra ar. 2.*

Secũda opinio, & cõtraria est Caie. cui adhæsit Cano; quæ opinio non minimum inter populares scandalum excitauit. *22. q. 79. ar. 5. & quolib. de celebratione missæ. quæst. 2*

Tertia opinio est Syluestri loco citato dicentis; si Missa pro multis offeratur, quia simul õnes illã petierunt; nõ potest tunc æqualiter õnibus prodesse, ac si pro vno tantũ esset oblata, si verò singulariter multi illã petierũt, vt si vnus petat Missã pro anima patris, alius pro anima matris &c. bene ĩquit potest &c.

CONCL. I.

Si valor Missæ ex opere operantis consideretur, vna Missa pro pluribus oblata, perinde prodest quoad satisfactionẽ singulis, ac si pro vno tantũ offerretur, quia valor hic singulis iuxta mensurã deuotionis prodest; & cum deuotio unius non sit impedi-

impedimento alterius deuotioni, quo minus æqualem, vel fortè maiorem effectum consequatur, profectò proderit singulis vt dictum est, ac si pro vno dumtaxat esset oblata.

CONCL. II.

Valor Missæ ex opere operato non prodest singulis, pro quibus specialissimè offertur, ac si pro vno dumtaxat oblata esset. Ratio est, quia cum valor ille sit finitus. si inter plures diuidatur minus quilibet eorum, quàm si inter pauciores diuideretur accipiet.

APPEN. I. Hinc, Sacerdos vnam missam pro duobus offerens, quorũ quilibet sufficiens stipendium contulit, non satisfacit.

APPEN. 2. Hinc licebit accipere stipendium ab Ecclesia signatũ, scilicet, argentum, & vna Missa pro duobus satisfacere, si vterq; dimidium tantum obtulit.

Soto. dist. 13. 4. ar. 2.

APPEN. 3. Hinc, illi, qui Sacerdotali stipendio ali non potest, non licebit plus accipere. Nam illi, pro quibus offertur Missa, solum tenentur stipendium ab Ecclesia taxatum tribuere.

Ubi supra in solut. ad. 10. lect. 28. super canonem. quæst. 6. art. 1. ubi supra.

Difficultas. Accipiturne licitè stipendium pro labore inter celebrandum?

Duæ sunt opiniones. Cano. recipi licitè posse insinuare videtur. Gabriel verò, & Soto oppositum tenent.

CONCL. I.

Symonia est dare, vel accipere stipendium pro fructu spirituali missæ, vel pro labore tali fructui spirituali annexo. Est enim Symonia emptio, seu venditio spiritualium, vel eorum, quæ annexa sunt &c. de quibus Matth. 10. posita est lex à Christo Iesu. Quod gratis accepistis, gratis date. Sunt autẽ spiritualibus annexa, sine quibus ministrari nequeunt; qualis est totius Missæ occupatio.

Matth. c. 10.

APPEN. Hinc, integrum erit Sacerdoti pro labore, qui non sit spirituali ministerio annexus, stipendium recipere; vt si conducatur ad celebrandum certa hora, primo, scilicet, mane, vel meridie. Hæc enim obligatio non erat spirituali ministerio annexa: quoniam sine illa sacrificium confici potest.

CONCL. II.

Sacerdos propter aliquam causam finalem stipendium recipere, sibiq. propter eandem causam dari potest. Tunc enim spirituale, vel aliquid annexum non venditur. Sed datur recipiturq. stipendium: vt Sacerdos alatur. Dignus namq. est operarius mercede sua. Et confirmatur exẽplo, Dominus enim seruum suum sustentat, & alit ad hunc finem: vt laboret; non autem pro labore: quia seruus Domino suo laborem non vẽdit; cum seruus eiusq. actiones Domini esse dicantur.

Lucæ c. 10.

CON-

CONCL. III.

Illé, pro quo Sacerdos specialissimè sacrificium offert, de iustitia Sacerdotem alere tenetur. D Pau. est Probauerũt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum. Qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt. Nam si participes facti sunt eorum spiritualium gentes, debent, & in carnalibus illis ministrare. Animaduerte dictionẽ debitores. Quia dignus est operarius mercede sua. *Ad Rom. 15.*

Vltimus Articulus de ritu Missæ?

Absoluetur Art. aliquot difficultatibus positis.

Prima diffic. Qui Ministri ministrare prohibentur.

Alex. Alen. vbi supra S. Tho. q. 83. Scot qõ. 2. dist. 13.

CONCL. I.

Irregularis, degradatus, excommunicatus maiori, aut minori excommunicatione, & suspensus, ministrando mortaliter peccant; quoniam à iure prohibentur. *Alexan. Alẽ. S. Tho. & Scot vbi supra.*

CONCL. II.

Qui caret pollice, vel qui illo vti non potest ad diuidendam Hostiam cum alio quocumque digito eiusdem manus ministrare prohibetur. Definita est expressé capite vltimo de corpore vitiatis.

CONCL. III.

Qui sua sponte sibi virilia amputauit, & non alia de causa ministrare non potest. Definita est in cap. significauit. Eodem titulo.

CONCL. IIII.

Qui natus est Eunuchus, vel cui iusta de causa sine culpa sua ad vitandam infirmitatem sunt virilia abscissa ministrare potest. Definita est in cap. ex parte. ibidem.

CONCL. V.

Qui deformitatem magnam in facie habet, non potest sine dispensatione ministrare, vt qui habet nasum, siue aures abscissas aut maculam in oculo. definita est cap. 2. eodem titulo. Vide ibidem glossam in cap. finali.

Secunda diffic. Quibus in locis celebrare licet?

CONCL. I.

De iure communi non licet, nisi in locis ab Episcopis consecratis, vel in loco non consecrato de licentia solius Episcopi. Definita est expressè in can. Missarum solemnia. de cõsecr d. 1. intelligitur, ita vt non sit Ecclesia interdicta, aut violata quamuis sit consecrata.

CONCL. II.

Extra Ecclesiam non consecratam, vel in campo in graui necessitate, vel de licentia Episcopi licebit celebrare; dũmodo super

super aram lapideam consecratam offeratur. Definita est expresse in can. concedimus de con. eadem distinct.

CONCL. III.

In domo particulari, vel de licentia solius Episcopi; sine bulla, Missa celebrari poterit. Definita est in can. Missarum solemnia citato; seruanda tamen sunt, quæ in Conc. Trid. Sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitādis in celebratione Missæ præcipiuntur, nempe; vt sint in domo oratoria ad hoc designata.

APPEN. Hinc, nulla vrgente necessitate de licentia Episcopi poterit Missa celebrari. quia Conc. Trid. nullam ponit necessitatē sed tantum ne sine licentia Episcopi fiat, præcepit.

CONCLVSIO.

In mari vel flumine Missa celebrari non potest, posset enim sanguinis effusio contingere cum nauis continuo moueatur.

Tertia diffic. Quibus diebus integrū erit Missam celebrare?

CONCL. I.

Licitum erit singulis diebus missam vnam celebrare, præterquam feria sexta, & sabbato maioris hebdomadæ. Definita est in can. sufficit de consecr. d. 1. præterquam in die Natalis Domini: vt in can. nocte sancta. eadem distinctione habetur.

CONCL. II.

Vrgente necessitate licitum erit eadem die duas celebrare Missas. Definita est in can. sufficit citato, dummodo ieiunium naturæ non soluatur.

Quarta diffic. Qua hora poterit Sacerdos rem sacrā facere?

CONCL. I.

Cum primum albescere incipit, vsque ad meridiē integrū est celebrare, etsi ante meridiem fuerit incepta Missa, perficienda est.

CONCL. II.

Possunt fratres minores ex priuilegio vnā hora ante lucē, & alia post meridiem celebrare. Patet in compendio priuilegiorum verbo Missa 2. §. 1. & 2.

CONCL. III.

Feria 5. maioris hebdomadæ publicè, vel secretè Sacerdos celabrare potest Nullus enim est textus istud prohibens. Imo permittitur in can. sabbato de consecr. d. 3.

Quinta diffic. Quibus Vestibus, & Vasis Missa celebrāda est

CONCL. I.

Omnes vestes debent esse benedictæ præter Cingulū, quod potest non benedici.

CON-

CONCL. II.

Qui vestibus non benedictis celebraret irregularitatē non incurreret. Quia nulla pœna canonica incurritur, nisi à iudice imponatur.

CONCL. III.

Ara, quæ altare nominatur, lapidea esse debet. Definita est in can. altaria, & 1. de consecr. dist. 1.

CONCL. IIII.

Calices consecrati; & ex auro vel argento, vel stanno confecti esse debent. Definita est in can. Calix. eadem dist.

CONCL. V.

Si quis quantumuis occultè in calice vitreo, aut ligneo consecraret, peccaret grauissime, quia in vitro est effusionis periculum, & in ligno sanguis imbibi potest.

CONCL. VI.

Calix fractus rennitus est benedicendus, & consecrandus Quia iam formam calicis amisit. Et idem de vestibus est iudicandum quod non est intelligendum de calice tornatili, cuius pes est à calice diuisus.

CONCL. VII.

Consecratio vasorum, & eorum, quæ in sacrificio Missæ concurrunt, est applicatio tantum, scilicet, vt sint instrumenta quibus hoc sacrificium peragatur.

CONCL. VIII.

Grauissimum peccatum est calice consecrato bibere, aut illo fracto vas aliquod ad humanos vsus formare; & idem est iudicium de cæteris ornamentis. Quia quæ semel Deo dicata sunt, ad humanos vsus transferri non possunt quod satis exemplo Regis Balthazaris in veteri testamento cōfirmatur. *Daniel. c. 5.*

Sacerdos qui non ex malitia sed ex negligentia quacumque sine ara celebrat, vel sine manipulo, aut stol a mortaliter peccare non videtur. 1. PROPO.

Præter corporalia debent esse duo panni linei in memoriā sanctissimæ Trinitatis. 2. PROPO.

Defectus in Missa contingentes quomodo supplendi sint. *Dubium.*

S. Tho. 7. defectus numerat. Ex quibus aliqui sunt à nobis in superioribus expositi; quos etiam omnes in Missali sanctissimi Papæ Pij V. expositos repeties: hactenus de sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Cuius faxit Deus optimus Maximus, quæ sua est infinita misericordia; vt verè participes esse possimus. Amen.

FLORES SACRAMENTI pœnitentiæ.

De hoc sacramento differit Mag. sent. ad 14. vsque ad 22. & ibi DD.

Alexan. Alē. q. 69. & 61.

QVAESTIO PRIMA DE HIS QVAE AD ESSENTIAM POENITENTIAE PERTINENT.

D. Tho. qō. 84. ar. 1. reliqui. d 14. Ric. d. 21. ar. 2. q. 3. Dur. q. 3. Scot. qō. 4 dist. 14.

Art. 1. An pœnitentia sit sacramentum nouæ legis?

CONCLVSIO.

PEnitentia vnum est ex Ecclesiæ sacramentis. Definita est expresse in Conc. Trid. Sess. 4. can. 1. lege supra de sacramentis in genere.

Alexan. Alē q. 60. m. 2. Ri d. 16. ar. q. 2.

Difficultas. An pœnitentia supponat pro absolutione, a Sacerdote facta, an pro actibus pœnitentis contritione. confessione, & satisfactione?

Tres sunt opiniones de hac re. Prima tribuitur S. Tho. vbi supra, qua dicitur pœnitentiæ sacramentum non supponere pro absolutione, sed pro actibus pœnitentis, scilicet cōtritione &c. connotando Sacerdotis absolutionem.

Secunda opinio est Sco d. 14. ar. 3. q. 4. & d. 17. q. 1. vbi dicit supponere non pro actibus pœnitentis, sed pro absolutione Sacerdotis connotando actus pœnitentis.

Tertia opinio est Dur. d. 14. q. 3. hic tenet, neque supponere pro absolutione sacerdotis, nec pro solis actibus pœnitentis, sed pro vtroq. quæ opinio videtur esse B. Tho. loco citato.

CONCLVSIO.

Pœnitentiæ sacramentum, quemadmodum cætera sacramenta constat materia; siue quasi materia, & forma. Expresse definita est in Cōc. Flor. & Trid. Sess. 14. c. 3. & cano. 5 vbi ita legitur: quasi materia huius sacramenti sunt actus pœnitentis. Forma autem est absolutio Sacerdotis. Vocat autem Concilium actus pœnitentis nō materiam absolutē, sed quasi materiam, quia illi actus non manent, quando est sacramētum. s. absolutio Sacerdotis. in aliis sacramentis, quæ habent esse in fieri, in quibus materia cum sacramento manet, absolute materiam appellauit, nam absolutè & propriè materia est quæ manet cum re cuius est materia. Vnde quando Sco. vbi supra dicit tria illa nullo modo esse partes pœnitentiæ intelligit propriè, vt loquitur Concilium, quia non manent cum sacramento, quod est absolutio. Nihilominus tamen dicit requiri, & præsupponi ad pœnitentiæ sacramentum.

Alexan. & Ric. & Scot. vbi supra. Contra Durandum.

Difficultas. An sit sacramentum pœnitentia materia sola, an forma sola, an vtrumque simul?

CONCLVSIO.

Non supponit pro vtroq. simul. Probatur. Quia pœnitētiæ sacramen-

sacramentum est nomen connotatiuum, quod non supponit pro vtroq; simul, sed pro altero tantum. In hac enim: album currit, non supponit album pro homine & albedine, quia non resoluitur in hanc; subiectum & albedo currunt, sed in hanc, subiectum habens albedinem currit.

CONCLVSIO.

Sacramentum pœnitentiæ supponit pro absolutione Sacerdotis, & nullo modo pro actibus pœnitentis, licet illos consignificet. Ante probationem primum nota, sacramentum nouæ legis esse signum gratiæ non prognosticum, id est, gratiæ futuræ, neq; rememoratiuum gratiæ, scilicet, præteritæ, sed demonstratiuum gratiæ, quæ tunc temporis datur. quando tale signum, & sacramentum ponitur, hoc omnes DD. ad vnum fatentur. Iam primo probatur à definitione sacramenti. Quia sacramentum est signũ demonstratiuum gratiæ, & tale signum non est confessio, sed absolutio. Non enim datur gratia tempore confessionis, sed absolutionis. 2. quia sacramentum pœnitentiæ efficit, quod significat: vt cætera sacramẽta, & remissionẽ peccatorum, quæ est pœnitentiæ effectus, non significat confessio, sed absolutio. Nam confessio potius accusationem significat. 3. confirmatur, Quia hoc sacramentum, remittit pœnam virtute clauium, quæ sunt non in pœnitente, sed in Sacerdote, quare sola absolutio, quæ est actio Sacerdotis, & non confessio, quæ est pœnitentis operatio, erit sacramentum. 4. quia pœnitentiæ sacramentum est causa instrumentalis gratiæ, & talis est sola absolutio, quæ est simul cum gratia sacramentali, & non confessio quæ præcedit tempore gratiam. 5. quia hoc sacramentũ non conficitur per actionem recipientis, sed Ministri. vt cõstat ex Conc. Florentino, & ita non confessio, quæ est actio pœnitentiæ, sed absolutio erit sacramentum. vltimo, ratione deprompta ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. vbi habetur. Docet præterea sacra Synodus sacramenti pœnitentiæ formam, in qua vis præcipuè ipsius sita est, in illis Ministri verbis positam esse. s. ego te absoluo. tunc ita argumentor, vis sacramẽti pœnitentiæ potius est in absolutione, quàm in actibus pœnitẽtis posita; ergo præcipuè absolutio saltem erit magis sacramentum quàm actus pœnitentis. Alex. opinio q. 60. m. 2. & Ric. d. 16. q. 2. ar. 1. & Bona. d. 22. in 2. parte d. q. 2. si diligenter eorum verba perpẽdantur, eadem est cum opinione Scoti. dicunt enim formaliter, & sub ratione sacramẽti consideratã pœnitẽtiã supponere pro absolutione. Quod si obiicias; sacramentũ cõstat ex materia & forma, ergo vtrũq. simul est sacramentũ. Respondeo, quãuis ex vtroq; cõficiatur, supponit tantum pro altero, vt ex secunda conclusione cõstat.

Scot. est.

Vega lib. 13. c. 15. super Concil. Trid.

Quia est terminus connotatiuus, qui non supponit pro vtroq; neq. est vtrunque, albũ enim cõponitur ex subiecto, & albedine, non tamen est subiectum, & albedo copulatiuè: quia non resoluitur per verbum substantiuum, sed adiectiuum, scilicet, est subiectum habens albedinem, ita pœnitentiæ sacramentũ est forma cadens super confessionem pœnitentis. Contra argumentaberis; omne connotatiuum supponit pro formali & non pro materiali. R. verum est de terminis connotatiuis naturalibus; vt album, & artificialibus: vt statua, non autem de terminis significantibus res supernaturales. Nam isti supponunt pro signo gratiæ, vnde Baptismus supponit pro ablutione facta sub certa verborum forma, quæ est signum gratiæ. Similiter pœnitentia pro absolutione, quæ est signum gratiæ, & non pro actibus pœnitentis. vltimo disputabis; actus pœnitentis sunt causa gratiæ: ergo sunt sacramẽta. Respondeo. Sũt quidem causa dispositiua, non autem instrumentalis. Et ita nõ sunt sacramentum, sicut est absolutio.

Alex. Al^{e}. q. 7. q. & 65. S. Tho. q. 84. art. 2. Ricar. d. 22. ar. 2. q 2. & d 16 art. 4. q. 1. & 2. D. Bona. dist. 16. & 17 Dur. dist. 17.

Difficultas. An peccata commissa sint huius sacramenti materia?

CONCLVSIO.

Peccata commissa, non sunt materia proxima huius sacramenti sed actus pœnitentis. s. peccatorum detestatio, quæ fit per contritionem & confessionẽ. Definita est in Cõ. Flor. vbi dicitur 4. sacramentum est pœnitentia, *cuius quasi materia* sunt actus pœnitentis s. contritio, scilicet, &c. idem definitur in Conc. Trid. proximè citato.

Scot. d. 14. q. 4

CONCLVSIO.

Peccata sunt materia remota pœnitentiæ. Nam remota materia est ex qua proxima fit, at detestatio peccatorum ex præcedentibus peccatis ortum habet. Sunt autem materia proxima non facienda, sed destruenda, quemadmodum morbus materia medicinæ esse dicitur.

S. Th. ar. 3. Duran, d. 22. q. 2.

Difficultas. An forma sufficiens sit: ego te absoluo?

Tres sunt circa hanc difficultatem opiniones. Prima Abulensis in 1. p. defensorij cap. 6. asserentis, debere esse hanc formam, scilicet, ego remitto tibi peccata.

Secunda opinio est dicentium; formam debere esse deprecatiuam, vt absoluat te Deus.

Magist. Caue.

Tertia opinio est Magistri, & quorundam aliorum affirmantium licere vti hac forma, ego te absoluo, nihilominus tamen Sacerdotem non absoluere, sed tantum ostendere pœnitentem absolutum. Hæc est condemnata in Con. Trid. Sess. 14. lege infra de potestate clauium.

CON-

CONCLVSIO.

Sufficiens forma est, ego te absoluo, nam ita expresse definitur in Conc. Flor. & Trid. vbi supra. cap.3.

CONCLVSIO.

Non est aliqua forma præcisa huius sacramẽti. Forma enim præcisa est illa, quam Christus præscripsit. Vt est forma Baptismi, & Eucharistiæ, Christus autem Iesus nullã huius sacramenti formam præscripsit. Nam Matthæi 26. & 28. & Ioan. 20. solum legitur, quorum remiseritis vel solueritis, &c. conclusio est Scoti, vnde immeritò Sco. à Soto reprehenditur. Ioan. 20. Liberatur Sco. d. 14. 41. ar. 3.

CONCLVSIO.

Quæcunque forma, vbi authoritatiuè remissio peccatorum explicatur erit sufficiens huius sacramenti forma, quia Minister huius sacramenti est iudex, & iudicis est authoritatiuè iudicium proferre.

Vnde collige, quod si quis hac forma vteretur; Ego remitto tibi peccata, vere absolueret. Vt dicitur enim Ioan. 20. quorum remiseritis &c. vel etiam si dicat: impendo tibi beneficium absolutionis. quia authoritatiuè absoluit, peccaret tamen. Vide Caiet. vbi supra S. Tho. et in summa verbo. Absolutio.

Difficultas. An impositio manuum Sacerdotis ad hoc sacramentum requiratur?

Vide S. Tho. art. 4. vbi supra & Soto d. 14. q. 1. art. 4.

CONCLVSIO.

Nequaquam talis impositio requiritur. Patet Matth. 18. & Ioan. 20. vbi nulla fit huius impositionis mentio.

Difficultas. An hoc sacramentum sit de necessitate salutis? Alex. Alen. q. 59. S. tho. ar. 5 D. Bona. art. 1. & 2. Ricar. d. 16. ar. 4. Sco. dist. 16. Dur. d. 16. & 17.

CONCLVSIO.

Hoc sacramentum non est simpliciter ad salutem necessarium. Quia necessarium simpliciter, est omnibus necessarium. pœnitentia verò paruulis, & iustis, qui nunquam peccauerũt, non est ad salutem necessaria dicente scriptura. Et tu Deus iustorum nõ posuisti pœnitentiam iustis Abraham, Isaac, & Iacob, qui non peccauerunt. 2. Parali. c. vl.

CONCLVSIO.

Homo post peccatum mortale commissum sine sacramento pœnitentiæ saluari non potest. Ratio est, quia de lege non remittitur peccatum nisi per pœnitentiam: vt patet Ioan. 20. quorum remiseritis peccata &c. Ioan. 20.

CONCLVSIO.

Deficiente copia Confessoris in articulo mortis sufficiet pœnitentia in voto, & ratio est. Quia quando actus exterior est necessarius ad salutem, satis est habere illum actum in re, aut in voto.

Vnde sufficit ad iustificationem, vt tempore cōtritionis habeatur votum explicitum, id est, actuale, siue formale propositum confitendi vel implicitum, vt si habeat aliquem dolorem de peccatis propter Deum offensum cum proposito cauendi omnia peccata, & seruandi omnia præcepta Diuina, in illo enim generali proposito implicatur particulare confitendi propositum.

Est Alex. & Ricar. d. 17. ar. 2. q. 1. vbi sup.

Dubium. Quid si pro nimio dolore pœnitens non rec ... detur proponere obseruantiam mandatorum Dei in posterum?

CONCLVSIO.

Alex. & Ric. est.

Nihilominus iustificabitur. Dicitur enim Ezech. 33. impietas impij non nocebit ei, in quacunque enim hora conuersus fuerit &c. Nam in illo vehementi dolore confessionis votū includitur, quia si talis voti tunc recordaretur, haud dubiè proponeret.

Alex. Alen. q 63. m. 3. B. Th. art. 6. et. 8. D. Bona. d. 22. q. ō. vlt. Ric. d. 14. super literam.

Difficultas. An pœnitentia sit secunda tabula post naufragium?

CONCLVSIO.

Est quidem 2. tabula. Ita enim habetur, can. 2. tabula d. 1. in Conc. Trid. Sess. 6. cap. 14. & Sess. 7. can. 2.

Difficultas. Quando fuit hoc sacramentum institutum?

Alex. q. 59. D. Tho. art. 7. vbi supra & D. Bona. ar. 1. q. 3. d. 17. Ric. d. 22. art. 2. q. 4.

CONCLVSIO.

Hoc sacramentum fuit à Christo institutum quando Ioan. 20. dixit Apostolis, quorum remiseritis peccata &c. Definita est in Conc. Trid. vbi supra. & can. 3. vbi ita legitur. si quis dixerit verba illa Domini Saluatoris: Accipite Spiritum Sanctum &c. Non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ sicut Catholica Ecclesia ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem huius sacramenti ad authoritatem prædicādi Euangelium, anathema sit: vide Conc. & cap. 5. ibidem.

Alex. Alen q 65. m. 2 art. 2. et 3. B. Tho. ar. 48. et 9. D. Bona. d. 16. art. 3 q. 2. Rica. dist. 14. ar. 9. q. 19.

Difficultas. An post peccatum commissum, & peractam de illo pœnitentiam teneatur omnis homo vsque ad finem vitæ dolorem habere?

CONCLVSIO.

Vsque ad finem vitæ etiam peracta pœnitentia tenetur homo peccatorum dolorem habere, id est displicentiam negatiuam. Scilicet quod nunquam illi peccata commissa placeant. Ratio est, quia si aliquando placerent, nouum peccatum mortale committeretur; gloriarentur enim tunc cum malefacerēt, & exultarent in rebus pessimis.

CONCLVSIO.

Pœnitentia exterior post semel peractam pœnitentiam nō esse necessaria. Nam ad confitendum, & satisfaciendum, non obligatur per totam vitam, sed tempore ab Ecclesia determinato. Non enim vindicat Deus bis in idipsum, nec consurget duplex tribulatio.

Hinc non tenebitur aliquis elicere istum actum: non placet mihi peccatum, peccato iam virtute pœnitentiæ purgato, sed tenebitur semper habere, vel propositum. s. nunquam peccādi & seruandi in omnibus diuina præcepta. Patet Ecclesiastici 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. *B. Tho. est. ar. 9* *Ecclesia. 5.*

CONCLVSIO.

Tale propositum nō est semper in actu futurum. Ratio est, quia obligaretur homo ad impossibile. Satis enim est quando peccata memoriæ occurrunt, vel aliqua tentatione homo cōcutitur tale propositum elicere.

CONCLVSIO.

Tenetur tamen post peractam pœnitentiam sub reatu mortalis peccati occasiones vitare; patet quoniam qui amat periculum, peribit in illo.

Difficultas. An Sacramentum pœnitentiæ sit iterabile?

Alex. Alen. q. 63. D. Tho. Ricar. vbi supra q. 2. Duran. q. 14. D. Bona. d. 14. art. 3. q. 2. Cast. Verb pœnitentia hær. 3

CONCLVSIO.

Poterit homo post peractam pœnitentiam. Virtute huius sacramenti, quoties peccauerit, peccatorum veniam consequi. Dixit enim Dominus Petro quærenti, an septies remitteret fratri peccatum, non dico tibi septies, sed septuagesies septies. Vbi authore D. August. numerus finitus pro numero infinito collocatur. *Matth. 18.*

Contra hanc veritatem fuerunt duæ hæreses, contra quas lege D. Tho. & Patrem à Castro vbi supra. Prima fuit Nouati dicentis post Baptismum nemini relinqui pœnitentiæ locū. Secunda asserentiū, post Baptismū semel benè posse à peccato resurgere aliquem per pœnitentiam non tamen amplius. *Hæreses.*

Art. 11. An pœnitentia sit virtus vel virtutis habitus?

In re omnes conueniunt asserentes pœnitentiam esse virtutem in modo tamen dicendi dissentiunt, lege illos. *Alexā. Alen. q. 54. & 75. B. Tho. et reliqui d. 14. D. Bona. ar. 1. q. 1. Ric. ar. 1. q. 1. Scot. quæst. 2.*

CONCLVSIO.

Pœnitentia actualis quatenus est nolitio siue detestatio peccatorum est actus virtutis, id est, vel generans virtutem, vel à virtute genitus. Patet à definitione actus virtutis, qui est elicitus secundum rectam rationem in mediocritate consistens. Recta autem ratio dictat; vt de peccatis non gaudeamus, iuxta illud: lætantur, cum malè fecerint &c. neque quod de illis vsque ad desperationem, sicut Cain, & Iudas, doleamus, sed in mediocritate. i. cum spe veniæ à Deo obtinendæ. Quare talis detestatio erit virtutis actus.

S.Tho. Ric. & Sco. est.

CONCLVSIO.

Pœnitentia pro tristitia, quæ ex nolitione peccati nascitur, sumpta, non est virtus. Nam virtus est vel actus vel habitus; tristitia verò, cum sit tantùm passio, nihil horum est.

CONCLVSIO.

Si pœnitentia pro fructibus ex Pœnitentia genitis, siue pro satisfactione; ut pro ieiunio, oratione, eleemosyna, accipiatur est virtutis actus. Patet quoniam isti actus dictantur, & eliciuntur secundum rectam rationem. Et pro illis præmium dabitur, quod non redditur, nisi pro actibus virtutis.

CONCLVSIO.

Pœnitentia sumpta pro habitu vel infuso, vel acquisito inclinante ad pœnitendum est proprijssimè virtus. Nam virtus est habitus electiuus vel inclinans ad eliciendum actum quem recta ratio dictat, & pœnitendi habitus inclinat quidem ad dolendum de peccatis cum spe veniæ obtinendæ: quod maximè recta ratio dictat.

Difficultas. An sit virtus generalis, vel specialis?

Vide DD. vbi supra.

Tres sunt opiniones. Prima Sco. q. 2. dicentis; pœnitentiam sumptam pro nolitione puniendi peccatum, esse actum iustitiæ punitiuæ, quæ est specialis virtus: sumptam verò pro nolitione peccatorum esse generalem virtutem; quo autem modo sit intelligenda hæc opinio, conclusione prima patebit.

Alex. q. 54. m. 1. ar. 1. Ric. q. 2. D. Bona. vbi supra.

Secunda opinio est communis Alex. D. Bon. Ric. & aliorum affirmantium esse virtutem specialem.

Tertia opinio est Caiet. asserentis: pœnitentiam non esse virtutem generalem, vel specialem, sed pertinere ad religionē.

CONCLVSIO.

Pœnitentia, quatenus est actus naturalis, generalis virtus est. Ratio est, quia vt talis est solum detestatur peccatum propter amorem virtutum, quibus peccata opponuntur. Et quia sunt contra rectam rationem tum etiam quia quæcunque virtus inclinans ad complacendū de actibus continentię inclinat etiam

etiam ad displicendum de actibus incontinentiæ, & hinc dicitur generalis, quia inclinat ad actus multarum virtutum. Et in hoc sensu est Scotus intelligendus.

CONCLVSIO.

Pœnitentia, vt est actus supernaturalis non est generalis virtus, sed specialis ab alijs virtutibus moralibus, & Theologicis distincta. Ratio est, quia nulla virtus, præter pœnitentiam, inclinat ad hunc actum, scilicet, pœnitet me peccasse propter Deum offensum: vt illum mihi reconciliem, & vitam æternam possideam.

Difficultas. An pœnitentia sit virtus infusa, vel acquisita?

Duæ sunt opiniones. Vna negans Scot. & Duran. vbi supra; altera Caiet. art. 5. q. 85. S. Tho. affirmans. *Alex. Alē. q. 54. m. 2. art. 2. §. 4. & q. 75. m. 1. reliqui. d. 14. D. Bon. artic. Dur. q. 11. & 2. Scot. q. 3. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Habitus est ex pluribus actibus acquisitus, potestq; manere informis in peccatore, sicut aliæ virtutes absq; charitate in eodem existere possunt. Ratio est, quia prius natura habet dolorem homo de peccatis, quàm Deus iustificet illum; vt infra hac eadem quæstione patebit: quamobrem talis dolor nō erit à pœnitentia infusa elicitus. Patet consequentia. Quia pœnitentia, vel de sententia Caiet. non infunditur, nisi in iustificatione; vnde si pœnitentiæ actus præcedit ordine naturæ iustificationem, præcedet quoque pœnitentiam infusam. Et nota virtutes acquisitas mediante speciali auxilio disponere quoque ad præmium supernaturale; & ita non sequitur cum Pelagio, nos viribus naturæ iustificari. *Vide DD. vbi supra.*

Diffic. An sit pœnitentia moralis, vel Theologica virtus?

Duę sunt opiniones. Prima Scot. tenentis esse moralem, altera Thomistarum. *Alex. Alen. q. 54. m. 1. art. 2. & 3. & q. 75. in 4. D. Bona.*

CONCLVSIO.

Non est virtus Theologica, sed moralis. Patet. Primò quia virtus Theologica non est acquisita, sed infusa. Pœnitentia verò, vt patet ex proxima difficultate, est virtus acquisita, & non infusa. Secundo, quia gratia non destruit naturam, imo perficit, & omnis actus, si multiplicetur naturaliter, generat habitum; cum sit agens naturale. Quia quantumcunq; sit actus meritorius, & disponat ad gratiam, generabit habitum. Et cōfirmatur: nam si ex multis ieiunijs meritorijs, non generaretur temperantiæ habitus, sequeretur deterioris cōditionis esse ieiunãtes in statu gratię, quã in statu peccati, cũ de sentẽtia aduersariorum isti per suos actus habitum temperantiæ acquirant, & non iusti. Contraria opinio est Thomistarum, qui ex conclusione Scoti colligunt, ex viribus naturæ posse ho-

minem pœnitere, quod est Pelagij. Et ratio est, quia habitus acquisitus naturaliter. inquiunt, inclinat ad actus similes illis, ex quibus generatur: & cum habitus pœnitendi sit acquisitus ex actibus pœnitendi supernaturalibus, naturaliter quidem inclinabit ad illos; & ex consequenti poterimus naturaliter pœnitere, qui fuit error Pelagij. Verumenimuerò habitus acquisitus pœnitendi inclinat voluntatem ad actum pœnitendi similem quantum ad substantiam actus, non tamen quantum ad finem præcipientis, scilicet, Dei, qui vult: vt ille pœnitentis actus sit vltima dispositio ad gratiã; & cum hoc fieri absque speciali auxilio non possit, non inde sequitur error Pelagij, qui quidem sequeretur, si dixisset Scot. ad actus similes quantum ad finem præcipientis inclinare.

Sco. liberatur.

Alex. Alen. q. 75 m. 3. D. Bona. q. 2.

Difficultas. An pœnitentia virtus sit iustitiæ species?

Vide DD. vbi supra. Tres opiniones. Prima Sco. q. 2 art. 1. Secunda est B. Tho. art. 3. inter quas hoc est discrimen quod Sco. accipiens pœnitentiam pro detestatione peccatorum, nõ dicit esse specialem virtutem: vt supra hoc eodem articulo diximus, at verò S. Tho. dicit esse speciem. siue partem iustitiæ. Tertia opinio est Dur. dicentis pœnitentiam esse speciem subiectam commutatiuæ iustitiæ quia pœnitens reddit Deo pœnitendo æqualem culpæ illatæ satisfactionem quod est falsissimum. Quia Deus semper punit citra condignum.

CONCLVSIO.

Pœnitentia non est pars subiectiua iustitiæ. Ratio est, quia pars subiectiua habet totam quantitatẽ generis vt homo animalis; pœnitentia verò non habet totam quidditatem iustitiæ. Quia per illam non reddimus æqualem pro mensura peccatorum satisfactionẽ, quod est de ratione iustitiæ strictè sumptæ.

CONCLVSIO.

Pœnitentia est pars potentialis iustitiæ, & charitatis. Ratio est, quia pars potentialis est, quæ nõ habet totam generis quãtitatem, sed partem illius dumtaxat. & pœnitẽtia, quatenus per illam satisfacimus Deo, habet partem iustitiæ commutatiuæ: cum per illam pœnitens dolorẽ pro peccatis permutet. Quatenus verò pœnitet nos Deum offendisse. ꝗ est actus charitatis, atq; ita vtriusq; virtutis est pœnitentia pars potentialis, & virtus vna specialis ex duabus partialibus virtutibus cõstituta.

Alex. Alen. q. 15. m. 3. art. 2. DD. ar. 4. D. Bona. ar. 1. q. 1. Sco. reliqui vbi supra.

Difficultas. An pœnitentia sit in voluntate tanquam in subiecto?

CONCLVSIO.

Si pœnitẽtia pro tristitia sumatur, in appetitu sensitiuo, scilicet, in corde subijcitur. Ratio est, quia contraria nata sunt fieri circa idem subiectum, & cũ lætitia teste Aristotele sit in corde, erit

erit quoq; & tristitia.

CONCLVSIO.

Si pœnitentia pro nolitione, & detestatione peccatorum commissorum sumatur, in voluntate tãquam in subiecto existit. Ratio est, quia pœnitentia, vt constat ex proxima difficultate, est pars iustitiæ, & iustitia subiicitur in voluntate, intellige conclusionem de subiecto perfectionis. Et confirmatur, quia nolitio peccati est actus solius voluntatis.

Alex. Alen. q. 57. m. 2. 65. 69. & 77. S. Tho. q. 86. reliqui d. 14. & 16. D. Bon. ar. 2. qō. 2. & 3. Scot. 19. art. q. 1. art. 3. Pater à Castro Verb. peccatũ hære. 4. & 6. Vega lib. 13. super Concil. Trid. a. 1. capite vsque ad 13.

Art. III. An virtute pœnitentiæ omnia peccata mortalia post Baptismum commissa remittantur?

CONCL. I.

Peccata damnatorum sunt irremissibilia. Ratio est, quia adeò sunt obstinati: & nulla culpa, quatenus Dei offensa est, possit illis displicere. Vnde dicitur in Psalmo. Superbia eorũ, qui te oderunt, ascendit semper.

CONCL. II.

Nullum est peccatum viatoris, cuius pœnitere non possit. Constat, tum ex parte hominis; quia quamdiu est viator, habet liberum arbitriũ ad bonum & malum, dicitur enim Ecclesiastici 15. ab initio cõstituit Deus hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, tum etiam ex parte Dei, qui vult omnes homines saluos fieri, id est, Deus est paratissimus ad subueniendum peccatoribus, vt animæ salutem consequantur. *Ecclesiast. 15.*

Hinc sequitur, nullum peccatum viatoris esse irremissibile, vide Vegam à cap. 2. vsq; ad 7. vbi supra, ibi enim multis authoritatib⁹ hanc appẽdicẽ cõfirmat. Nam prouocat nos Deus sua benignitate ad pœnitendũ, & passio Christi Iesu est sufficientissima. Ipsa enim est pro peccatis toti⁹ mũdi propitiatio. APPEN. *Rom. 2.* *1. Ioan. 2.*

Multa sunt peccata viatorum, quæ nunquam in hoc sæculo, neq; in futuro remittentur. Et nota primũ, aliud esse, peccatum irremissibile esse, s. quia nullum est institutũ remedium vt possit remitti; vt sunt peccata existentiũ in inferno, vbi nulla est redemptio. Aliud verò peccatũ nunquam remitti, s. quia peccator nunquã dignè pœnitebit. Tale fuit peccatũ Antiochi regis, quem pœnitebat amore tantum sui, & timore pœnæ, & non propter Dei offensam. Tale peccatum erat remissibile. Quia poterat Antiochus dignè pœnitere, nunquã tamen fuit remissũ, quia non pœnituit: vt oportebat. De peccato Saulis, & Iudæ idẽ est iudiciũ. Sex errores refert Magister Vega vbi supra, capite 2. qui sequentibus quinq; comprehenduntur, & primus horum fuit Nouatiani asserentis; Peccata post Baptismum cõmissa esse irremissibilia. Secundus Armachani libro nono de quæst. Armenorum. cap. 27. affirmantis esse aliquos APPEN. *Vide Vegã ubi supra c. 13.* *1. Machab. c. 6.* *2. Reg. c. 12.* *Hæreses.*

quos in via, ita in malitia obstinatos: vt secundum legem communem pœnitere haud possint. Tertius quorundam Iudeorum dicentium quartũ peccatum esse irremissibile. Quartus eorum, qui existimabãt; esse certum peccatorũ numerum irremissibilem; ita vt, qui illum attingebat, veniam consequi non posset. Vltimus fuit Lutheranorum confitentium omnia nostra opera esse peccata, & volente Deo præter vnum infidelitatis peccatum, ad pœnam non imputari. Consule etiam Patrem de Castro vbi suprà.

Difficultas. Quidnam est peccatum in Spiritum Sanctũ, & cur irremissibile nominatur?

Magister Vega capite nono vbi supra, varias adducit opiniones, quarum prima docet peccatum post Baptismum commissum vocari peccatũ in Spiritum Sãctum. Secunda Apostasiam à fide. Tertia obstinationem, & obdurationem mentis. Et quarta peccatum commissum ex malitia. Quinta finalem impœnitentiam. Sexta verò asserit; tale peccatum esse tribuere virtuti dœmonum miracula virtute diuina facta.

CONCLVSIO.

Sexta opinio verè, quid peccatum in Spiritum Sanctum sit, deblarat. Probatur ex B. August. super Math. c. 12. erat Iesus eiiciens demonium &c. vbi Christus dicit, qui blasphemauerit in Spiritum Sãctum &c. & clarius Marci 3. eadem historia narratur, in cuius fine dixit Christus Iesus, qui peccauerit in Spiritum Sanctum non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Quoniam dicebant, inquit Euangelista Spiritum immundum habet.

B. August. Matth. c. 12. Marci c. 3.

CONCLVSIO.

Vt peccatum in Spiritum Sanctum nunquam remittatur, requiritur; vt non ex ignorantia, sed ex malitia fiat. Probatur exemplo B. Paul. qui persequebatur Christianos, Christi miracula dœmoni tribuens, & cõsequutus est veniam. Propterea quod ex ignorantia, & non ex malitia blasphemauit &c.

1. Timoth. c. 1.

CONCLVSIO.

Non quæcunq; malitia, sed certa, & determinata, soliq; Deo cognita desideratur; vt tale peccatum nunquam remittatur. Ratio est, quia si audiremus aliquem blasphemantem Sanctorum miracula, compertumq; nobis esset, illud ex certa malitia, & inuidia Sanctorum facere: nihilominus tamen eidem pœnitentiam prædicaremus; etsi conuerteretur; spem de illius salute haberemus: quare soli Deo notum est, quando ita peccatur: vt nunquam dimittatur.

DVBIVM.

Quo

Quo igitur modo irremissibile nominatur? Variæ sunt opiniones. Vt citat magister Vega vbi supra. Prima dicit, nõ remittetur; non quod de facto non remittatur, sicut alia peccata: sed quia sic peccans nullam habet excusationem: vt qui ex ignorantia, vel ex fragilitate peccat. Secunda dicit; nõ dimitti non absolutè, sed comminatoriè, & sub conditione, nẽpe. si non pœnituerint. Tertia, quia difficilè remittetur. Vltima continetur sequenti conclusione.

CONCLVSIO.

Tale esse dicitur. Quia quamuis remissibile sit, numquam tamen de facto remittetur. Et ratio est, quoniam sic peccantis numquam pœnitentiam dignam agent. Propterea quod sunt adeò obstinati? vt nihil minus curent, quam bonis operibus moralib⁹ auxiliũ speciale ad dignè pœnitẽdũ impetrare.

Difficultas. An aliquod peccatum possit sine pœnitentia remitti? *Alex. Alen. q. 57. m. 1. art. 7. & 8.*

Sensus est, An possit sine dolore, & detestatione anteactæ vitæ remitti S. Thom. vbi supra, ar. 1. vsque adeo opinatur necessariam esse displicentiam peccati; vt affirmet, quemadmodum à Thomistis declaratur, Deum secundum suam omnipotentiam non posse remittere peccata sine eorum detestatione. Contraria opinio est Ric. scilicet, per Dei potentiã, peccatum esse absque pœnitentia remissibile, idem tenet Sco. art. 9. vbi docet: peccatum posse remitti absque actuali pœnitentia per aliquem actum pœnitentiæ æquiualentem: vt per dilectionem Dei, & martyriũ. *d. 15. q. 3. ar. 1.* *dist. 14. q. 1. d 75. q. 1. ar. 9.*

CONCLVSIO.

Adultus, qui ratione vtitur, non potest de lege consequi remissionem peccatorum, quorum recordatur, nisi actuale odium, & peccatorum detestationem habeat, id est, quin efficaciter nolit peccasse. Patet Lucæ 13. nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. *Luca. 13.* Tum etiam quia ad remissionem peccati duo motus liberi arbitrij requiruntur. Primus in Deũ illum amando. Secundus in peccatum illud detestando; vt definitum est in Conc. Trid. Sess. 6. cap. 6. & 14. cap. 4. & Sess. 14. notanter dicitur, quorum recordatur. Nam de oblito infra dicetur. Vide Vegam lib. 13. cap. 17. & 18.

CONCLVSIO.

Absoluta Dei potentia poterunt alicui remitti peccata sine pœnitentia per solam nouæ vitæ inchoationem. *Hic est Ricardi.* Patet. 1. quia non implicat contradictionem; Deum dispensare cum aliquo peccatore; vt non teneatur ad pœnitentiam, sed tantum ad nouæ vitæ inchoationem, & ad dilectionẽ Dei super omnia.

Nam

Nam cum ſint duo actus diſtincti, dilectio Dei, & deteſtatio peccati, quibus homo iuſtificatur, poterit Deus obligare hominem ad primum, & non ad ſecundum. Et cõfirmatur; quia quamuis impoſſibile ſit aliquem ſimul diligere Deum & cõplacere in peccato; non tamen eſt impoſſibile ex diuina diſpenſatione aliquem diligere Deum, & actualem complacentiam, vel diſplicentiam peccatorum non habere. Secundo ſi de lege, per ſolam dilectionem ſuper omnia ipſius Dei, quando homo non recordatur peccatorum, conſequitur illorum remiſſionem; vt tenet Soto d.15.q.1.art. 2. quare non poterit Deus per ſuam omnipotentiam efficere, vt etiamſi homo recordetur, ad eorum deteſtationem nõn teneatur; ſed ad ſolã dilectionem Dei ſuper omnia.

Vltimo probat Ricardus ſuam concluſionem hac ratione, Quia cum poſſit Deus remittere peccata mediante pœnitentia, poterit ſine illa. Quia quicquid poteſt Deus facere cum cauſa ſecunda, poteſt ſe ſolo præſtare.

Hæreſis. Errauit Lutherus negans contritionem, & affirmans ſufficere ſolam nouæ vitæ inchoationem. Lege Vegam cap. 17. citato.

Difficultas. Homo tranſacto peccati actu à qua re peccator denominatur?

Tres ſunt opiniones, quas refert Scotus diſtinct.14. quæſt. 1.

Prima eſt S.Thom.1.2.q 86.& q.103. art.2. & in 3.p. q. 86. ar.2. qui dicit denominari à priuatione gratiæ, quam patitur propter peccatum.

Secunda opinio affirmat denominari ab iniuſtitia, actuali, quam peccando commiſit.

Tertia eſt Sco. aſſerentis, talẽ denominationem eſſe ab obligatione ad pœnam æternam, quã propter peccata cõtraxit.

CONCLVSIO.

Peccator non denominatur ab actu tranſacto, ſed à culpa olim cõmiſſa, quæ eſt defectus in anima per peccatũ relictus. Ratio eſt, quia anima actum iam tranſactum modò non habet, & nemo ab eo quod non habet, denominatur, quid? quod ſequeretur tunc, habentem gratiam nihilominus peccatorem denominari; cum impoſſibile ſit actum illum non cõmiſiſſe.

CONCLVSIO.

Neque dicitur peccator ab obligatione ſola ad pœnam ſenſus. Patet, quia exiſtentes in inferno continuo peccant. Dicunturque peccatores, & per illa peccata ad nullam pœnã obligantur.

CON-

CONCLVSIO.

Dicitur tamen peccator à priuatione gratiæ propter peccatum commissum. Ratio est, quia peccator dicitur Dei inimicus, & non est inimicus, nisi quia est gratia, & dilectione Dei priuatus.

CONCLVSIO.

Dicitur etiam peccator ab obligatione ad vtramque pœnã damni, scilicet, & sensus. Probatur.

Prima pars, nam pœna damni idem est, quod priuatio gratiæ propter peccatum. Quare dicetur peccator ab obligatione ad pœnam damni, quæ quidem pœna cum nõ remittatur, nisi per infusionem gratiæ, neque priuatio gratiæ remittetur Nam si cæcitas tollitur per visum, etiam priuatio visus.

Secunda pars probatur, pœna sensus dicitur peccatum, cum sit pœna peccati; ergo ab illa homo denominabitur peccator &c. Ita intelligendus est Scot. de pœna damni, & sensus.

Difficultas. Quando Deus condonat alicui peccatum, quid remittitur?

CONCLVSIO.

Deus tunc actum peccati commissi non destruit. Ratio est quia ad præteritum non est potentia.

CONCLVSIO.

Deum remittere peccatum, de lege est remittere vtramq. pœnam damni, scilicet, per restitutionem gratiæ, & sensus, per remissionem obligationis ad æternam sensus pœnam.

Difficultas. An per solum actum dilectionis Dei super omnia absque actuali displicentia, aliquando peccata remittantur?

Vide DD. vbi supra, duæ sunt opiniones. Prima S. Tho. q. 86. art. 2. & 87. ar. 1. quam tenaciter defendit in 4. d. 15. q. 2. scilicet, dilectionem Dei super omnia esse sufficiẽtem ad iustificandum aliquem dummodo prius diligenti inquisitione peccatorum facta, nullius peccati recordetur. Tunc enim, si peccator eliciat actum dilectionis Dei super omnia, eius virtute peccatorum, quorum non recordatur, remissionem consequitur.

Secunda opinio est Sco. d. 14. q. 1. art. vlt. scilicet, peccata remitti per dilectionem Dei super omnia; aut per martyriũ, nec differt ab opinione S. Tho. nam dicit, vbi fortè esset cogitatio de aliquo mortali commisso, vbi indicat non remitti peccatum, cuius homo recordatur. Idem docet d. 15. qõ. 1. art. 3. multi Sco. adhæserunt, quos citat Soto vbi supra B. Tho. hanc opinionem elegantissimè tractat. Vega lib. 6. super

Conc.

Alexan. Alē. q.57.m. 8. D. Bona.art. penult.quæst.2.

Conc.Trid.cap.34.& 35. & nota conuenire has duas opiniones. Quia ambæ dicunt peccatum mortale; cuius aliquis non recordatur, posse remitti virtute dilectionis Dei &c. sine actuali pœnitentia. Differunt autem quia de sententia B.Tho. oportet prius fieri diligentem peccatorum inquisitionem, de sentētia vero Sco. nō videtur necessaria huiusmodi inquisitio.

CONCLVSIO.

Quando aliquis recordatur peccatorum, quorum non habuit pœnitentiam, non potest per solam dilectionem Dei super omnia illorum veniam consequi, quin actualem habeat pœnitentiam. Ratio est, quia qui ignorat aliquod peccatum, excusatur ab eius actuali displicentia propter ignorantiam; ergo qui recordatur, non excusabitur, quin pœniteat. Qui enim habet dilectionem Dei super omnia, & alicuius peccati recordatur, impossibile est, quin illius pœniteat.

CONCLVSIO.

Quando aliquis non recordatur alicuius peccati non dimissi, illius remissionem consequatur sine actuali pœnitentia si tunc perfectam dilectionem Dei habuerit. Patet; nam apud Lucam dictum est peccatrici, remittuntur &c. Et potest quis habere actum perfectum dilectionis & absq. actuali pœnitentia. Quare poterit tunc diligi à Deo & per consequens peccatorū remissionem consequi. hæc conclusio est D.Tho. & intelligitur, dummodo sit facta prius diligens peccatorum inquisitio.

CONCL. I.

Tempore, quo aliquis tenetur ex præcepto contritionem habere, peccataq. confiteri, vt virtute dilectionis &c. iustificetur necessariò est diligens, & sufficiens peccatorum inquisitio præmittenda. Patet quoniam ratione confessionis ad quam tunc tenetur, debet præuia recogitatione peccatorum suam examinare conscientiam alioquin mortaliter peccabit, & in hoc sensu est S.Thom. opinio intelligenda.

CONCLVSIO.

Tempore, quo non tenetur ad confessionem sub præcepto, non est necessaria peccatorum inquisitio, & recogitatio, vt virtute dilectionis Dei super omnia peccata remittantur. Ratio est, quia recogitatio, & inquisitio peccatorum solum obligat, quando sunt deferenda ad iudicium: vt fiat illorum integra confessio, etiam si teneatur cōtritionem habere. Quoniam tunc sufficit generalis contritio.

DVBIVM.

Ille cui remissa sunt peccata per dilectionem &c. si illorum deinceps recordetur, tenebiturne pœnitere?

CON-

CONCLVSIO.

Tenebitur planè, & confirmatur à simili de Baptismo, & confessione, nã iustificatus ante Baptismum, vel confessionem tenebitur baptizari vel cõfiteri, vt præceptũ Baptismi adimpleat. Ergo à simili iustificat⁹ &c. Vide Vegã vbi supra cap. 75.

Difficultas. An per martyrium sine actuali peccatorum pœnitentia, martyr illorum remissionem consequatur?

Vide DD. vbi supra & præsertim Vegã super Conc. Trid. lib. 6. cap. 36. & 37.

CONCLVSIO.

Qui habet alicuius peccati complacentiam, etiam si martyrium patiatur, nullam consequetur gratiam. Ratio est, quia non diligit Deum super omnia plus enim diligit se, quã Deũ.

Hinc sequitur; concubinarium, vsurarium, meretrices, & alios id genus homines, cum sint in malo statu, si habeant suorum peccatorum complacentiam, quamuis in contumeliã Christi occidantur, non consequi gratiam, neque veniam, antequam eos suorum scelerum pœniteat. Similiter & hæreticũ, qui habet complacentiam &c. Et confirmatur ex D. Paul. si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodest. APPEN. *1. Cor. 13.*

CONCLVSIO.

Qui tempore martyrij illius peccati non recordatur sine actuali pœnitentia. Primam gratiam consequetur. Confirmatur ex can. adhuc, de pœnitentia d. 3. & in cap. cum Marthæ de celebratione Missarum. Et quia est actus dilectionis Dei &c. Ioan. 15. & per dilectionem, vt modo diximus, remittũtur peccata. *Ioan. 15.*

CONCLVSIO.

Si tempore martyrij aliquis est alicuius peccati conscius, cuius non pœniteat actu, non præ negligentia: sed propter amorem martyrij, & quia existimat pœnitentiam tunc non esse necessariam, is per solum martyrium saluabitur. Ratio est, quia duo sunt remedia instituta à Christo ad remissionẽ peccatorum, scilicet, pœnitentia & martyrium, vt constat Lucæ. 12. & Marc. 8. Qui me confessus fuerit coram hominibus &c. Ergo, qui eligit martyrium, & propter eius amorem existimat pœnitentiam non esse necessariam, saluabitur. Cõtraria opinio est communis, & securior quam sequũtur Sco. vbi supra, & Soto d. 15. q. 1. ar. 2 vbi dicit, si martyr habet tẽpus detestandi peccatum, tenetur ad hoc, nisi vel afflictione mortis, vel amore martyrij impediatur. *Magistri Vega est cap. 36. citato.* *Luca. 12.* *Marc. 8.*

DVBIVM.

An

An qui dormiens & in mortali existens, in contumeliam Christi occiditur, per martyrium iustificetur?

CONCLVSIO.

Si ille vigilans habuit animum patiendi martyrium, eoque animo ad dormiendum se contulit, iustificabitur; sin minus, non. Ratio vtriusque partis conclusionis ponitur in Capitulo Maiores extra du Baptismo. Quia cum peccatum mortale actu propriæ voluntatis committatur absq. propriæ volūtatis actu non delebitur.

Difficultas. An sola oratio sit satis aliquando ad peccatorum remissionem sine actuali illorum displicentia?

Vega.lib.6.super Conc.Trid cap.32.& Adria. quolibet 8.

CONCLVSIO.

Qui paulo ante mortem habet locum detestandi peccata, si illa non detestetur, virtute orationis gratiam minime cōsequetur. Ratio est, quia habet præceptum pœnitendi Lucæ 13. à quo non excusatur, si pœnitendi locus suppetat, & hoc modo intelligendæ sunt omnes authoritates, quæ per solam orationem peccata dimitti negant.

Luca.13.

CONCLVSIO.

Quando aliquis recordatur peccatorum, & illorum pœnitet sine oratione veniam consequitur. Patet, Ezechiæ. 18. in quacumq. hora ingemuerit peccator &c. Et Psal. dixi confitebor aduersum me &c.

Ezechi.28.

CONCLVSIO.

Quando mors instat, & præ nimia mortis angustia nō recordatur aliquis peccatorū, neque pœnitentiæ, si ex toto corde misericordiam petat, sine actuali pœnitentia per solam orationem iustificabitur. Et probatur, Matthæi 7. petite, & dabitur vobis &c. vbi B. Chrysostomus, ait, omnis qui petit accipit, siue iustificatus sit, siue peccator, quod intelligitur quando ita orans habet actualem dolorem & non recordatur quoniam si recordaretur; pœniteret quidem, excusatur tamē propter mortis angustiam. Et Matth. 8 habetur; Serue nequā nonne omne debitum dimisi tibi quia rogasti me, ex his locis ita probo conclusionem, Deus pollicetur se daturum pœnitenti quicquid petitum fuerit ad salutem expediens, sed nihil magis expediens, quam peccatorum remissio, ergo, &c.

Adr. est & Vege.

Matth.7.

Matth.8.

Difficultas. An peccata per ignorantiam commissa remittantur per dilectionem Dei super omnia, aut virtute generalis pœnitentiæ?

Vt si quis commisit vsuram per ignorantiam culpabilem existimans non esse peccatum. Lege Vegam super Conc. Trid.

Cap. 33.

Trid. lib. 6. qui tenet affirmantem partem, & Medinam de pœnitentia q. 2. de confeſſione dimidiata iteranda, notabili, ſimiliter dubitari ſolet.

CONCLVSIO.

Quando peccator virtute pœnitentiæ ſolum deteſtatur peccata, quæ ſciens commiſit, non autem actu ſimul quæ per ignorantiam, in hoc euentu non iuſtificatur virtute pœnitentiæ generalis, neq; etiam habet aliquam virtualem pœnitentiam. Ratio eſt, quia per generalem peccatorum dolorem non deteſtatur peccator peccata per ignorantiam commiſſa. Quoniam ſi illorum recordaretur non pœniteret neq; de illis doleret. peccatum autem nunquam remittitur niſi per motum liberi arbitrij, peccato contrarium, id eſt, per peccati deteſtationem.

CONCLVSIO.

Quando peccator tempore pœnitentiæ non ſolum ſcienter commiſſa deteſtatur, verumetiã ſubdit, & pœnitet me, ſi quid per ignorantiam commiſi, tunc peccati ignorati veniam conſequitur. Dummodo non habeat propoſitum committendi iterum peccatum ignoratum. Ratio eſt, quia tunc habet actualem diſplicẽtialem peccatorum per ignorantiam commiſſorum. Quemadmodum pœnituit Dauid, quando dixit ab occultis meis munda me Domine &c.

Diffic. An poſſit Deus remittere vnum peccatum ſine alio? *DD. vbi ſupra*

CONCLVSIO.

De lege non poteſt Deus vnum peccatum ſine alio remittere. Ratio eſt, quia Dei perfecta ſunt opera. Et quẽ ſanat perfectè ſanat. Tum etiã quia de lege nunquã remittitur peccatũ ſine infuſione gratiæ, quæ non poteſt coexiſtere peccato. *Communis eſt Deut. 32.*

CONCLVSIO.

De potẽtia Dei abſoluta Deus poteſt remittere quoad culpam vnum peccatum ſine alio. Probatur quia poteſt Deus de potentia abſoluta remittere peccatum abſq; infuſione gratiæ. Atque ita vnum peccatum ſine alio. *Ex Scoto colligitur.*

DVBIVM.

Quid tunc remittit? Reſpondeo: pœnam ſenſus, illi peccato reſpondentem, & pœnam damni, quia exul erit à patria, non propter illud peccatum, ſed propter alia. Et nota, quod tunc non reconciliatur Deo, quia non confertur illi gratia vt infra patebit. Contraria opinio eſt So. d. 15. q. 1. art. 3. & aliorũ quos ipſe ſequitur. *DD. vbi ſup. Caſtro, Verbo pœna, hære. 2. Vega. lib. 13. à cap. 35. vſq ad finem libri.*

Difficultas. An dimiſſo peccato quoad pœnam æternam, remaneat pœna temporalis luenda?

Nota primum cum S. Tho. art. 40. dicente, duplicem pœnã reſpondere peccato, æternam, ſcilicet, propter auerſionem à Deo, & temporalem propter conuerſionem ad creaturam. 2. Nota, pœnam æternam in temporalem commutari.

CONCLVSIO.

Pœna æterna virtute pœnitentiæ remittitur. Ratio eſt quia virtute pœnitentiæ recipit homo gratiam, quæ eſt acceptatio ad gloriam.

CONCLVSIO.

In remiſſione peccatorum pœna æterna virtute pœnitentiæ in temporalem commutatur. Definita eſt in Conc. Trid. Seſſ. 6. can. 14. & Seſſ. 14. can. 8. & 12.

CONCLVSIO.

Communis eſt opinio.

Tanta poteſt eſſe contritio: vt virtute illius omnis pœna tam æterna, quàm temporalis remittatur. Patet exemplo Beatæ Magdalenæ, & latronis, & confirmatur ex can. 8. & can. 12. proximè citatis, vbi anathematizantur dicentes; per pœnitentiam ſemper omnem pœnam deleri. Vnde colligitur, aliquando ergo delebitur tota pœna.

Alex. Alen. q. 65. S. Th. q. 87. D. Bon. d. 16. q. vlt. & diſt. 21. Ric. d. 16. Vega libro 14. ſupra Conc. Trid. ca. 2 et Caſt. verbo peccatum. hæreſi 10. & 12.

Art. V. An peccata Venialia etiam virtute pœnitentia remittantur?

Abſoluetur Articulus aliquot difficultatibus poſitis.

Prima diffic. An peccata Venialia ſint dictũ vel factũ? &c.

Hæc difficultas prima eſt explicanda, vt totus Articulus facilius intelligatur. Duæ autem ſunt opiniones: Prima B. Tho. 1. 2. q. 88. art. 1. ad primum & q. 89. dicentis; non eſſe contra legem ſed præter legem. Contraria opinio eſt Durandi in 2. diſt. 41. q. 6. ad primum. Aſſerentis: eſſe contra aliquam legem.

Alexã. Alen. m. 2. p. q. 122. Scot. d. 21.

CONCLVSIO.

Omne peccatum veniale eſt alicuius legis tranſgreſſio. Patet: quia omne veniale eſt contra rectam rationem; & agere contra rectam rationem, eſt agere contra legem naturalem, præcipientem non eſſe à regula rectæ rationis deuiandum.

DVBIVM.

Veniale ex imperfectione actus eſtne contra præceptum Diuinum?

CONCLVSIO.

Eſt quidem non tamen contra illius finem, ſcilicet, charitatem. Ratio eſt; quia peccatum veniale eſt contra actum alicuius virtutis moralis, vel Theologicæ, de quibus ſingulis data ſunt præcepta. Non eſt tamen contra finem præcepti; quia

quia non destruit charitatem, & in hoc sensu vera est Durandi opinio.

Hinc colligitur, Veniale peccatum non esse contra finem legis, sed præter finem. Quia Veniale non destruit dilectionem Dei, quæ est totius legis finis. Ad Rom. 31. solum enim impedit charitatis Augmentum, cum sit actus, qui non refertur in Deum; atque ita dicitur, esse præter finem legis; & in hoc sensu vera est S. Tho. opinio dicentis, veniale peccatum non esse contra legem simpliciter. Nam esset simpliciter cõtra legem, si esset actus legi & fini legis scilicet, charitati cõtrarius, & incomposibilis cum illa. APPEN. *Ad. Rom. 31.*

Hinc peccati Venialis definitio ita colligitur, vt dicatur esse actus contra aliquam legem: composibilis tamen cum fine legis, scilicet, charitate. APPEN.

Contra hanc veritatem de peccato veniali fuerũt multæ hęreses: præsertim vna cuiusdam. Caluini, qua negauit esse peccatum veniale. In quas doctißimè Castro, & Vega vbi supra inuehuntur *Hæreses.*

Difficultas. An pœnitentia sit necessaria ad remißionem Venialium?

Quatuor sunt opiniones. Prima dicit remißionem venialium nihil aliud esse, quam remißionem pœnæ temporalis propter venialia infligendæ. *Alexã. Alen. q 69. m. 9. art. 5.*

Secunda opinio dicit; peccatum veniale non remitti per solutionem pœnę tantùm, sed requiri etiam culpæ remißionem, quæ per quemcunque actum meritorium remittitur, quamuis homo non operetur hac intentione: vt culpa sibi remittatur, & quamuis actus ille non sit actualis, siue virtualis pœnitẽtia. hæ duæ referuntur à Sco. in 4. dist. 21. quæst. 1. *D. Bona. d. 17. q. 1. art. vlt. et d. 21. art. 1.*

Tertia opinio est Dur. d. 16. q. 2. opinantis, non remitti veniale nisi per contritionem, vel aliquam actualem displicentiam asseritque non sufficere actum dilectionis Dei super omnia: vt venialia remittantur.

Quarta est S. Thom. q. 82. art. 1. qui defendit sufficere virtualem pœnitentiam ad venialium remißionem.

CONCLVSIO.

Peccatum veniale non remittitur per solam pœnæ, quæ illis respondet, remißionem, quia post peccatum veniale non solũ manet obligatio ad pœnam, verumetiam macula, & culpa, quæ per solam pœnæ solutionem non tollitur, culpa enim non remittitur, nisi per suum contrarium, scilicet, per displicentiã quæ est contraria complacentiæ in peccatis.

CONCLVSIO.

Ad remiſsionem venialium neceſſaria eſt actualis, aut virtualis pœnitentia. Ratio eſt, quia veniale peccatum eſt auerſio ſecundum quid à Deo: auerſio autem cum ſit priuatio conuerſionis, ſolum tollitur per conuerſionem nullus autem cõuertitur in Deum. niſi per actualem pœnitentiam vel habitualem, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia.

CONCLVSIO.

Non omnia venialia remittuntur per quẽcunque actum dilectionis Dei, niſi ſit actus perfectiſsimus, bene tamen aliqua, exempli cauſa. per iſtum actum; propono obedire Prælato in omnibus propter Deum inobedientia venialis commiſsi, non autem mendacium iocoſum remittitur, patet: quia ex iſto actu dilectionis ſequitur diſplicentia inobedientiæ, ſi tunc homo recordaretur, non autem diſplicentia mendacij iocoſi, tum etiam quia talis actus dilectionis eſt compoſsibilis, cum propoſito mentiendi, & ita non erit mendacij virtualis pœnitentia.

S.Tho. vbi ſupra art.1.

Diffic. An requiratur propoſitum cauendi deinceps venialia?

CONCLVSIO.

Tenetur habere propoſitum vitandi ſingula venialia, id eſt, in particulari. ſ. hoc veniale, verbum otioſum, & hoc. ſ. immoderatum riſum, non tamen omnia venialia collectiuè, quẽadmodum tenetur habere propoſitum cauendi omnia mortalia collectiuè. Ratio eſt, quia homo in gratia conſtitutus, habet facultatem vitandi omnia mortalia, non tamen venialia omnia vt ſunt illa, quæ ex imperfectione actus oriuntur.

Difficultas. An propoſitum cauendi venialia, quorum pœnitet, debeat eſſe formale, vel virtuale?

CONCLVSIO.

Quorum virtualiter pœnitet, tenetur habere virtuale propoſitum cauendi illa; alioqui enim non ſufficienter pœniteret. Ratio eſt, quia nullus dignè pœnitet, ſi habeat reincidendi propoſitum.

Caie. in ſumma verb. Contemptus.

Difficultas. An qui habet propoſitum committendi veniale ex contemptu, mortaliter peccet?

Reſpondeo vno verbo, aut eſt cõtemptus ſimpliciter: vt quãdo aliquis nullo fine peccat. niſi vt ſuperioris præceptũ transgrediatur, aut eſt ſecundum quid.

CONCLVSIO.

Si quis habeat propoſitum committendi omnia venialia ex contemptu nocumenti, quod ex veniali ſequitur, is ſolum peccabit venialiter, quamuis, conſtituat ſe in periculo peccandi

mor-

mortaliter, incerto tamen. Ratio ſt, quia talis contemptus eſt ſecundum quid, ratione parui nocumenti.

CONCLVSIO.

Si autem habeat propoſitum committendi omnia peccata venialia, vel unum tantùm ex contemptu ſimpliciter, mortaliter peccabit. Et grauiſsimè. Ratio eſt, quia vult peccare vt nõ obediat ſuo Prælato, quod quidem naſcitur ex odio legis latoris, verum de his in floſculis 2. lib.

Diffic. An virtute attritionis venialia remittantur, attritus in gratia exiſtente?

CONCLVSIO.

Vt per talem attritionis actum venialia remittantur, debet eſſe ſpecialis attritio venialium. Ratio eſt, quia cum attritione generali mortalium eſt compoſsibilis complacentia venialium. Vnde talis attritio non eſt virtualis pœnitentia venialium. Non enim ſequitur, pœnitet me peccaſſe mortaliter propter pœnas inferni: ergo nollem dixiſſe verbũ ocioſum quãobrem attritio remittens venialia debet eſſe ſpecialiter illorum, eſtque actus dilectionis, quia à gratia & charitate imperatur, vt ſi quis in gratia exiſtẽs diceret; nollem venialiter peccaſſe, quia mihi gloria dilatabitur, & diutius in purgatorio immorabor Soto tenet ſufficere generalem attritionem d. 15. q. 2. art. 1.

Difficultas. An quoties prima gratia per contritionem, vel ſacramentum infunditur, venialia remittantur? *S. Thõ. vbi ſupra.*

CONCLVSIO.

Si tunc alicuius peccati complacentiam habet, tale veniale non remittetur: quia ad remiſsionem venialium requiritur pœnitentia, ſiue diſplicentia, quam ipſe non habet.

CONCLVSIO.

Si nullius peccati venialis, complacentiam habet, omnia venialia remittuntur. quemadmodum, & mortalia. Patet: nam ſi remittuntur, mortalia, quod maius eſt, & venialia quoq; condonabuntur.

Difficultas. An per receptionem cuiuſcunque ſacramenti omnia venialia remittantur?

CONCLVSIO.

Remittuntur, ſi nullius complacentia habeatur, & ſuſcepturus ſacramentũ dignè accedat. Ratio eſt, quia talis ſuſceptio eſt actus meritorius & per cõſequens dilectionis Dei, &c. quid? quod, ſi per ſacramentale vt infra dicetur, remittuntur, & per ſacramenta remittentur.

Difficultas. An etiam per quemcunque actum meritorium?

CONCLVSIO.

Scoti est. Etiam remittuntur. Ratio est, quia quicunque actus meritorius est actus dilectionis super omnia, nã est virtualis pœnitentia Venialium. Limitanda est conclusio iuxta 3. concl.2. diffic. huius art.

Difficultas. An etiam virtute martyrij, quod aliquis inter dormiendum patitur, illi Venialia remittantur?

CONCLVSIO.

S.Thõ. est vbi supra, ad 1. Quando aliquis se confert dormitum absq; Venialium complacentia, etiamsi nihil de martyrio cogitet; si in odium Christi occidatur, remittentur illi venialia.

Difficultas. An in purgatorio remittantur Venialia?

CONCLVSIO.

Alex. Alẽ. 2. p. q. 124. m. 9. & 10. D. Bona. d. 21, toto art. 1. Remittuntur quidem, communis est DD. sententia d. 21. & probatur Matth. 20. dixit Christus, peccatum in Spiritum Sanctum, neque in hoc sæculo, neq; in futuro remittitur. Hinc à contrario sensu colligo: ergo aliqua peccata remittuntur in alio sæculo, scilicet, in Purgatorio. Nam in inferno nulla est redemptio.

DVBIVM.

Quo igitur modo remittuntur in Purgatorio? Varij sunt modi dicendi, Scotus dicit in instanti mortis, id est, in primo non esse hominis, quia iam est extra viam remitti Venialia, in quibus perseuerauerit vsque ad mortem propter merita, quæ homo habuit in via: quia merita, quæ sunt causæ remissionis Venialium perseuerantia in Venialibus non impediuntur. 2. Dur. dicit, remitti quoad culpam in Purgatorio propter displicentiam, quam habent illic animæ Venialium, cum sint in charitate: quia culpa tollitur per suum contrarium. 3. Soto d. 15. q. 2. art. 2. asserit: remitti quoad culpam in Purgatorio propter actum charitatis, & continuam patientiam quam dum cruciatur, habent. Et ratio est, quia iste actus est virtualis pœnitentia, remittuntur tandem in purgatorio per orationes Ecclesiæ, vt constat.

Difficultas. An Venialia peccata per sacramentalia remittantur?

Sacramentalia, sunt operationes ab Ecclesia institutæ ad dignam sacramentorum receptionem.

CONCLVSIO.

Oratio dominica virtute illorum verborum; Dimitte nobis &c.

&c. remittit, Venialia. Ratio est, quia his verbis habetur virtualis pœnitentia, & constat can. de quotidianis. De pœnitentia dist. 3.

CONCLVSIO.

Aqua benedicta perfusa remittuntur venialia. Constat Can. aquam de consecr. d. 3. vbi expressè habetur.

CONCLVSIO.

Receptione Eucharistiæ, vel alterius sacramenti etiam remittuntur venialia supra hoc artic. patet.

CONCLVSIO.

Confessio generalis remittit venialia, quia est actualis pœnitentia venialium.

CONCLVSIO.

Per Eleemosynam venialia peccata remittuntur. Et constat Can. medicina. De consecr. d. 1. & quia est actus dilectionis Dei.

CONCLVSIO.

Benedictio Episcopalis remittit quoque veniale, hæc ex cōsuetudine Ecclesiæ habetur. Hæ conclusiones sunt ex communi Doctorum sentētia & continentur hoc carmine Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Difficultas. An remittantur etiam simul quoad pœnam? *S. Thō. est vbi supra art. 3.*

Prædictis actibus culpæ remittuntur, nō tamen omnis pœna. Ratio est. quia sequeretur habētem sola venialia si tempore mortis aqua benedicta aspergeretur, statim ad cœlum euolare quod est difficile creditu. s. tantam Purgatorij pœnam remitti per solam aquæ benedictæ aspersionem. Remittitur tamen pœna iuxta quantitatem feruoris, & charitatis in Deum, quæ per hos actus excitatur.

Difficultas. An prædictis operationibus peccata Venialia ex opere operato, Vel operantis remittantur?

De aqua benedicta, & Episcopali benedictione est opinio S. Tho. vbi supra ad primum. Et Ric. d. 16. q. 1. art. 1. remitti venialia ex opere operantis. Contraria opinio est Sco. d. 15. q. 2. art. 3. quod remittantur ex opere operato.

CONCLVSIO.

Aqua benedicta, & Episcopalis benedictio ex institutione Ecclesiæ remittit venialia ex opere operato. Ratio est, quia si ex opere operantis solùm, ita remitteret aqua non benedicta errore suscepta; atque benedicta, & ita prodesset benedictio simplicis Sacerdotis errore suscepta, ac Episcopalis benedictio. Vtrobique enim operatur intentio operantis, quod quidem est falsum.

CONCLVSIO.

Vt virtute horum sacramentalium venialia remittantur; desideratur actualis attētio, saltem in principio actus. Patet, quia sicut ad mortalium remissionem per sacramentum, requiritur aliquis actus; vt contritio, vel attritio, ita etiam: vt venialia per hæc sacramentalia, remittantur. Sunt enim actualia peccata commissa per propriam voluntatem, quemadmodum, & mortalia.

Alex. Alen. q. 69. m. 9. art. 5. D. Bona. d. 15. quæst. 11.

Difficultas. An venialia absque mortalibus remitti possint?

Sensus est, an existens in mortali, possit pœnitere venialiū, & illorum remissionem consequi, non dimissis mortalibus.

Duæ sunt opiniones. Vna Duran. d. 16. q. 3. Qui dicit existentem in mortali, siue in via, siue extra viam, posse pro venialibus satisfacere. Contraria opinio est communis S. Thom. vbi supra art. vlt. & Ric. d. 26. art. vlt. Prima opinio falsò tribuitur Sco. d. 22. q. 1. quod. dixerit in inferno posse venialia remitti. Sco. enim opinio agit in Alexandrum, Diuum Thomam, & Ricardum, postea verò in versiculo, sicut iste modus non placet &c. affirmat remissionem venialium fieri per remissionem culpæ, & pœnæ, per aliquem actum contrarium magis Deo gratum, quam fuerit culpa commissa. vel per actū meritorium gratiæ, & cum in inferno nullus sit locus actibus meritorijs, sequitur profectò Scotum, non primam, sed secundam opinionem amplexum fuisse.

CONCLVSIO.

Vnum veniale potest sine alio remitti. Quia cum maneat in amicitia Dei, qui solū habet venialia, poterit pro vno veniali, & non pro alio satisfacere; vt pro mendacio iocoso, & non pro officioso, poteritq; Deus remittere vnum, non remittendo aliud.

CONCLVSIO.

Mortale peccatum potest de lege sine venialium remissione dimitti Ratio est, quia veniale est compossibile cum gratia, & eius infusione, sine qua non fit de lege mortalis peccati remissio.

CONCLVSIO.

Quando mortale, & veniale simul insunt; impossibile est de lege venialia remitti absque remissione mortalium. Ratio est, quia illorum remissio, est actus amicitiæ, & qui est in mortali, est Dei inimicus, & non potest talem actum habere, tum etiam neque per sacramentalia, quæ operantur virtute passionis Christi, cuius effectus existentibus in mortalibus, quia sunt indispositi, non applicantur.

CON-

CONCLVSIO.

Impossibile est quoad culpam, vel pœnam existēti in inferno veniale remitti. Patet: quia ibi existens non potest habere actum dilectionis Dei, neq; recipere sacramentalia, quibus venialia remittūtur: quare si culpa est in perpetuum duratura, & pœna. Lege Vegam omnino à cap. 11. vsq; ad finem ferè lib. citati.

Art. V. An possit Deus de potentia absoluta remittere peccata, sine gratia infusione?

Duæ sunt opiniones S. Tho. 1.2.q.113.qui affirmat hoc esse impossibile. Contraria opinio est Sco.in.1 d.17.& 2.d.18. & in 4. d.1. q. 6. & d.14. q.1 & d.26.q.2. asserentis: neq; ex parte Dei, neque ex parte subiecti implicare contradictionē posse peccata absq; infusione gratiæ remitti. *Satis liberatur Alex. Alē.q. 58.m.1.art.2. D.Bona.d.17. q.1.art.1.*

CONCLVSIO.

Non implicat contradictionem Deum remittere alicui peccatum absq; infusione gratiæ. Probatur Conclusio varijs rationibus. *Scoti est.* Prima, potest Deus creare hominem in puris naturalibus, quare poterit illum ad eundem statum reducere; & absq; gratia reparare. Dices gratia, & peccatum: opponuntur priuatiuè ex natura rei post peccatum, quemadmodum, cæcitas & visus in catulo post nonum diem, licet quando est in puris naturalibus non opponantur priuatiuè, atq; ita ratio Scoti non habet vim. contra illa priuatiuè opponuntur, quorum alterum necessariò inest subiecto post tempus à natura determinatum, id est, quando subiectum habet aptitudinem ad talem formā: vt est catulus post nonum diem: homo autem quando est in puris naturalibus est magis aptus ad gratiam, quàm post peccatum, & tamen tunc gratia, & peccatum, per te non opponuntur priuatiuè ex natura rei: ergo neque post peccatum. Deinde similitudo catuli non viget, quia ante nonum diem cæcitas, & visus respectu illius non opponuntur priuatiuè, propterea quod catulus non est aptus ad formam: homo verò in puris naturalibus est aptus ad gratiam, magis quàm post peccatum: quare minus post peccatum opponuntur priuatiuè quàm antea. Secunda, Deus per suam omnipotētiam absolutā potest absq; aliqua culpa beatos beatitudine, & iustos gratia expoliare, eosq; ad pura naturalia perducere, quod DD. cōtrariæ factionis concedunt; quare multò magis homini priuato gratia propter peccatum poterit peccatum remittere illum in puris naturalibus conseruando. Tertia potest homo iniuriam remittere inimico, non reconciliando illum in pristinam amicitiam, cur non poterit, & Deus cum inter ami-

cum & inimicum detur medium,nempe,non amicum. Quarta constat ex his,quæ in peccato remittuntur,quæ possunt remitti absq; infusione gratiæ, nempe, offensa quæ remittitur per satisfactionem, scilicet per pœnitentiam, vel remissionem huius pœnitentiæ: vt fit inter homines, in quibus tamdiu manet offensa; quamdiu non fit satisfactio, haud non remittitur iniuria. 2. reatus per remissionem pœnæ æternæ. 3. de ordinario per rectitudinem naturalem, quæ nihil aliud est, quàm facilitas, & promptitudo ad bonum,quæ fuerat per peccatum deperdita. 4. macula non imputando priuationem gratiæ ad peccata præterita. Quia potest Deus remittere maculam instituendo, vt ille qui est in peccato maneat extra gloriã, non in pœnam peccati, sed ad declarandam,& manifestandã suam potentiam v. g. vt si aliquis exultet à regno propter delictum commissum, potest Rex auferre ei delictum, & quod maneat extra regnum non tamen propter delictum,sed propter alias causas, atque hoc est remitti maculam, non imputando priuationem gratiæ ad præterita peccata.

Iam nota aliqua ad soluẽda argumẽta contrariæ opinionis. 1. animaduerte; gratiam & peccatum non esse priuatiuè opposita ex natura rei. Ratio est,quia potest Deus ex sentẽtia omnium Theologorũ creare hominẽ in puris naturalibus absq; gratia,& peccato, vt fuit homo in statu innocentiæ ex senten. Sco. 2. neq; ex lege priuatiuè oppon. Ratio est quia peccatum non solum significat priuationẽ gratiæ, sed quod sit talis priuatio in pœnã culpæ. quæ quidẽ culpa est inimicitia, & aliquid contrariũ, & non sola priuatio. 3. posse remitti pœnã dãni sine acceptatione ad gloriã, per solam non imputationem priuationis gloriæ propter peccatum. Potest enim Deus instituere; vt aliquis sit priuat⁹ gloria, & non propter peccatũ, quẽadmodũ potest nunc expoliare beatos absq; vllo peccato beatitudine, quam possidẽt, & talis expoliatio non esset illis pœna 4. conuersionem & auersionem non opponi priuatiuè neq, ex lege, neq; ex natura rei sed vel contrariè, & tunc auersio idem est, quod inimicitia, & cõuersio idẽ quod amicitia vel cõtradictoriè, & tunc auersio est non amicitia, & cõuersio amicitia. Dices, Auersio videtur conuersionis priuatio. Respõdeo, non est priuatio: vt cæcitas respectu visus. Significat enim quoq; aliquid positiuum, scilicet, inimicitiam vt quæ est pura priuatio, solam negationẽ significat in subiecto aptè nato. Dices, quid plus significat inimicitia, quàm gratię priuatio significat? Respondeo, importet quidem gratiæ priuationẽ non absolutè sed in pœnã culpæ & ita contrariũ, & non tantum priuatio, vnde cõuersio & auersio sunt sicut amic⁹ & inimicus vel nõ amicus.

Diffi-

Difficultas. An ad remissionem venialium requiratur etiam gratiæ infusio?

Duæ sunt opiniones extremæ, Prima Palud.d.16.q.1.art.2. scilicet, veniale plerumq. remitti absque gratiæ augmento. Contraria opinio est. S. Tho.d.87.art.1.

Caieta. 12.q.° 103.

CONCLVSIO.

Ad remissionem venialium. Non requiritur primæ gratiæ infusio. Patet quia veniale non contrariatur gratiæ, cum sit illi compossibile: vnde ad sui remissionem non requirit ex natura rei gratiæ infusionem.

CONCLVSIO.

Quoties in via veniale remittitur, gratia præexistens augetur. Patet: quia venialis remissio fit per actum elicitum ab existenti in gratia. Qui est Deo magis acceptus, quam fuerat peccatum odiosum.

CONCLVSIO.

Gratiæ augmentum non est necessarium ad remissionem venialis. Ratio est, quia in purgatorio venialia remittuntur, vbi gratia non augetur; quia ibi non est locus actui meritorio per quem gratia augeatur.

Difficultas. An actus pœnitentiæ sit prior infusione gratiæ, intelligitur titulus de prioritate naturæ?

Alexan. Alen q.58. & 73. m.1. S.Thom.q 85.art. 6. & 12.q.103.ar6 & 8. D.Bona. d.17.q.1.art. 1.Ric. & Sco. d.14.q.2. art.2.

Duæ sunt opiniones, quæ etiam si videantur contrariæ, nō sunt tamen. Prima est S. Tho, tenentis: dispositiones imperfectas præcedere tempore gratiam, perfectam verò dispositionem esse simul tempore cum gratia, posteriorē tamē natura. Hæc fuit etiam Alex. & Reliquorum quos citauimus. Altera opinio est Scot. quæ est eadem ferè cum communi opinione, qui statuit tria instantia naturæ, supposito tamen, quod prius per aliquam temporis moram à Deo præfixam, homo continuauit dolorem peccatorum in vltimo autē instāti illius temporis est actus pœnitentiæ, & simul tempore charitas. Sed in isto instanti temporis sunt, inquit tria instantia naturæ, in primo enim instanti est actus pœnitentiæ, in secundo infunditur charitas, in tertio actus pœnitentiæ efficitur contritio, cuius virtute remittuntur peccata, dolor enim sine charitate nō est contritio, sed attritio duntaxat.

CONCLVSIO.

In genere causæ formalis prius natura est gratiæ infusio, quam sit perfectus actus pœnitētiæ, qui contritio nominatur. Ratio est, quia causa formalis est prior suo effectu, prior enim est albedo, quā sit subiectū albū quia dat illi tale esse, & gratia

causa

causa formalis est contritionis, & iustificationis nostræ: vt docet Conc. Trid. Sess. 6. cap. 6. & 7.

CONCLVSIO.

Quatenus contritio est causa dispositionis gratiæ, id est, in genere causæ materialis, posterior natura est actus contritionis gratiæ infusione. Ratio est, quia dispositio materiæ præsupponitur ad causam formalem, & contritio disponit subiectum, vt sit aptum ad receptionem gratiæ, quæ est formalis causa, atque ita conciliantur opiniones.

Difficultas. An gratiæ infusio sit remissione culpæ prior natura?

Tres sunt opiniones. Prima S. Tho. 1. 2. q. 13. ar. 8. §. vtrumque effectum simul tempore esse, prius tamen natura Deum infundere gratiam, quam remittat culpam. Secunda est Sco. d. 16. q. 2. & in 1. d. 17. q. 1. not. b. contra istam conclusionem qui ait, infusionem gratiæ secundum intentionẽ Dei esse priorem remissione culpæ: at verò ordine exequutionis, prius Deum remittere culpam, quam infundat gratiam. Tertia est media Ric. d. 17. art 4. q. 4. vbi ait, gratiam duplicem sortiri effectum, scilicet remissionem culpæ, & reconciliationem cum Deo: prius tamen efficere primum, quam secundum, & ita de sententia. Ric. remissio culpæ prior est reconciliatione peccatoris.

CONCLVSIO.

Scoti est. Infusio gratiæ, & culpæ remissio non sunt duæ mutationes reales, sed vnica tantum. Ratio est, quia mutationes reales multiplicantur ad multiplicationem realem terminorum, quãdo enim vterq. terminus à quo scilicet, & ad quem est realis, duæ interueniunt mutationes reales, vnde cum culpa non sit ens reale, mutatio culpæ ad non culpam, non erit mutatio realis: sed rationis tantum, erit autem realis mutatio, ex non gratia ad gratiam; vnde consequens fit, remissionem culpæ, & infusionem gratiæ esse vnam tantùm mutationem realem, & vnam actionem Diuinam, quamuis sit duplex effectus. Tot enim sunt actiones, quot sunt mutationes, & cum sit vna tantum mutatio, erit vnica actio.

CONCLVSIO.

Si gratiæ creatio, & culpæ remissio considerentur, quatenus gratia in anima subiicitur, prior est expulsio culpæ ab anima, atque remissio, quam sit gratiæ receptio. Prior enim est passi dispositio formæ introductione, siue receptione in eodem passo; nam actus actiuorum sunt &c. & cum anima ad gratiam per remissionem culpæ disponatur, erit prior

profectò

profectò remissio culpæ, quam sit in anima gratiæ receptio. Et hoc modo intelligenda est Scoti opinio, scilicet, ex parte subiecti, & in genere causæ dispositiuæ, siue materialis; atque ita sententiæ D. Tho. minimè repugnat.

Alexã. q°.56 D.Tho. q.181. D.Bon. d.17.q 1.art.2 reliqui dist.14. Vega à cap.23. vsq. ad 26. lib. 6. super Conc. Trid. & lib.13 cap.13. Castro Verb. timor & verbo. Contritio contra hæreses.

Art. VI. An pœnitentia à timore pœnarum inferni incipiat?

CONCLVSIO.

Ad iustificationem impij, vel peccatoris semper, speciale Dei optimi Maximi auxilium desideratur. Definita est in multis Conciliis Arausicano 2. cap. 7. & Mileuitano cap. 5. & Trid. Vide Castrum vbi supra.

CONCLVSIO.

Ad iustificationem impij, quinque actuales dispositiones solent concurrere prima est motus fidei. de qua ad Hæbr. sine fide impossibile est placere Deo. 2. timor gehennæ; de quo Ecclesiastici. 1. timor Domini expellit peccatum. 3. spes Dei, de qua Matth. 9. confide fili, remittuntur tibi peccata tua 4. motus charitatis, vt Deum diligere incipiat; de qua Ioan. 14. qui diligit me, diligetur à patre meo, vltimo dolor de peccatis, de quo Actorum. 2. pœnitentiam agite &c. hæc conclusio est expresè definita in Concil. Trid. Sess. 6. cap 6.

Ad Hebr. 11.

Ecclesiast. 1.

Matth. 9.

Ioan. 14.

Acto. 2.

Hãc Conclusionem intellige: vt communiter accidit. Tanta enim charitate potest infidelis inflammari: vt non timore gehennæ, sed filiali solum concutiatur. Patet exemplo B. Pauli, qui statim dixit; Domine quid me vis facere?

Paul. acto. 6.

CONCLVSIO.

In iustificatione Peccatoris frequenter hi motus positi non concurrunt, sed sola charitas cum pœnitentia. Hoc enim experimento in nobis ipsis comprobamus, qui absque motu formali fidei, aut spei, aut timoris gehennæ, mouemur charitate in Deum, atque ita peccata detestamur; neque requiritur vt motus charitatis, & pœnitentiæ sint duo motus, sed vnicus duntaxat, nempe, vt de peccatis propter Deum doleamus.

Hinc collige exordium pœnitẽtiæ speciali Dei auxilio semper fieri, in impio, quidẽ à fide, in peccatore à charitate: quod autem fiat à timore gehennæ, accidentale est.

APPEN.

Hinc confutatur primum hæresis Pelagij asserentis: gratiã, vel speciale auxilium non esse necessarium ad meritoriè operandum, sed tantum, vt facilius operemur, quod est hæreticum, Christus enim simpliciter dixit. Sine me nihil potestis facere; secundus error Lutheri dicentis absolutè timorem gehennæ esse malum.

Hæresis.

Hinc defendendus est Sco. ab hæresi Pelagiana, quam illi frequentissimè, sed falsò imponunt. Nam dicunt negasse auxilia

Scot. liberatur

xilia specialia, occasionem autem sumpserunt aduersarii: quia in hac d.14.q.2. ita scribit: peccator in peccato existens (& loquitur de Pœnitentiæ virtute) potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legē diuinam &c. Et subiungit & potest voluntas ipsius &c. vbi duo contra illum notantur. Primum, quod dixerit hominem ex puris naturalibus posse considerare peccatū &c. quia in hoc visus est cum Pelagio negare auxilium speciale. Secundum est, quia posuit dolorem de peccato esse attritionem, cum sit, inquiunt, contritio.

Soto.d.14.q.2 artic. 5.

Primum omnium Scot. negasse speciale auxilium, falsissimum est: nam multis in locis apertissimè fatetur, & docet, esse gratiam præuenientem, quam Theologi speciale auxiliū ad pœnitendum nominant, esse necessarium, in primo enim Sent.d.41. ita scribit quantumcunq. peccator dum est in via, potest non esse peccator, quia potest Deus illum sua gratia præuenire. Vbi affirmat gratiam præuenientem esse necessariam: vt homo à peccatis resurgat, præterea in 4. d.22. art. 2. prope finem ait, peccatoribus credentibus &c. citius Deus dat suam gratiam & resurgent. Vides gratiam præuenientem à Sco. positam? Paulo inferius ita inquit, istis citius inspirat Deus per pœnitentiam, quam inspirationem auxilium esse præueniens, dubitat nemo. Præterea quod lib. 17. art. 1. in fine clarissime confitetur necessarium esse speciale auxilium ad pœnitendum vbi ait, plures actus dilectionis &c. vsque ex se attingere, quis igitur non intelliget Scot. falsò fuisse accusatum. Nam locus, qui hic nigro calculo notatur, non fuit rectè ab aduersariis penetratus. Ad cuius veritatis intelligentiā animaduerte, aliud esse, intellectum considerare peccati malitiam, aliud verò voluntatem illud detestari. Nam primus actus potest fieri ex puris naturalibus; considerare namque peccatum: vt malum, non est proxima dispositio gratię. Gentiles siquidem Philosophi, & mali Christiani considerāt peccati malitiam, & tamen non conuertuntur; at verò secundus actus, id est, detestatio peccati non potest fieri sine speciali auxilio. Vnde falsus est Mag. Soto in prima correctione contra Sco. nam Sco. vt ex eius littera patet. de primo actu loquebatur. Deinde non rectè. Secundo Sco. corripit. Neq; enim omnes, qui detestantur peccata, quia sunt offensiua Dei, cōtritionem habent. Et ratio est, quia sequeretur, tunc aliquem suæ contritionis esse certum, & ex consequenti suæ gratiæ, quod est erroneum. Consequentia est manifesta. Nam si iste certò scit se detestari peccata propter Deum, certò, plane scit se ha-

ſe habere contritionem, & per conſequens ſe eſſe in gratia, quod eſt hæreticum. Vnde colligitur apertè poſſe aliquem deteſtari peccata in quantum ſunt offenſiua Dei, & talem actum eſſe inſufficientem ad gratiam comparandam. Vnde non erit contritio, ſed attritio, cum attritio ſit quicunq; dolor inſufficiens per ſe ad gratiam ſine ſacramento comparandam. Tũ accuſat Mag. Soto Scotũ, quod dixerit illã attritionẽ quæ iuſtificationẽ præcedit, eſſe meritoriã gratiæ de cõgruo, quod ſi vt ab Sco. fuit prolatum intelligatur; erit ſumma laude dignũ nunquã enim Sco. per meritũ de cõgruo opus cui de iuſtitia præmiũ debeatur, ſed opus impetratoriũ intellexit, atque ita omnia opera bona facta ab exiſtẽti in mortali; ſunt impetratoria; quoniã hæc miſericordiã Diuinã excitant: vt illi ſuã gratiã elargiatur. Lege Vegã in opuſc. de iuſtificatione q. 11.

Sunt qui affirmant; per pura naturalia Sco. intellexiſſe particulare auxilium, Deus creauit hominem propter beatitudinem, vt ſummum bonum intelligeret &c. Authore B. Augu. Et quia ordinauit eum ad talem finem, inſtituit illi media ad finem illum conſequendum tribuere: quæ quidem media cum dentur toti naturæ humanæ, ab Sco. naturalia appellata ſunt, quæ Thomiſtæ etiam ſupernaturalia vocant.

Artic. VII. An virtute pœnitentia omnia merita propter peccatum amiſſa reparentur?

Quatuor ſunt opiniones. Prima Henrici quolib. 5. q. 22. aſſerentis: omnes reſurgentes à peccato virtute pœnitentiæ recipere æqualem gratiam, à quacunq; gratia ceciderint, vel per quamcunque contritionem reſurgant; ſicut pueri ante vſum rationis virtute Baptiſmi. Quæ opinio, vt incredibilis, ab omnib⁹ refutatur. Secũda opinio eſt Gab. d. 14. q. 3. dub. 3. & citat Ocham, & comprehenditur hac propoſitione: Homo virtute pœnitentiæ reſurgit ſemper ad maiorem gratiam, & gloriã illa à qua cecidit. Hanc Almay, & Ioan. Maio. d. 22. amplexi ſunt. Tertia opinio eſt B. Tho. q. 89. ar. 2. 3. & 5. quæ de ſẽtẽtia So. d. 16. q. 2. ra. 2. duabus propoſitionibus continetur. Prima, Cõtritioni reſurgẽtis reſpõdet duplex gratia, vna contritioni tantum, altera & contritioni, & gratiæ & meritis præteritis. Secunda, gratia reſpondens meritis erit ſecundum partes proportionales, præexiſtentis contritionis, & non ſecundum eius partes quantitatiuas. Quarta opinio eſt Sco. d. 22. ar. 2. notabili. 3. q. 1. & comprehenditur ſequentibus propoſitionibus. Prima eſt, omnia merita mortificata reuiuiſcunt virtute pœnitentiæ ad tantam gloriam &c. Secunda, non eſt idem habere plura merita reſeruata in acceptatione Diuina in ordine

Alexã. Alẽ. q. 57. m. 5. & 6. D. Bon. diſtinct. 14. art. 2. per totum.

ad

ad præmium pro eis reddendum, & habere maiorem gloriam intensiue, id est, aliquis potest habere in via plura merita, quã gratiam habitualem. Tertia, resurgens à peccatis resurget ad maiorem gloriam respondentem meritis, non tamen ad maiorem gratiam. Quarta, homo resurgit ad maiorem gloriam respondentem meritis propriis, non autem ad gloriam respondentem gratiæ, opinatur enim Scot. gloriam non solum respondere meritis, verum etiam gradibus gratiæ, hanc opinionem dicit Soto esse inopinabilem, quia ex ea sequitur vnũ habitum habere duplex præmium. Respondeo, gloria, quæ respondet gratiæ, non respondet meritis nostris, sed Christi applicatis nobis per sacramẽta. Quia sicut ex opere operato datur certus gradus gratiæ: ita ex opere operantis datur aliquis gradus gloriæ. Vide Corollaria, quæ ibi Scotus infert.

CONCLVSIO.

Luc. 15. Virtute pœnitentiæ homo ad gratiam, & virtutes amissas reparatur. Patet Lucæ 15. vbi dicitur; filio prodigo datã fuisse primam stolam, per quam gratia amissa intelligitur, & alia, quibus virtutes amissæ significantur.

CONCLVSIO.

Non semper ad tantam gratiam, quantam peccando amiserat, resurgit, sed recipit illam iuxta contritionis mensuram. Ratio est, quia formæ recipiunt magis, & minus, intenduntur que, & remittũtur iuxta subiecti dispositionem, & cum cõtritione anima ad gratiam, quæ est forma disponatur; profectò gratia iuxta contritionis quantitatem infundetur; atque ita aliquando ad æqualem, nonnumquam ad maiorem, quandoque verò ad minorem gratiam deperditam resurgit.

CONCLVSIO.

Omnia merita, quæ fuerunt per peccatum mortificata, virtute contritionis restituũtur. Colligitur apud Ezechiel. si egerit pœnitentiam, impietas impij non nocebit ei, at si non viuificarentur, noceret impietas. *Ezech. c. 33.*

CONCLVSIO.

Virtute pœnitentiæ redit homo ad maiorem gloriam, illa à qua ceciderat, quia redit ad omnem gloriam meritis reuiuiscentibus, & contritioni respondentem. Nam contritio quamuis non sit gratiæ primæ meritoria, quæ non cadit sub merito, gloriam tamen meretur.

CONCLVSIO.

Scoti est. In mortis instãti gratia meritis respõdens datur. Ratio est, quia gratia est præmiũ accidẽtale respondẽs meritis, & quemadmodũ tunc merita quo ad præmiũ essentiale, scilicet, gloriã præmiantur; ita quo ad præmia accidentalia præmiabuntur.

præ-

Diffic. An illa opera etiam quoad satisfactionem reuiuiscant?

CONCLVSIO.

Ad satisfaciendum pro peccato futuro minime valebunt. Ratio est, quia sicut contritio, & confessio non habentur de peccatis committendis, sed de commissis tantùm, ita, neque satisfactio, est enim tertia pars pœnitentiæ, quæ nunquam pro peccatis futuris admittitur.

Art. Vlt. An peccata dimissa peccatore ad vomitum redeunte redeant?

Duæ sunt opiniones. Prima asserit peccata dimissa absolutè, redire. Secunda affirmat Deum, non remittere peccata absolutè, sed hac lege, & conditione, scilicet, si peccator non fuerit relapsus, vtranque refutat S. Tho. *S. Thom. q. 88. reliqui dist. 22. D. Bona. art. 1.*

CONCLVSIO.

Peccata dimissa, quamuis peccator post pœnitentiam relabatur, non redeunt simpliciter. Patet Naum cap. 2. non consurget duplex tribulatio non puniet Deus bis in idipsum, & absq; dubio puniret; si peracta pœnitentia peccata iam dimissa iterum punienda redirent. *Naum cap 2.*

CONCLVSIO.

Peccata dimissa secundum quid, id est, ratione ingratitudinis redeunt. Ratio est, quia eo aliquis magis ad diligendum Deum, & illi obediendum obnoxius est, quo plura beneficia recipit. Et cum remissio peccatorum sit maximũ beneficium, cui remissa sunt peccata, deinceps si nõ diligit erit maiori pœna, quam antea dignus. Hinc tanto peccata sequentia erunt grauiora, quanto aliquis pluries pœnituit, quia plura beneficia recepit. *APPEN. Sco. est quæst. 1. art. 3.*

Peccata hoc loco redire, nihil aliud est; quam Deum grauius sequẽtia peccata punire habita ratione ad peccata iam dimissa: vt iudex, qui acerbius punit semel flagellatum, si relabatur; habita ratione ad peccatum iam dimissum, quam si nulla præcessisset peccatorum remissio. *APPEN.*

Difficultas. An vna auersio sit alia deterior?

CONCLVSIO.

A Deo ille dicitur magis aduersus, id est, inimicus, qui quãtum in se fuit, dedit maiorem auersionis & inimicitiæ causam. Probatur à simili sicut in humanis, ille dicitur magis auersus ex duobus ab aliquo tertio, qui grauiorem intulit iniuriã.

Difficultas. An pœna damni sit in vno intensior, quam in alio?

N CON-

CONCLVSIO.

Grauior quidem est, non in se, sed ex parte effectus, quem producit. Maiori namq; tristitia afficiuntur, qui intelligunt se à cœlo exulare propter grauiora peccata, quàm qui propter minus grauiora. Priuatio siquidem visionis diuinæ efficit in damnatis tristitiam, solùm, quia vident se propter sua peccata in æternum regno cœlesti priuatos. Quantò enim inter homines exilium propter grauius peccatum impositum est, tantò magis exulem torquet. Nam pœna sine culpa inflicta aliquando delectat.

Scoti est vbi supra.

Difficultas. An peccatum semel iam dimissum, possit secundum Dei omnipotentiam redire?

CONCLVSIO.

Posset Deus secundum suam omnipotētiam facere: vt peccata quoad pœnam redeant. Posset enim Deus instituere, vt peccatum dimissum propter reincidentiam puniatur, ac si non esset dimissum. Quod quidem non implicat aliquam contradictionem.

CONCLVSIO.

Quoad culpam verò impossibile est redire, nisi iterum cōmittatur. Iam enim esset aliud peccatum, & non præteritum, cùm sit alia voluntatis operatio. Quinimo de sententia Thomistarum, & Ricar. quando peccator in hac vita nō satisfecit pro pœna temporali, in quam fuit peccatū commutatum, tale peccatum iam dimissum æternaliter in inferno punietur.

Difficultas. Peccat ne grauius, qui cadit ab innocentia, an qui à pœnitentia?

Tres sunt opiniones: Prima Sco. vbi supra, dicentis, maiorem ingratitudinem esse cadere ab innocentia, quàm cadere à pœnitentia. Scot. subscripsit Caiet. contra S. Tho. qui tenet oppositam opinionem. Tertia opinio est Ricar. qui posita distinctione vtramq; opinionem amplectitur.

Ric. vbi supra artic. 5.

CONCLVSIO.

Si quantitatem Beneficij contra quod peccatur. consideremus, maior ingratitudo est cadere ab innocētia, quàm à pœnitentia. Quia eo grauius est peccatum, quo magis est beneficium acceptum, & longè maius beneficium est, aliquē post Baptismum in statu innocentiæ conseruare, quàm donum pœnitentiæ post peccatum concedere.

CONCLVSIO.

Si consideremus, & quantitatem beneficij, & magis esse gratis datum, propterea quod accipiens erat minus dignus, grauius quidem peccat, qui à pœnitentia quàm qui ab innocentia

nocentia cadit. Ratio est, quia quò aliquis pluries pœnituit, ego grauius peccat. Plura enim beneficia recepit, qui magis ad cauendum peccata obligabatur.

Hinc sequitur: grauius peccare, qui cadit post originale, & actuale dimissum, quam qui post originale dumtaxat, quod est ab innocentia cadere. APPEN.

Difficultas. An ingratitudo, qua peccatum dicitur esse grauius, sit circunstantia speciali lege prohibita?

CONCLVSIO.

Ingratitudo non est speciale peccatum, quando peccans nõ intendit Deum contemnere, sed est conditio peccantis contra Deum benefactorem. Non enim prohibetur peculiari præcepto, neque est peculiaris actus, nisi quando fit ex contẽptu.

Difficultas. An circunstantia ingratitudinis sit confitenda.

Scotus tenet esse confitendam generaliter tantum, dicendo, de multis peccatis hactenus pœnitui, & postea reincidendo in alia peccata fui ingratus, quia in singulis confessionibus emisi votum, id est, propositum non reincidendi, nihilominus tamen non tenetur ita illam confiteri, quia non est contra aliquod præceptum, quo prohibeatur. Hactenus de quæstione.

QVÆSTIO DE CONTRITIONE.

Alexã. Alen. à qõ. 67. vsque ad q. 75. Vega. c. 26. & 27. lib. 13. sup. Cõcil. Tridẽt. Castro. verb. pœnitent. contra hære. 4.

Art. I. De definitione Contritionis.

CONCLVSIO.

Contritio, est dolor de peccatis, quia fuerunt contra Deum commissa cum proposito cauendi in futurum confitendi, satisfaciendique & cum spe veniæ Diuinitus obtinendæ. Hæc conclusio manifestabitur sequentibus difficultatibus, in quibus singulæ partes illius examinabuntur.

Difficultas. An contritio sit dolor actualis, id est, actualis peccati nolitio?

Alex. Alen. tota q. 67. 68. Ric. d. 17. & Dur. ibi. q. 2.

Duæ sunt opiniones. Prima S. Tho. d. 17. q. 2. Ricar. loco citato ar. 1. Sco. d. 14. q. 1. & aliorum qui tenent pœnitentiam, siue contritionem esse actualem peccati nolitionem. Secunda opinio est Adriani q. 1. de pœnitentia dicentis: peccatorem non posse habere istum actum; nollem peccasse, si esset possibile, sed simplex tantum desiderium placendi Deo, & quia Deo displicuit, ideo contristatur.

CONCLVSIO.

Contritio, est actualis nolitio peccatorum, non absoluta, sed cõditionalis, vt nollẽ, si fieri posset peccasse, ex qua plerumq;

tristitia emanat. Patet, quia cum contritio sit actus amicitiæ: erit actus voluntatis detestantis peccatum, & cum non sit peccati volitio, erit profectò noltionis actus.

Alex. Alen. vbi supra art. 1. q. 1. 5. Tho. 1. 2. q. 113. arti. 1 Dur. & Gabr. vbi supra.

Difficultas. An talis noltio debeat esse propter Deum offensum?

Omnes DD. tenent dilectionem Dei esse necessariam ad perfectam pœnitentiam; vt doleat, scilicet, propter Deum offensum. Paludan. verò d. 14. dicit, non esse necessariam dilectionem Dei, est autem sententia communis, quæ olim fuit opinio, iam canonizata in Concil. Trid. Sess. 6. capit. 6. vbi dicit, pœnitentiam à dilectione Dei exoriri.

CONCLVSIO.

Quem pœnitet peccatorum propter gehennæ timorem, vel pœnæ temporalis pro peccatis infligendæ, is peccatorum remissionem non consequitur. Constat exemplo Saulis, Antiochi & Esau, qui non consequuti sunt sua pœnitentia peccatorum veniam. Quia absque charitate, & solo timore pœnarum, illos peccasse pœnitebat.

Hebr. 11.

CONCLVSIO.

Pœnitentia illius, quem solum pœnitet amore virtutis, aut propter gloriam amissam nullius est fructus. Ratio est, quia ortum habet ex amore proprio, qui teste B. August. Babylonis Ciuitatem ædificat.

D. Aug. 14. de Ciu. Dei. c. ult.

CONCLVSIO.

Pœnitentia absque sacramento sufficiens ad peccatorum remissionem, qualis est contritio, ex dilectione Dei proficiscitur. Definita est in Conc. Trid. supra citato, vbi ita legitur. Peccatores, incipiũt diligere Dominũ omnis iustitiæ fontẽ & propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem.

CONCLVSIO.

Vera pœnitentia, non solum ex dilectione Dei, verumetiã ex timore gehennæ, spe gloriæ, & ex fide profluit. Definita est etiam in eodem Conc. Sess. 6. sic enim habetur. Peccator adiutus fide, & concussus timore, erectusq; spe gloriæ, incipit diligere Dominum: & propterea mouetur in detestationem peccatorum.

Vega ubi supr. c. 21. & 22.

Difficultas. An requiratur actuale propositum cauendi in futurum, & auferendi omnes peccatorum occasiones?

Duo sunt modi dicendi circa hanc difficultatem. Primus, scilicet, requiri actuale propositum, & citantur pro hac sententia Alexã. q. 69. m. 9. art. 2. & D. Tho. & Dur. d. 17. Sco. d. 14. q. 4

Caiet.

Caiet.in tractatu de cõtritione quęst.1. Adrian,quo.lib.1.art 3.
Secundus autem modus est, quo dicitur sufficere virtuale propositum cauendi peccata. Authores huius sunt de pœnitentia q.3. Maioris. d.15.q.1. Almayn.distinct.14.quæst. 1. *Medina C.*

CONCLVSIO.

De ratione pœnitentiæ est, habere actuale propositum, aut virtuale cauendi peccata in futurum, & obseruandi omnia diuina mandata. Definita est in Conc. Flor.& Trid.Sess.6. Can. 6. ubi dicitur, disponuntur autem peccatores ad ipsam iustitiam &c. quando mouentur per odium aliquod aduersus peccata,& dum proponunt seruare nouam vitam,& mandata Diuina, & ante hæc Concilia numquam fuit locus opinionibus, quia nefas erat de hac re dubitare.

CONCLVSIO.

Quando tempore pœnitentiæ homo vitæ futuræ recordatur;tenetur habere propositum actuale cauendi omnia peccata,& illorum occasiones, alioquin pœnitentia non esset fructuosa. Constat multis sacræ scripturæ testimonijs, quæ à Doctoribus ubi supra, afferuntur. Confirmatur, Quia pœnitentia est actus perfectè amicitiæ, perfecta autem amicitia utrunq; amplectitur,velle, scilicet, amico placuisse, & propositum placendi semper in futurum.

CONCLVSIO.

Aliquando excusatur homo à proposito actuali cauendi peccata in posterum,& tunc temporis virtuale propositum est satis v.g. Pœnitens præ nimio dolore non recordatur vitæ futuræ, etsi recordaretur; efficacissime proponeret in posterum cauere; talis dolor, est virtuale propositũ, excusatur tunc pœnitens ab actuali, constat Dauidis exemplo; cui dicenti: peccaui. Respondit Nathan,transtulit Dominus peccatum tuum. *2.Regum. 2.* Quem locum citans D. Aug.in homilia 14. ait, vide quantum valeant tres syllabæ, nondum proposuerat Dauid futura mala cauere,& iam sufficientem egerat pœnitentiam. *D. Aug. in homilia 14.*

Difficultas. An ad sufficientẽ contritionẽ actuale propositum confitendi tempore debito, & satisfaciendi requiratur? *Alexan. Alẽ. quæst.69.*

CONCLVSIO.

Non est de ratione contritionis actuale confitendi propositum,cùm virtuale sufficiat. Ratio est,quia cum possit aliquis per solam contritionem, si habeat ignorantiam inuincibilem fidei absque actuali proposito Baptismi iustificari; vt constat exemplo Cornelij, poterit etiam absque actuali proposito cõfitendi &c. vtrumque enim sacramentum est de necessitate salutis, quid? quia confessio,& satisfactio sunt actus exteriores, *Actu.10.*

qui non sunt de quidditate Contritionis, quæ est actus interior, & de hoc virtuali proposito loquitur Conc Flor. vbi supra, & Concil. Complutense contra Petrum Oxomensem hæreticum, qui dicebat; peccata deleri per solam Contritionem
ERROR. sine confitendi proposito.

Art. 11. Quorum peccatorum sit habendus dolor?

In hoc articulo explicanda est particula in definitione Cōtritionis posita, nempe, dolor de peccatis.

Difficultas. An de peccato Originali sit habendus dolor?

CONCLVSIO.

Nequaquam est de illa necessario dolendū, neque ex natura sua per dolorem tollitur. Definita est Conclusio in cap. Maiores extra de Baptis. §. hic autem. Et ratio eiusdem textus est, quia cum contrahatur per nostrum consensum, sine nostro cōsensu per sacramentum poterit remitti.

Difficultas. An sit necessario de Veniali peccato dolendum?

Huic difficultati responsum est q. 1. de Pœnitentia ar. 4.

Difficultas. An de mortalibus peccatis sit necessario habendus dolor?

D. Bona. art. 1. q°. 1. & 2. De peccatis commissis ante Baptismum q. 2. de suscipientibus Baptismum, art. penultimo egimus, vbi refutata est opinio Caieta. dicentis; Baptismum non præsupponere actum pœnitentiæ virtutis, quam etiam asscribunt. Sco. quia d. 14. q. 4. dixerat. Adultum duplici via posse habere primam gratiam delentem Originale, vel per bonum motum disponentem ad illam de congruo, vel per susceptionē Baptismi, ex qua distinct. colligunt Aduersarij opinatum fuisse, solam Baptismi susceptionem abique aliquo præuio dolore sufficere, Verumenimvero Sco. d. 4. q. 5 4. ita dicit: fructus dicitur accedere ad Bap-
Scot. liberatur tismum, qui habet aliquod præteritum peccatum, de quo non conteritur, nec atteritur; & hunc Deus non iustificat per Baptismum; de peccatis verò post Baptismum commissis, iam supra q. 1. de Pœnitentia disseruimus, & infra etiam agemus.

Difficultas. An de peccatis alienis teneamur habere dolorem?

CONCLVSIO.

Alexan Alen. quæst. 69. Ad Rom. 14. De alienis peccatis non est nobis dolendum. Ratio est, quia aliena peccata non auertunt nos à Deo. Dicit enim B. Paul. unusquisque nostrum pro se rationem reddit Deo. Et nota, quod quando aliquis dolet, quod fuerit causa alieni peccati, nō de alieno, sed de proprio peccato dolet: & ita intelligendus est
Psal. 18. Psal. & ab alienis parce seruo tuo. Vnde sequitur, quod qui fuit causa peccatorum, consulendo, vel faciendo &c. quæ modo committentur, si semel egerit pœnitentiam præteriti peccati proprij,

proprij, non tenetur postea illorum pœnitere.

Difficultas. An de peccato futuro sit habendus dolor?

CONCLVSIO.

Nequaquam. Ratio est, quia per illud nondum à Deo separati sumus, & qui habet propositum committendi aliquod peccatũ, illud propositum nõ est peccatũ futurum, sed præsens.

Difficultas. An sufficiet ad veram contritionem generaliter de peccatis dolore, nulla illorum præuia recogitatione, An prius sint omnia in memoriam reuocandi?

Duæ sunt de hac q. contrariæ opiniones. Prima Antiquorũ; Alex.q.69.m.8 ar.2. D. Tho.q.82.ar.1.Ric.d.17.ar.4.q.2.Dur. d.17.q.2. quos sequuntur Medina, Cano. & alij, qui omnes tenent partem aientem. Contraria opinio est Caie. ubi supra D. Tho.q.2.de Contritione. Idem videtur sentire Sco.d.15.q.1.ar. 4. qui dicit, Satisfactionem interiorem (per quam contritionem intelligit) non esse necessario habendam singulorũ peccatorum secundum numerum, neque secundum speciem, sed satis esse: vt omnibus peccatis vnica satisfactio, id est, vnica Contritio respondeat.

CONCLVSIO.

Suscepturus Pœnitentiæ Sacramentum tenetur prius peccata omnia recogitare. Patet, aliter enim ex culpa sua non faceret integram Confessionem.

CONCLVSIO.

Ante Confessionem non tenetur habere peccatorum quæ ad confitendum recogitauit, contritionem. Ratio est, quia non tenetur homo duplicem habere peccatorum contritionem; cũ Deus non puniat bis in idipsum, sed tenetur tantum ad hoc in ipsa Confessione. Nam si aliquis confiteretur peccata sua, & non haberet actualem illorum nolitionem in corde, fictè confiteretur, dicendo; dico meam culpam; me tale peccatum commisisse.

CONCLVSIO.

Inter confitendum tenetur pœnitens tot habere contritiones, & dolores, quot sunt confessionis actus v. g. si vno actu confiteatur decem blasphemias, & alio decem fornicationes, singulis actibus, & non singulis peccatis singulæ contritiones respondere debent. Verum si confiteatur peccata singulatim, vt singula peccata eiusdem speciei, tunc tenetur habere singulas singulorũ peccatorum cõtritiones. Quia singulatim singula confitetur, probatur. Nam aliter contritio esset ficta: quia aut dicit verbo tantũ, dico meam culpam, & tunc ficta esset confessio; aut ex corde, & istud est habere contritionem, id est, dolorem ita enim sumitur hic Contritio.

CONCLVSIO.

Qui non est suscepturus sacramentũ confessionis, non tenetur ante Contritionem, omnia peccata recogitare, cum sufficiat habere vnam generalem contritionem. Vt v.g. vellem nunquam ob Dei amorem peccasse, & propono deinceps omnia peccata vitare, manifesta est Conclusio. Nam si esset talis recogitatio necessaria, sequeretur hominem non posse subitò iustificari, atque ita esset in via, & extra statum salutis, vt si quis per spatium quatuor horarum posset tantum peccata recogitare, & esset iamiam morti proximus.

CONCLVSIO.

Vt contritio generalis sufficiat ad iustificationem; necessarium est, vt se ad omnia commissa extendat: ad hunc, scilicet, sensum; vt nullum sit peccatum, cuius si tunc recordaretur; nõ pœniteret. Constat, Nam aliter non esset contritio generalis.

CONCLVSIO.

Quamuis ad iustificationem non sit necessaria peccatorum recogitatio, est tamen necessaria, vel ad restitutionem, vel ad satisfactionem. Ratio est, quia sunt quædam peccata, ad quorum remissionem est necessaria restitutio, in re, aut in voto, vt peccatum furti, & infamiæ &c. quare erit necessarium, saltem post contritionem peccata recogitare.

Art. III. An dolor de peccatis debeat esse maximus secundum intensionem?

Vide DD. in principio quæstionis citatos. Tres sunt opiniones. Prima Adriani q.2. de pœnit. art. 2. & quolib. 5. ar. 3. & aliorum dicentium ad veram pœnitentiam requiri: vt homo doleat secundum omnem suum conatũ. Secunda opinio est Scot. d.15. q.1. §. ex hoc patet, de 4. ar. affirmat enim, requiri certam intentionem, scilicet, quando pœnitẽtia habetur de multis peccatis simul, non sufficit contritionem esse remissam, sed debet esse certæ & determinatæ intensionis, ita quod vnus gradus intensionis respondeat vni peccato, & alius alij, quamuis non sit maximus, vt docet Adrian. Tertia opinio est communis Ricard. d.17. q.5. 8. & 9. art. 1. lege Vegam à cap. 23. usque ad 27. super Conc. Trid. qui negat hanc esse Ric. opinionem.

Alexan. Alen. tota qõ. 68. D. Bon. art. 1. q 2. Duran. qõ. 4.

CONCLVSIO.

Odium, nolitio, siue detestatio peccatorum, vt sit sufficiens ad illorum remissionem quantum ad solam culpam, nõ requiritur, vt sit maxima, quoad intentionem. Hæc est B. Chrysost. & refertur canone. talis. de Pœnitentia de 3. vbi legitur. Quantulamcunque & quamlibet breui tempore gestam pœnitentiã Deus suscipit, nec patitur exiguæ conuersionis perire mercedẽ.

CON-

CONCLVSIO.

Odium siue detestatio peccatorum debet esse maxima, appreciatiuè, id est, comparatiuè, ad alias creaturas, ad hunc, scilicet, sensum; quod quando homo dolet, & conteritur; potius eligat quoduis corporis, fortunæ, siue honoris malum, quàm Deum offendisse: ita vt odio habeat malum culpæ, plusquam cætera mala odio digna. Ratio est, quia actus perfectus charitatis est, diligere Deum super omnia appreciatiuè, i d est, vt præ eius amore, & mandatorum obseruantia postponat omnia, & cum contritio sit actus perfectus charitatis, debet esse maximus tantum appreciatiuè. Ita quod si daretur, peccatori optio, potius, deberet eligere mortem quantumcunq; ignominiosã: quàm velle peccasse. Et nota, cum Alex. D. Tho. & Bona. d. 17. huiusmodi comparationes minime esse hominibus parum in virtute exercitatis proponendas. Quoniam esset illis certissima ruinæ occasio.

DVBIVM.

Quare anima intensius odit malum pœnæ, quàm culpæ, cùm hoc magis noceat?

Respondeo, quia malum pœnæ est sensibile, & pro hoc statu mala sensu apprehẽsa magis mouent intellectum, & voluntatem, quàm culpæ malum, quod solum intellectu apprehenditur, cùm sit spirituale.

CONCLVSIO.

Ad remissionem omnis culpæ, & pœnæ, necessaria est interior contritio pro qualitate, & quantitate peccatorum. Probatur quia huiusmodi contritio quo intẽsior est, eo magis est satisfactoria non solum pro culpa, sed & pro purgatorij pœna, & in hoc sensu loquitur Sco. quia huiusmodi contritionẽ, nominat totalẽ cõtritionẽ, id est, in totum remittentẽ peccata quoad culpã, s. & pœnam. talis fuit contritio B. Magdalenæ.

Difficultas. An contritio nimis intensa, quæ grandem generat tristitiam, sit laudabilis?

CONCLVSIO.

Si contritio est ex natura sua: eo est laudabilior, quo est intensior. quia cõtritio est actus charitatis, & charitas non habet medium: quemadmodum aliæ morales virtutes habent.

CONCLVSIO.

Contritio intensa potest esse vitiosa, quando præ nimia tristitia, mors, aut corporalis ægritudo timetur. Confirmatur ex B. Paulo dicente; obsecro itaq; vos fratres per misericordiã Dei, vt &c. rationabile obsequium vestrum. *Ad Rom. 12.*

CONCLVSIO.

Non licet pœnitenti de furto dicere, vtinam ego commisissem adulterium, & non furtum, propterea quod magis infamat furtum quàm adulterium. Patet. Nam qui talem dolorem haberet, plus proprium, quàm Dei honorem diligeret.

CONCLVSIO.

Integrum est pœnitenti ita dicere; vtinam ego nunquam offendissem Deum: & esto; quod essem offensurus, mallem in minus graue peccatum incidisse. Nam huiusmodi dolor ex dilectione Dei profluit.

CONCLVSIO.

Qui paratus est ad eligendum grauiora peccata, vt vitet minus grauia: quia magis infamant, si sint mortalia peccata, mortaliter peccat: si verò venialia, venialiter. v. g. qui diceret; si esset mihi peccandum, potius vellem committere heresim, quàm peccatum nefandum, iste iam est hæreticus, si hoc ex animo dicit. Patet manifestè; quia peccatum ideo peccatum quia voluntarium, & iste habet voluntatem, & animum paratum. &c.

Difficultas. An sit actus charitatis eligere in seipso minus grauia peccata, propter grauiora in proximo vitanda?

Exempli gratia, si aliquis diceret: mallem ego committere furtum, quàm quod Petrus blasphemaret.

CONCLVSIO.

Nullo modo licet hoc eligere. Ratio est, quia Ordo charitatis, qui est in præcepto, debet à seipso incipere.

Diffic. An fas sit habere istum actum; potius vellem aliquod veniale commisisse, quàm quod Christus passus fuisset?

Alex. Alē. q. 68. m. 2. art. 1. D. Bona. art. 3. per totum Ric. art. 4. q. 6. d. 7.

CONCLVSIO.

Haudquaquam fas est, nam passio Christi Iesu fuit maximum bonum, Deoq; maximè placens, veniale verò nullo modo potest Deo placere.

Diffic. An requiratur extensio doloris per aliquam temporis moram à Deo præfixam?

Hæc est Sc. liberatur Cano.

Duæ sunt opiniones. Prima Scot. d. 14. cui subscripsit Caiet. 1. de Contritione, & est affirmans. Secunda est communis, quam sequuntur omnes Neoterici, Vega vbi supra, cap. 23. Can. de pœni. par. 3. Soto. d. 17 q. 2. art. 4 &c.

CONCLVSIO.

Non est erroneum affirmare: requiri certā temporis moram, per quem dolor continuetur. Probatur quia neq; est expressè contra sacram scripturam, neq; contra Ecclesiæ determinationem. Nam quod in contrarium obiicitur Ezechiel 18. In quacunq; hora &c. non facessit negotium, quia ibi solum promit-

promittitur venia pœnitenti, quocunque tempore pœniteat, quãdiu fuerit in hac vita: ita vt sit loci sensus; nulli ante mortem via salutis præcluditur, non tamẽ quod statim in quocũque momento veniam consequatur.
Deinde obiiciunt Sco. sequi ex eius opinione, hominem esse in via, & extra salutis statum. Cui obiectioni satisfacimus eadem ratione, qua Thomistæ opinionem S. Tho. defendũt, qua affirmat: ad contritionem requiri peccatorum recogitationem, ex qua quidem opinione prædictum absurdum sequitur, illi enim asserunt, esse intelligendum S. Thom. quando suppetit tempus recogitãdi peccata. Perinde & nos affirmamus esse intelligendũ, Sco. dicit desiderari temporis morã, nempe si adest temporis facultas. Nam si mors vrgeat, ab hoc præcepto planè excusabitur.

CONCLVSIO.

Ad totalem remissionem peccatorum quoad culpam, & omnẽ pœnam per contritionem, certa temporis mora, desideratur. Ratio est, quia quò peccata sunt grauiora eo maior dolor desideratur, vt omnis pœnæ fiat remissio. Vnde ad remissionem culpæ. & omnis pœnæ maior satisfactio quàm ad remissionem culpæ tantum: & per consequens, maior temporis mòra erit necessaria. Et hæc fuit Sco. & Caiet. opinio.

CONCLVSIO.

Ad remissionem culpæ, quæ fit per conuersionem pœnæ æternæ in temporalem, quantumcunq; sit culpa grauis, momentanea contritio sufficiet. Patet: Ezech. 33. si dixero impio morte morieris, & pœnitẽtiam (quæ fieri potest in momento) egerit omnia peccata non imputabuntur ei. *Vegam lege.*

Hinc ad remissionem culpæ tantum, non requiritur maior dolor de grauiorib[9] peccatis. Quia vt ex dictis cõstat, intẽsio siue extensio doloris ad remissionem culpæ non desideratur. APPEN.

Ad remissionem culpæ, & omnis pœnæ virtute contritionis quò sunt grauiora peccata, eò maior dolor exigitur. Legitur enim in Apoc. quantũ glorificauit se & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum. & in hoc sensu Sco. & Caiet. intelligũtur. APPEN. *Cap.* 18.

Ar. IIII. An act[9] Attritionis idẽ numero possit fieri Cõtritio?

Duæ sunt opiniones: Prima & affirmans, est Ric. & Scot. & Caiet. Contraria est negans B. Tho. cui Gabr. adhæsit. *Alex. Alen. q.* 74. *m.* 5. *Rica.* 17. *ar.* 1. *q.* 2. *et* 3. *et* 9. *Sco.* 14. 12. *Caiet. q.* 1. *de Cõtritione.*

CONCLVSIO.

Citra sacramẽtum impossibile est; Attritionem eandem numero fieri Contritionem. Ratio est, quia Contritio est supernaturalis actus; quoniam ex viribus supernaturalibus elicitur.

CONCLVSIO.

Virtute sacramẽti attritio potest fieri cõtritio. Quia vt infra dicetur

dicetur, virtute sacramenti attritus iustificatur. quare talis attritio erit sufficiens ad consequendam gratiam; atque ita fiet contritio Cæterum si loquamur iuxta sententiam Antiquorum S. Tho. & Sco. Qui affirmant certam doloris intensionem, vel extensionem requiri: sit conclusio.

CONCLVSIO.

Attritio eadem numero potest fieri cōtritio. Ratio est, quia secundum istorum Doctorum opinionem attritio & cōtritio non differunt, nisi penes intensum & remissum, & quemadmodum eadem albedo numero potest fieri intensior: ita idē actus numero remissus, scilicet, attritio potest fieri intensus, id est, contritio.

Alexā. Alen. q.68.m.2.art 2.S. Tho. 1.2. qō.113. art 1. & 2 & 3 reliqui d.14. D. Bon. & Scoti q.2 Vega lib. 13.& ā c. 17. vsque ad 20. Scoti est.

Art. V. De necessitate, & præcepto Contritionis!

Sub alio titulo solet hæc q. proponi nempe, An requiratur motus liberi arb. in peccatum, in homo iustificetur.

CONCLVSIO.

Pœnitentia interior formalis, vt est actualis dolor de peccatis, aut virtualis pœnitentia, vt est martyrium, & dilectio Dei super omnia, est de necessitate salutis. Dicitur enim Lucæ 13. nisi pœnitentiam egeritis &c. quare in se, vel in suo æquiualenti erit pœnitentia ad salutem necessaria.

Alexā. Alē. q.68.m,2. art.2.

Diffic. Estne ita sub præcepto, Vt non pœnitere sit nouum mortale?

Communis est doctorum sententia, quos citat Vega, dicitque quosdam Thomistas opinatos fuisse, nullum de pœnitētia esse præceptum; licet sit ad peccatorum remissionem necessaria. Hoc sensit Mag. Victoria, vt in relectione de pœnitentia, parte 4. Magister Cano. scribit. Hæc autem opinio nūc est erronea.

CONCLVSIO.

Pœnitentia post peccatum commissum, ita est sub præcepto: vt peccatum nouum mortale committat, si tempore, quo illam homo habere tenetur, non habeat: est enim in remediū peccatorum, verbis comminatoriis, quemadmodum & Baptismus instituta.

Luc. 13. Ioan. 3.

Difficultas. Tenebitúrne statim post peccatum commissum pœniteri sub noui peccati pœna?

Alexā. Alē q 6.m.2.D.Tho, 12.q.19 ar.8. & 22. qō. 62. ad vlt. & d. 17.art 1.Scoti & Riçar.

Duæ sunt opiniones. Prima Alex. Alen S. Tho. Ric. Sco. & reliquorum Antiquorum affirmantium, teneri ad pœnitendum, cum primum peccata memoriæ occurrunt.

Contraria opinio est Neotericorum, Caie. 1.3. de Contritione, Cano. de pœnitentia parte 4. Medinæ Cod. de pœnitentis

CONCLVSIO.

Ex parte finis, scilicet, vt homo Deo reconcilietur, necessarium est, statim post peccatum pœnitere. Ratio est, quia pœnitentia, est necessaria ad peccatorum remissionem. Vt apud. D. Lucam constat. Cap. 13.

CONCLVSIO.

Statim post peccatum commissum obligatione præcepti pœnitentiæ nemo pœnitere tenetur Quia præceptum de pœnitentia est affirmans, quo actus virtutis præcipitur, atque ita quo ad actum positiuum non pro quocumq; temporis instanti obligat, quemadmodum præceptum Confessionis, quo nisi certo tempore non obligamur: vt ex superioribus patet.

CONCLVSIO.

Præceptum pœnitentiæ statim à peccato commisso quantum ad actum contrarium de non complacendo in peccato obligat; ita vt, si aliquando placuerit, mortaliter peccetur, si statim actus de quo complacentia habetur, non prohibeatur. Ratio est, quia omne præceptum affirmatiuum includit negatiuum de actu contrario obligans pro semper. v g. Præceptum honorandi parentes includit hoc negatiuum, scilicet, numquam verbo, aut facto parentes inhonorabis.

CONCLVSIO.

Præceprum pœnitentiæ interioris obligat, quando mortis naturalis, aut violente periculum imminet. Sicut enim tenetur vnusquisque corpori, ne pereat, subuenire, ita & animæ suæ per pœnitentiam, ne morte æterna damnetur, alioqui enim contra charitatem aget. APPEN.

Hinc, qui nouerit sibi insidias ad mortem parari, vel certissimum naufragium viderit, sub nouo reatu pœnitere tenebitur; aliter enim constitueret se in periculo non adimplendi pœnitentiæ præceptum, post mortem namq. illud adimplere non potest.

CONCLVSIO.

Tenebitur quoque statim pœnitere, qui est sacramentum aliquod suscepturus, nam qui indigne ad sacramẽtum accedit cum sacrilegium committat; mortaliter peccat.

CONCLVSIO.

An hoc etiam obligatur, qui sacramentum aliquod est administraturus, Legitur enim Leu. 22. omnis homo, qui accesserit de stirpe vestro ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino; in quo est immunditia, peribit coram S. Tho. 3. p. q. 64. art. 6.

ram

tam Domino. Si igitur Sacerdos legis veteris peccabat indignè ministrando; multò magis profectò nouæ legis Sacerdos delinquet.

Difficultas. Quando confeſſio eſt ſub præcepto deficiente Sacerdote qui alicuius peccati mortalis recordatur, nunquid ad pœnitendum tenebitur?

V.G. qui apud Saracenos viginti, aut pluribus annis ſine copia confeſſoris captiuus detinetur.

CONCLVSIO.

Tenebitur in tali caſu pœnitentiam, id eſt, contritionem habere. Ratio eſt. quia protrahens pœnitentiam per longum tempus in certiſſimo periculo peccandi mortaliter conſtituitur. Qui enim periculum amat, in illo peribit.

CONCLVSIO.

Qui miniſtraturus eſt aliquem ſacramentalem actum, vt cõcionator, diaconus, ſubdiaconus, quãuis ſit in mortali, nõ tenetur, vt miniſterium ſuum exerceat, ſub pœna noui peccati mortalis ſtatim pœnitere. Quia non exercet aliquẽ actum in quo, vel ſibi, vel alteri ex opere operato gratia conferatur.

Contrariam opinionem tenet Medina q. 6. de pœnitentia ſupra 9. in queſt. de Miniſtro de ſacra. in genere legito.

Difficultas. Teneturne homo diebus feſtis contritionem peccatorum habere?

S.Thom. 2.2.q 122 artic. 4. ad 3. Duæ ſunt opiniones. Prima Antiquorum. Nam. S. Thom. tenet magis facere cõtra hoc præceptũ, qui peccat in die ſabbati; quam qui aliquod corporale opus facit. Scot. verò non ita expreſsè hoc affirmat, nam in tertio lib. ita ait: præceptũ

diſt. 27. q°. 1. diligendi Deum ſuper omnia fortè obligat in die ſabbati, vnde Thomiſtæ colligunt affirmaſſe ſingulis diebus feſtis hominem ad contritionem obligari, cum Scot. dubitans loquatur. Gabri. ibidem, & ſumma Angelica. Verbo Contritio, & verbo feſtum. Sco. adhæſerunt.

Secunda, & contraria opinio eſt Caie. in opuſcul. 9. de circunſtantia diei feſti, quem omnes Neoterici ſequuntur.

CONCLVSIO.

Non tenemur diebus feſtis ex præcepto Diuino habere peccatorum contritionem. Patet in Exo. vbi dicitur: memẽto vt diem ſabbati ſanctifices. Et ſtatim modus ſanctificationis ſubiungitur, ſcilicet, non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui eſt intra portas tuas. vbi ſolũ præcipitur quies ab operibus corporalibus ſeruilibus, non autem à ſeruilibus ſpiritualibus, qualia ſunt peccata.

Diffi-

Difficultas. Post semel peractam pænitentiam tenebiturne homo quoties suorum peccatorum cordabitur, pænitere?

Hæc difficultas aliter à D.Thom proponitur, scilicet, An teneatur homo pœnitentiam per totam vitam continuare, & alio etiam modo, scilicet, An quoties peccata practicè occurrunt memoriæ, sit illorum pœnitendum. *q. 89. ar. 8. & 9. Alex. Alē q. 68. m. 2. ar. 2. & Bona. art. 3. quæst. 2*

Duæ sunt opiniones, vna affirmans S. Thom. quam videtur defendere Scot. Altera negans Caiet. quam omnes moderni amplectuntur. *dist. 45. q. 3. ad vlti.*

CONCLVSIO.

Quotiescunque peccata practicè occurrunt memoriæ, peccator illorum pœnitere non tinetur, quia cum non teneatur bis idem peccatum confiteri; neque de illo bis contritionem habere tenebitur. Non enim tale præceptum est nobis impositum.

CONCLVSIO.

Quando peccator est dubius; pœnituerit, nec ne vel pœnitere, vel conscientiam deponere tenebitur, alioqui enim aget contra conscientiam.

CONCLVSIO.

Quando periculum complacentiæ de peccato præterito nō imminet, illius peccati pœnitere nō tenebitur cum suggestioni resistere sit satis. Nam per solam resistentiam potest remouere peccatum.

Difficultas. Tenemur de alienis peccatis habere dolorem?

CONCLVSIO.

Tenemur non complacere, quatenus sunt Dei offensa, & in proximorum detrimentum. Nam complacendo mortaliter peccaremus.

Art. Vlt. An contritio sit remissionis peccatorum causa? *Alexā. Alen q. 76. 78. & s. in ad. 11. reliqui dist. 16. & 21.*

Hoc est, an pœnitentia, vt informis, vel formata per gratiam sit causa remissionis peccatorum: ita vt sit tituli sensus; quæ istarum propositionum sit verior, scilicet, quia homo pœnitet remittitur culpa, & quia culpa remittitur, gratia infunditur, vel è cōuerso, cū vtrumq; in eodem instanti tēporis sit.

Quatuor sunt opiniones. Prima S.Thom. affirmantis motum liberi arbitrij gratia informatum esse causam remissionis peccatorum. *1. 2. q. 103. ar. 3. & in 3. p. q 83. Sco. dist. 14 quæst. 2.*

Secunda est Sco dicentis, pœnitētiam informē esse causā remissionis culpæ, formatā verò cōcomitari remissionē ipsam ita,

ita, vt de sententia Sco. hæc sit vera: quia homo pœnitet, remittitur culpa, & quia remittitur culpa; infunditur gratia. Hanc opinionem dicit Soto esse Pelagianam. Nam inquit, si pœnitentia, prout informis, esset causa remissionis peccatorum, sequeretur primum hinc; non esse causam propriè, quia nõ esset meritoria de condigno. Secundo, remissionem peccatorum esse ex viribus naturæ, quod est Pelagianum. Respondẽdum tamen est; quod quamuis pœnitentia informis sit causa remissionis peccatorum, talem pœnitentiam non elici ex viribus tamen naturæ, sed per auxilium speciale, vnde sequitur nos viribus naturæ non iustificari: vt asserebat Pelagius, qui speciale auxilium negabat.

dist. 15. q. 1. artic. 6.

Scot. liberatur

Tertia opinio asserit, peccata remitti per motum liberi arbitrij, scilicet, per pœnitentiam formatam, & istum actũ pœnitentiæ non produci à voluntate, sed à solo Deo: & in volũtate habente se solum passiuè recipi. Hæc opinio est erronea, & contra Conc. Trident. Sess. 6. cap. 5. vbi apertissimè tribuit Conc. libe. arb. actionem respectu iustificationis, & pœnitentiæ, quæ ad gratiam disponit.

Quarta opinio est quorundam distinguentium inter primã gratiam, quæ datur per solam pœnitentiam, vel virtute sacramenti. Affirmantq. gratiam, quæ datur extra sacramentum, semper antecedere contritionem; ita vt iste ordo naturæ seruetur, scilicet; Deus dat gratiam, & per illam homo detestatur peccata, vt ratione illius detestationis, siue contritionis iã formatæ remittatur peccatum, at verò si homo accedat ad sacramentum attritus, dicunt, dari tunc primam gratiam virtute attritionis, & formæ sacramentalis, atque ita gratiam non esse motu liberi arbitrij priorem.

CONCLVSIO.

Actus pœnitentiæ informis, quatenus est dispositio ad gratiã, est remissionis culpæ causa. Ratio est, quia causa dispositiua est, quæ remouet prohibens formæ introductionẽ, qualis est pœnitentia informis respectu gratiæ, cuius introductio & infusio per culpã indimissam & præexistentem prohibetur. Communis est opinio, atque in hoc sensu Sco. est intelligẽdus.

CONCLVSIO.

Pœnitentia formata est causa remissionis culpæ, nõ disponens, sed efficiens. Ratio est, quia Deus efficit remissionem culpæ per infusionem gratiæ, & gratia operatur effectiuè mediante pœnitentia, quare similiter & pœnitentia, cum sit gratiæ instrumentum.

APPEN.

Hinc colligitur, non esse inter S. Tho. & Scot. aliquam repugnantiam

pugnantiã. Nam Scot. ibi agit de remissione peccatorũ facta dispositiuè, non autẽ de illa, quæ fit effectiuè, nam dicit pœnitentiam informẽ, quæ est dispositio præuia remittere peccata.

QVÆSTIO DE CONFESSIONE.

Alex. Alẽ. q 76. 7. & 8. S. Th. à q. 6. vsq; ad 11. reliqui dist. 16. & 21.

Articulus. I. An Confessio sacramentalis sit de iure diuino?

CONCLVSIO.

Confessio sacramentalis est à Christo Iesu instituta, & ex consequenti de iure Diuino. Definita est hæc Conc. in cap. ad abolendam, de hæreticis, & in Conc. Flor. & Trid. Sess. 14. cap. 5. & 1. can. 3.

Alex. Alen. q. 76. m. 2. D. Th. q. 6. ar. 2. reliqui d. 17. D. Bona. ar. 1. qõ. 3. Ric. ar. 2. q. 3. Scot. qõ. 1. Duran. qõ. 8.

Sex fuerunt errores, qui prima concl. confutantur 1. Glossatoris Decreti in principio d. 5. & Panormitani in cap. omnis vtriusq; & D. Bona. vbi supra, & citat Hugonis authoritatem, asserentium fuisse hoc sacramentum ab Ecclesia institutum, fuitq. condemnatus error hic tempore Sixti 4. in Conc. Cõplutensi contra Petrum Oxomensem.

ERROR. Glossator Decreti Panor. et D. Bon. et Hugo. cautè legẽdi.

Secundus Iacobitarum affirmantium, Confessionem, nec esse de iure Diuino, neq; de iure ecclesiastico, & sufficere soli Deo confiteri. Dicebantq; confessionem hanc esse vtilem salutem ad humilitatem. Tertius VVicleff. dicentis; esse inutilem & superfluam. Quartus Lutheri docentis; partim esse necessariam, partim superfluam. Quintus VValdensium existimantium esse mortiferam. Vltimus eiusdem Lutheri, negantis absolutionem & confessionem esse sacramentum. Et ita gratiam non conferre.

DD. vbi supra Alex. Aẽl. ar. 3. §. 1. D. Bona. q. 2. Ric. Sco. et Dur. & D. Th. ibidem.

Difficultas. An confessio fuerit de lege naturali?

Nota Confessionem quandam fieri soli Deo, quandam verò homini potestate clauium.

CONCLVSIO.

Confessio quædam est de lege naturæ. Nam contritio, quæ est interior confessio, est de lege naturæ. Dictat namq; ratio naturalis, vt pœniteat nos Deum offendisse: talis fuit confessio Adæ Gene. 3. & Iob cap. 31.

CONCLVSIO.

Confessio quæ fit ministris Ecclesiæ non fuit in lege naturæ. Nam in lege tantum Euangelica datæ sunt Sacerdotibus claues regni cœlorũ, quibus sacramẽtaliter peccata remittant.

Alexan. Alẽ. ar. 3. §. 2. D. Bo. q. 2. B. Thom. & Duran. vbi supra.

Diffic. An in lege scripta fuerit peccatorũ cõfessio instituta?

Opinio fuit peculiaris VValdensium in lege veteri fuisse præceptum confessionis omnium peccatorum.

CONCLVSIO.

In lege scripta non erat sacramentalis confessio, quia claues

ministerialiter ligādi, & absoluēdi solùm Sacerdotibus Euāgelicis cōcessæ fuerunt. Oppositum enim esset erroneum. Quia nouæ legis Sacerdotes nō essēt tunc illis multò præstātiores.

CONCLVSIO.

Generalis omnium peccatorum cōfessio olim nomine totius populi fiebat per Sacerdotem dicentem; Peccauimus cum patribus nostris; iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Legitur enim Leuitici 16. Sacerdotē totius populi peccata generaliter confiteri.

CONCLVSIO.

Quorundam peccatorum publicorum in legē veteri erat publica & peculiaris cōfessio, non tamen sacramētalis, vt reus à Sacerdote absolueretur. Hæc ex toto Leuitico constat. Vbi legitur pro peculiaribus peccatis fuisse peculiares Hostias, Vnde Hostiæ oblatio peccatorum fuit confessio, non occultorum quoniam esset tunc contra legem naturæ, seipsum diffamare.

Diffic. An sit confessio à Christo tanquam necessaria ad salutem instituta, vt est Baptismus?

Alex. Alē. m. 2. art. 3 §. 3. & m. 3. art 1. & 2. D. Bon. q. 3. S. Tho. ar. 1. & d. 17. q. 3. art. 1. qō. 1. & sequētibus Ric. Sco. & Durā. vbi supra.

CONCLVSIO.

Sacramentalis confessio non est in re ad salutem, neq; ad iustificationem etiam post Baptismum necessaria: quia neq; Baptismus in re est necessarius, cum sufficiat in voto: tum quia obligaretur homo ad impossibile; vt si in articulo mortis deficeret minister.

CONCLVSIO.

Confessio est necessaria ad salutem finalem; saltem post Baptismum, in re, si adest confitendi facultas, sin minus, in voto erit satis Conc. hæc est definita in Conc. Trid. expressè Sess. 14. can. 6. quia nullus ad impossibile obligatur.

CONCLVSIO.

Ric. est vbi supra art. 2. q. 1. & cōtra Magistrum Cano.

Ad salutem finalem consequendam, quando non est copia confessoris, satis est habere desiderium virtuale, seu implicitū, ita quod si tunc haberet copiam confessoris, verè confiteatur. Ratio est, quia votum confessionis potest contineri in contritione, & ideo non requiritur actuale confessionis votum ad salutem finalem.

CONCLVSIO.

Hac est Rica. vbi supra, et [illegible] dria. q. 1. de confessione ad 2. [illegible] t. Scot. contra S. Thom. d. 17. art. 1. q. 1. [illegible] cto. 10.

Ad iustificationem virtute Contritionis non requiritur votum actuale, siue propositū faciendi confessionem sacramētalem. Nam sufficit virtuale. Patet quia cum nō requiratur votū actuale Baptismi ad iustificationem in via, vt constat exemplo Cornelij, neq; votum actuale confessionis erit necessarium.

Vtrunque enim sacramentum est ad salutem necessarium.

Difficultas. An sit de necessitate sacramenti; vt fiat vni Sacerdoti ad aurem?

Alex. Alẽ.q. 76.m.3.& 77 m.5.ar.8.Sco. ibidem.

CONCLVSIO.

Christus Iesus instituit auricularem, siue secretam confessionem. Definita est expressè in Cõc. Trident. Sess. 14. cap.5. & can.6. vbi ita legitur, si quis dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum; anathema sit.

Hinc intelliges Cau. esse Caiet. super Ioan. cap. 20. vbi duos errores affirmauit; vnum institutam fuisse à Christo confessionem voluntariam, cum sit ab Ecclesia definitum: necessariam esse ad salutem. Nam quod est voluntarium, vt religionis ingressus, non est ad salutem necessarium. Alterum, scilicet, modum confitendi ad aurem non esse à Christo institutum, & hic error est in Conc. Trid. citato damnatus.

Caiet. Cau.

Difficultas. An sit ita de iure Diuino iste confitendi modus, vt sit quoque de essentia sacramenti?

Alex. Alen. ibid. Ric. d.17. art.3.q.8. Sco. quaest.1.

CONCLVSIO.

Non est modus iste secretè confitendi de essentia sacramẽtalis confessionis. Nam etsi publicè fiat, erit sacramentalis. Definita est in Conc. Trid. ubi supra his verbis, cæterum quoad modum confitendi secretum apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc Diuino præcepto mandatum; vbi apertè Ecclesia definit. Christum modum secretè confitendi instituisse, & publicam confessionem non prohibuisse.

Vide Castrum vbi supra.

Difficultas. An Confessio sit sub pracepto?

CONCLVSIO.

Sacramentalis confessio non solum est necessaria ad salutẽ, vt Baptismus; verumetiam est sub præcepto Diuino obligante transgressores ad mortale. Definita est in Conc. Trid. Sess. 14. cap.5. ita enim legitur; inanis est eorum calumnia, qui sacramentalem confessionem à mandato Diuino alienam, & inuentum esse humanum, atque à patribus in Conc. Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Lege etiam can.6.

Alexã. Alen.q. 76.m.3 & qõ. 77.m.1.art.3. & m.5.art.7. reliqui dist.17 D.Bon.ar.2.q. 1.Ric.art.1.q. 4.Sco.q.1.Durã.q.9.S.Tho. ar.1.vbi supra

CONCLVSIO.

Præceptum Confessionis colligitur ex cap. 20. Ioan. vbi dicitur. Accipite S. S. &c. hæc Concl. est definita expressè contra Caie. cap.5. vbi supra in Conc. Trid.

Caiet. Cau.

APPEN. Ex his colligitur, posse aliquem damnari propter solam sacramentalis confessionis omissionem: vt qui virtute contritionis esset iustificatus, & in articulo mortis nollet confiteri, cum posset.

Difficultas. An fuerit semper hæreticum negare confessionis præceptum, vel de illo dubitare?

Duæ sunt opiniones. Prima Adria. q. 2. de confessione, qui tenet patrem affirmantem. Secunda est Medinæ Cod. de pœniten. in q. de necessitate confessionis asserentis: olim non fuisse hæreticum, sed sapuisse hæresim.

CONCLVSIO.

Ante Concil. Later. erat hæreticum negare necessitatem cōfessionis; negantes tamen non erant hæretici. Ratio est, quia nondum erat ab Ecclesia declaratum &c.

Alexā. Alen. q 77. D. Tho. ar. 3. D. Bon. ar. 2 q. 1. Scot. q. 1. vbi supra.

Art. II. Qui teneatur ad confessionem?

Absoluetur articulus aliquot difficultatibus positis.

Difficultas. An sit omnibus hominibus, etiam infidelibus confessionis præceptum impositum?

Alex. Alen. q m. 1. Ric. art. 9. q. 4. reliqui vbi supra.

Duæ sunt opiniones. Prima Ric. affirmantis: infideles teneri, quatenus est præceptum Diuinum; hunc sequuntur; Angelus verbo Confessio. 7. §. 2. & Gabr. d. 17. hanc opinionem falsò tribuunt Sco. d. 17. q. 1. ubi agit contra Glo. asserentem, esse tantum ab Ecclesia institutam. Ait enim, quia sequeretur quod infideles non tenerentur ad confessionem. Vbi, vt dicit Adrianus, argumentatur Sco. ad hominem in materia confessionis, quoniam Canonistæ affirmant infideles teneri ad confessionem. Contra inquit Scot. si confessio esset tantum de iure Ecclesiastico, sequeretur infideles non teneri ad confessionem, cuius oppositum Canonistæ affirmant. Quid? quod d. 4. lib. 4. docet Scot. peccata commissa ante Baptismum non esse materiam confessionis.

Scot. liberatur

Secunda opinio est communis, scilicet, infideles non obligari confessionis precepto, ita quod non peccabunt, sicut peccant non recipiendo Baptismum.

CONCLVSIO.

Nullo iure tenentur infideles ad sacramentalem confessionem. Ratio est, quia cum non teneantur post Baptismum peccata confiteri ante Baptismum commissa, multò minus ante Baptismi receptionem ad illorum confessionem obligabuntur. Sunt enim commissa extra Ecclesiæ iurisdictionem.

APPEN. Hinc sequitur; quod si damnati ad vitam redirent, non tenerentur peccata in inferno commissa confiteri.

Difficultas. An Papa teneatur ad sacramentalem suorum peccatorum confessionem?

CONCLVSIO.

Papa alicuius.p.M. conscius ad sacramentalem confessionē obligatur, quia quæ sunt iuris Diuini, & ad salutem necessaria, vt est pœnitentia, omnes obligant.

Vide Ric. ar. 9. q. 5. & S. Tho. & D. Bon. dist. & Caieta. de ministro huius sacramenti.

CONCLVSIO.

Papa non tenetur ad annuam confessionem, ita vt mortaliter peccet, si per totum annum non confiteatur. Patet: quia nō obligatur legibus Canonicis à se latis. Nullus enim habet supra se iurisdictionem, neque alij Rom. Pont. quia par in parem non habet potestatem.

Ric. est. vbi supra ad 3.

CONCLVSIO.

Ratione vitandi scandali tenetur Papa, saltem semel in anno confiteri, esset enim alijs occasio ruinæ, præsertim cum teneatur aliquando publicè, vel communicare, vel celebrare, & tunc Diuino tenetur iure sacramentalem confessionem præmittere vt patet supra qō. 2. de Eucharistia.

Difficultas. A quo Sacerdos Papam absoluens facultatem habet?

Lege Magistrum Cano. in prælectione de pœnitentia parte 5. vbi affert tres opiniones; & prima est S. Tho. D. Bon. vbi supra quibus adhæsit Turrecremata de Potestate Ecclesiastica lib. 1. cap. 89. Secunda opinio est Paludani d. 19. q. 2. asserentis, habere authoritatem absoluēdi non à Papa, sed à Christo. Tertia est Caie. vbi supra S. Tho. ad primum dicentis: iurisdictionem, quam habet Sacerdos absoluendi Papam, nec esse à Christo, neque à Papa, vt dicit Paludanus; neque à Papa tanquam à superiore suiipsius, vt dicit communis opinio; neque ab Ecclesia, sed solum ex electione per hoc, scilicet, quod Papa se subijcit illi, illumque eligit. Est & 4. opinio, qua tenetur; quod quemadmodum in receptione ordinis datur quicunque simplici Sacerdoti potestas iurisdictionis respectu venialis, & mortalis, quæ pœnitens alias confessus est, & etiam respectu cuiuscunque peccatoris in articulo mortis; ita datur tunc iurisdictio eidem Sacerdoti absoluendi Papam.

Vbi sup. S. Tho

CONCLVSIO.

Quarta opinio est probabilior, & probatur antiquissima Ecclesiæ consuetudine. Nam à temporibus Apostolorum semper Papa confessus est sua peccata cuicunque Sacerdoti, tanquam Ecclesiæ ministro tenenti authoritatem à Christo Iesu, qui voce tenus hoc, quemadmodum & alia multa Apostolis declarauit.

Scot.d.17. q.1.

Difficultas. Qua ætate pueri ad confeßionem suorum peccatorum tenebuntur?

CONCLVSIO.

Quam primum scit puer, vel puella discernere inter bonum & malum, etiam ante 14. annum tenetur ad confessionem. Ratio est, quia ante 14. annum potest mortaliter peccare, & mortale non dimittitur, nisi per confessionem in re, aut in voto; quæ est ad salutem necessaria.

DVBIVM.

An pueris ante 14. annum, & puellis ante 12. poßit Eucharistia ministrari?

CONCLVSIO.

Si examinati penetrauerint; quanta cum reuerentia, & timore accedentum sit ad Eucharistiam, & quid sub speciebus illis lateat, maioremque dispositionem esse faciendam ad susceptionem Eucharistiæ, quam aliorum ciborum; poterit illam sumere. Ait enim B. Pau. iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini.

S.Tho.q.3. art. 4. vbi sup Sco. d.17. in solut. argumentorũ. Ric.art 2.q.4. Caie.verb.cõfes. conditione 11.

Difficultas. An mutus teneatur confiteri?

CONCLVSIO.

Tenetur per nutus & signa, communis est Theologorum sententia. Habet enim fidem actualem incarnationis non ex auditu, sed ex illustratione interiori S. S. qui nunquam deficit in necessarijs. Et ita eo modo, quo potest, ad confessionem tenebitur.

Alex. Alen.q. 77.m.5.art.9. reliqui d.17.S. Tho.q.9.ar 1. Sco.q.1.Ricar. art.2.q.5.

Difficultas. An qui non habet Sacerdotem sui idiomatis, teneatur per interpretem confiteri.

Non tenetur aliquis per interpretem confiteri. Ratio est, quia iugum Domini suaue est: atque ita neminem voluit ad confessionem eo modo faciendam obligare, vt pœnitentis peccata in publico iudicio probari possent.

Contrariam opinionem tenet Magister Cano. in relectione de pœnitentia parte. 5. vbi dicit in ar. mortis teneri ad confessionem per interpretem.

Ricar. est & B. Thom. d.17.

CONCLVSIO.

Si talis confessio fiat, erit sacramentalis. Cõfirmatur ex Cõc. Trid. Seß. 14. cap 5. vbi docetur; non esse de essentia confessionis, vt sit secreta, non enim prohibetur, quin aliquis possit publice confiteri.

Difficultas. An teneatur aliquis deficiente Sacerdote per Epistolam, vel per internuncium absenti confiteri.

CONCLVSIO.

Ric. est & Sco.

Nullus ad talem confessionem tenetur. probatur eodem modo

modo, quo prima concluſio proxima.

Difficultas. An ſi quis ita confiteretur, eſſet ſacramentalis confeſſio?

Paludanus d.17.& Adria. qō.1. de confeſsione ad 3. partem affirmatiuam tenent.

et cæterorum vbi ſupra. Alexan. Alen. vbi ſupra.

CONCLVSIO.

Talis confeſsio non eſſet ſacramentalis. Probatur ex Can. quem pœnitet de pœnitentia d. 1. & eſt B. Aug. vbi dicitur, præcepit Dominus mundatis, vt ſe oſtenderent Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata non per nuncium, non per ſcripturam manifeſtanda.

Sco. eſt d.17. et Caiet. in ſumma, verbo cōfeſsio: cōditione 11.

Difficultas. An habens tantum peccatum veniale teneatur ex præcepto Eccleſiæ ſingulis annis confiteri?

Duæ ſunt opiniones, vna affirmans & eſt Alex. qō. 77. D. Bon. & Ric. d.17. Altera negans Sco. d.17. q.1. ar.4. Adr. q.4. de confeſsione ad argumenta Gabr. eadem d. Caie. in additionibus ad 3. par. & in 3. p. q.65. art.2. ad 4.

Tenetur tamen, inquiunt, apparere coram Prælato, & dicere: gratias ago Deo meo, quod non ſum conſcius alicuius mortalis: vt paſtor vultum pecoris agnoſcat.

CONCLVSIO.

Nullus habens tantùm veniale tenetur ex præcepto Eccleſiæ ſemel ſingulis annis confiteri. Ratio eſt, quia illud præceptum Eccleſiaſticum de annua confeſsione, ſolum eſt quædam determinatio præcepti diuini quoad tempus; & cum præceptum Diuinum neminem obliget ad confeſsionem venialium (poſſunt enim ſine pœnitentia remitti, in Purgatorio, & remittuntur de facto) neque præceptum Eccleſiæ obligabit, & colligitur ex Concil. Trid. Seſſ.14. cap 5.

Difficultas. An qui tempore mortis loqui non poteſt, ſi generaliter confiteatur, oſtendens tunſione pectoris contritionis ſigna, ſit ſacramentaliter abſoluendus?

Ric. art.9. q.5.

Duæ ſunt opiniones. Prima Paludani d.21. q. 2. artic 4. dicentis: ſufficere generalem confeſsionem &c. quādo ſpecialis haberi non poteſt. Contraria eſt Abulenſis ſuper Matth.16. q. 79. tenentis generalem confeſsionem per nutus, & ſigna non ſufficere ad ſacramentalem abſolutionem.

CONCLVSIO.

Sola generalis confeſsio per nutus, pectus percutiendo, ſiue per verba, non eſt materia huius ſacramenti. Ratio eſt, quia ſicut in foro exteriori nullus, vt homicida, damnabitur quamuis generaliter ſe homicidam eſſe confiteatur, niſi aliquod peculiare homicidium probetur. Ita in foro animæ.

CONCLVSIO.

Quando aliquis præ maxima ęgritudine non poteſt peccatum exprimere, ſi fuerit in mortis articulo conſtitutus, optimum erit conſilium: vt Sacerdos aliquod peccatum particulare ab eo exquirat circa ſuum ſtatum illum interrogando, & ſi pœnitens per ſigna illud expreſſerit, poterit tunc ab omnibus peccatis illum ſacramentaliter abſoluere. Ratio eſt, quia habet iam confeſsionis, & abſolutionis materiam, & hoc modo intelligendus eſt Scot. diſt. 21. q. 4.

Difficultas. Quis præter prædictos ad confeſsionem teneatur?

CONCLVSIO.

Omnis vtriuſque ſexus fidelis cum ad annos diſcretionis peruenerit, tenetur proprio Sacerdoti peccata ſua confiteri expreſſè definita eſt in Conc. Lateran.

S. Thom. art. 6. q. 6. Ric. art. 9 q. 7. Dur. q̃o. 9

Difficultas. An poſsit Rom. Pont. in aliquo caſu diſpenſare ne aliquis per totam vitam ad confeſsionem teneatur?

CONCLVSIO.

Papa non poteſt diſpenſare cum aliquo, vt non teneatur ad ſacramentalem confeſſionem. Ratio eſt, quia confeſſio ſacramentalis in re, aut in voto eſt lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſaria, quemadmodum Baptiſmus. Et in ijs, quæ ſunt ad ſalutem æternam finalem neceſſaria, Papa non habet diſpenſandi poteſtatem.

CONCLVSIO.

Quamuis id non poſſit, poteſt tamen diſsimulare non compellendo per aliquod tempus ad confeſsionem, & hoc propter vitandum deterius malum, quod difficilius deſtrui poſſet: vt ſunt hæreſis & ſchiſma.

CONCLVSIO.

Poteſt tamen iuſta de cauſa diſpenſare cum aliquo, vt non teneatur ad annuam confeſſionem. Vt ſi fidelis viueret inter Saracenos, ne ſingulis annis ad terras fidelium veniret ad quęrendum confeſſorem, etiamſi poſſet.

Art. III. Quibus temporibus confeſſio ſit ſub præcepto?

Abſoluetur aliquod difficultatibus poſitis.

Alex. Alen. q. 77. reliqui. d. 17. D. Bon. art. 2. q. 2. S. Thom. art. 5. q 6. Ritar. art. 3. q. 6. Duran. q̃o. 10.

Difficultas. An homo cum primum mortaliter peccat, ſtatim iure Diuino confiteri teneatur?

Duæ ſunt opiniones. Præceptum enim confeſsionis obligat duplici iure Diuino, & Eccleſiaſtico. Et de Diuino eſt opinio Innocentij & Archidiaconi ſuper caput omnis vtriuſque ſexus, & Guilielmi Pariſienſis in tractatu de pœnitentia, qui tenent partem affirmantem.

Contra-

Contraria opinio eſt Theologorum ubi ſupra, & Adr.q.3.de confeſsione.

CONCLVSIO.

Nullus tenetur de iure Diuino ſtatim poſt peccatum commiſsum confiteri. Ratio eſt, quia præceptum confeſsionis eſt affirmatiuum.

CONCLVSIO.

Confeſsio in voto obligat iure Diuino, quandocunque cõtritio eſt ſub præcepto. Ratio eſt, quia contritio includit in ſe votum, id eſt, confitendi propoſitum, eſt enim altera pars pœnitentiæ, quale autem propoſitũ requiratur, ſupra explicatũ eſt. *Art.1.2.quæſt.*

CONCLVSIO.

Actualis confeſsio obligat, quando imminet certiſsimum periculum, vel mortis naturalis, vel violentæ. Articulus patet; quia eſt præceptum Diuinum confeſsionis, quod poſt mortem non poteſt impleri.

Hinc, qui ingreſſurus eſt ad bellum, & habet Sacerdotis copiam. & eſt conſcius mortalis, ſi ante congreſsum belli non confiteatur, mortaliter peccat; perinde qui non confitetur, quando imminet certiſsimum naufragium, vel quando aliquis ſcit mortis inſidias ſibi ab aduerſarijs parari. Notanter dicitur; quando imminet certũ mortis periculum. Vnde excuſantur à mortali mare ingredientes, & fœminæ partui proximæ; quia in mortis ar. poteſt aliquis virtute bullarum plenariè abſolui, quod non conceditur incipientibus nauigationem, aut fœminis parturientibus. *Vide 1.art. APPEN.*

CONCLVSIO.

Neceſsaria eſt ſacramentalis confeſsio, quando eſt accipienda Euchariſtia. Patet 1.ad Cor. probet autem ſeipſum homo &c. Vnde Conc. Trid. colligit præceptum Diuinum de cõfeſsione ante Euchariſtiam præmittenda, ſed de his ſupra de Euchariſt. contra Caieta.

CONCLVSIO.

Eſt etiam neceſsaria, quando Eccleſia determinauit confeſſionis tempus. Ratio eſt, quia ſi ſecluſo Eccleſiæ ſtatuto obligaremur ad confeſsionem in articulo mortis, aut ſemel in vita tantum: eſſet quidem ferè impoſsibile integrè confiteri præ nimia obliuione; quare etiam ſi Eccleſia tempus confeſsionis non determinaſſet, aliquoties cõfiteri iure Diuino teneremur. Nam illo etiam ad integram confeſsionem obligamur.

DVBIVM.

Si non eſſet ab Eccleſia determinatum tempus; quorum iudicio ſtandum eſſet? DVBIVM.

CONCLVSIO.

Episcopi, vel Papa essent consulēdi, si non haberemus generalem declarationem. Probatur Deut. 17 vbi ita præcipitur, si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, lepram & lepram, surges, & venies ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore. Vbi apertissimè docet S.S. consulendos esse Episcopos, quando dubium est, obligentne præcepta affirmatiua tunc, an non; & ita olim Fabianus Papa determinauit, vt cōfessio ter singulis annis fieret.

APPEN. Hinc collige, incepturum longā nauigationem, ita vt non possit intra tempus confiteri ab Ecclesia determinatum teneri ex præcepto confessionem anteponere.

APPEN. Obligatur etiam aliquis iure Diuino, quando imminet periculum carendi confessore necessario, quem nunc habet, & scit tempore confessioni determinato se non habiturū. V. g. habet aliquis casū Episcopo reseruatū, quem modò præsētem habet, at neq; cōfitetur illi, neq; petit ab eo authoritatē, & ratihabet, at neq; cōfitetur illi, neq; petit ab eo authoritatē, & ratione vitādi scandalū postea absente Episcopo est celebraturus, aut communicaturus, tunc tenetur iure Diuino confessionem præuenire. Nam vt Cathecumenus tenetur præuenire tempus Baptismi, si timet ministrum sibi defuturum, ita & hic tenebitur, quando non potest suo tempore fieri; illam præuenire, cum confessio sit necessaria ad salutem. Nota, certissimum periculum dici; quod frequentius contingit.

Alex. Alē. supr. in titulo, an cōfessio sit sub precep. D. Bona. & Ric. ibi. Scot. q. 1.

Difficultas, An præceptum annuæ confessionis obliget transgressores ad mortale?

Duæ sunt opiniones. Prima communis affirmans d. 17. Altera negans solius Dur. d. 17. q. 4.

CONCLVSIO.

Præceptum annuæ confessionis obligat ad mortale. Ratio est, quia est præceptum Diuinum quoad tempus indeterminatum, determinatum verò ab Ecclesia: vt semel singulis annis impleatur. Quare mortaliter peccat illud transgrediens. Quia Ecclesia non imponit confessionis præceptum, sed tantum declarat præceptum Diuinum de confessione semel singulis annis fideles obligare.

CONCLVSIO.

Præceptū Ecclesiæ de annua confessione non obligat præcisè in quadragesima sed potest quolibet anni tempore adimpleri. Patet; quoniam in Can. omnis vtriusq; sexus. Quemadmodum ieiunii, non ita & confessionis præcisum tempus definitur, sed solummodo dicitur, vt quilibet Christianus semel

semel singulis annis confiteatur.

Hinc, si quis extra quadragesimam confiteatur, non erit transgressor præcepti de annua confessione. APPEN.

Hinc, etiamsi quis mense Ianuarij confiteatur, & postea in Paschate non sumat Eucharistiam, erit reus tantum præcepti Eucharistiæ sumendæ. APPEN. *Hæc est can. s. parte de pœni & Soto d. 18. q. 1. art. 4.*

Difficultas. Qui non est confessus per integrum annum poterit differre confessionem vsque ad finem anni sequentis?

Id est, eritne extra statum salutis, donec confiteatur? Duæ sunt opiniones. Prima B. Antonini, qui dicit non teneri vsque ad sequentem quadragesimam. Secunda & contraria est Medinæ, Cod. De pœnitentia q. de confessione semel singulis annis agenda.

CONCLVSIO.

Qui non est in quadragesima confessus, est extra salutis statum, donec confiteatur. Patet, quia hoc sacramentum est necessarium ad salutem, & sub præcepto singulis annis. Quare donec impleatur, erit transgressor reus æternæ mortis. illud siquidem est ad iustificationē necessarium, sine quo nulli iustificatio contingit.

CONCLVSIO.

Qui non recipit Eucharistiam in die Paschatis, non tenetur vsque ad sequens Pascha illam recipere. Ratio est, quia præceptum recipiendi Eucharistiam non est ad salutem necessarium; quemadmodū Baptismus. Et confessionis præceptū.

Art. IIII. De integritate confessionis, déque eius materia

Absoluetur aliquod difficultatibus positis.

Alexā. Alen per totum hūc art. q. 77.

Difficultas.. Sitne veniale peccatum materia confessionis?

CONCLVSIO.

Venialia peccata materia confessionis esse possunt. Patet. Quia Leo decimus inter art. quos contra Lutherum damnauit, fuit ille, quo dicebat in primitiua Ecclesia manifeste mortalia solum tractata fuisse. Estque laudabilis Ecclesiæ consuetudo confitendi venialia, quæ maximam habet authoritatem Et habetur Sess. 14. cap. 5. Conc. Trid.

Caieta. q. 1 de confessione Vega lib. 13. cap. 30. super Concil. Trid. Alexan. Alē m. 2. art. 5. D. Bon. ar. 2. q. 1. Ric. art. 2. q. 4 ad 1. Scot. q. 1. dist. 17.

Difficultas. Sintne omnia mortalia peccata confessionis materia, ita vt peccet, qui illa non confiteatur?

CONCLVSIO.

Omnia mortalia peccata occulta, siue publica, orisque siue cordis, aut operis, sunt materia confessionis, necessarioq; confitenda. Ratio est, quia finis huius sacramenti, quod est iudiciū occultū, nō solum est, vt Deo fiat satisfactio, verumetiā, vt

Alexan. Alē m. 1. & 2. D. Bon. q. 2. & 3 Ric. ar. 3. q. 4. Scot. iqō. 1. vbi supra.

aut illi per hoc iudicium peccator reconcilietur. Et cum impossibile sit hominem ex parte Deo reconciliari esset enim tunc regni, & perditionis filius. impossibile profecto erit; vnũ peccatum sine alio remitti, & per consequens erunt omnia necessario confitenda. Nam Sacerdos, qui tunc iudex est, non potest causa ignorata absolutionis sententiam ferre. Fuit hæresis olim Vvicleff, & Petri de Osma asserentium prauas cogitationes sola contritione sine ordine ad claues absq; confessione in re, aut in voto deleri.

Hæresis.

Diffic. Suntne omnia peccata quantum ad numerum confitenda?

Alexan. Alẽ. m.5. art. 2. D. Bon. & Ricar loco citato & q.9. Scot. qõ.1 Duran. qõ.15.

CONCLVSIO.

Iure Diuino tenetur homo omnia, & singula peccata sua confiteri. Ratio est, quia Deus neminem absoluit nisi, quem Sacerdos absoluerit. Vt constat Ioan. 20. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. & cum neminẽ possit Deus de lege ex parte absoluere, neque Sacerdos poterit. E t vt integrè absoluat, præcedat integra confessio, necesse est. Iudex enim non potest nisi cognita causa iudicare.

CONCLVSIO.

Non tamen tenetur iure Diuino; nisi illa solum, quorum memoriam habet, confiteri. Definita est in Concil. Flor. expresse vbi ita legitur; Secunda pars pœnitentiæ sacramenti est hominis confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia sua peccata, quorum habet memoriam, integraliter confiteatur. Et ita intelligendum est Caput. omnis vtriusque sexus &c.

CONCLVSIO.

Iure Diuino ante confessionem mediocris saltem peccatorum inquisitio est præmittenda. Nam cum confessio integra sit de iure Diuino, & non possit quis integrè confiteri, nisi præuia suorum peccatorum recordatione, erit necessario talis inquisitio præferenda.

APPEN.

Hinc, si ante confessionem nulla, aut minima peccatorũ recogitatio præmittatur: confessio erit dimidiata per accidẽs, & nulla, quare prius excitare debet memoriam discurrendo multipliciter per Diuina mandata, per loca, tempora, negotia personas, cum quibus conuersatus est post vltimam confessionem. Hæc est.n. mediocris diligentia. Hoc Consilium est commune, præsertim Scot. d. 17. vbi ait: pœnitens in reuocãdis peccatis ad memoriam tantam adhibeat diligentiam, quãtam in negotio arduo solent homines adhibere.

CONCLVSIO.

Peccator non tenetur facere totum, quod efficere potest, ad

ad memoriam peccatorum conseruandam. Nam tunc, vel obligaretur quam primum peccaret mortaliter adscribenda peccata, & hoc non, quia constitueretur in periculo infamãdi se si scripturam amitteret, vel esset illi statim post peccatum necessario confitendum, quòd præstare non tenetur: quia vt semel in anno confiteatur præceptum est.

CONCLVSIO.

Peccatis in memoriam reuocatis tenetur pœnitens singula singulatim quando sunt diuersa specie cõfiteri: colligitur ex Conc. Latera. & Flor. vbi dicitur, peccator confiteatur omnia id est, singula peccata singulatim.

Hinc, quando peccata sunt eiusdem speciei, poterit pœnitẽs plura vnico actu confiteri dicens, qui decies blasphemauit, confiteor me decies blasphemasse, hoc enim modo singula peccata exprimet. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando pœnitens non est certus de numero peccatorum, satis est, vt probabilem numerum explicet: vt si dicat exẽpli causa; decies plus, minusue, hoc peccatum commisi: etsi postea recordetur duodecies peccasse, ad duo illa confitenda minimè tenebitur: quia in additione paulo plus cõtinetur: secus verò, si quater aut quinquies amplius se deliquisse recordetur.

Hinc aliquot appendices inferũtur. Prima vnusquisque tenetur singulas cogitationes, orisq. & operis peccata singula confiteri. APPEN.

Hinc, non satis erit dicere; fuit mihi cordi per mensem hominem interficere, desideratur enim vt exprimat, quoties illud de nouo proposuit, quoties cum aliis tractauerit, & quoties alios, vt sibi opem ferrent, induxit. APPEN.

Hinc, non opus erit consumi in inquirendo præcisum peccatorum numerum, vt sint. 19. an 20. numero cum satis sit, plus minusue addere. APPEN.

Hinc, si pœnitens, vt maiori numero minorem comprehẽdat, pluries dicat se aliquod peccatum perpetrasse, quam perpetrarit, & hoc ex industria: irritat confessionem, non autem si bona fide, cum sibi ita esse videatur. Ratio est, quia Deus à nobis minus, quam efficere possimus postulat. APPEN.

Diffic. Quid si peccatorum recordatio impossibilis esse videatur, vt si meretrix per triennium fuerit in loco publico, quomodo numerum exprimet?

CONCLVSIO.

Quando diuturna fuerit peccandi perseuerantia, tantaque frequen-

frequentia, quod difficillimum sit peccatorum numerũ memoria tenere, satis erit tunc confiteri, tempus quo in peccato perseuerauit vt meretrix biennio in lupanari posita debet ita confiteri: quotidie eram parata per biennium in loco publico, & sæpe opere, & cogitatione cum variis hominibus solutis, scilicet, & coniugatis peccaui &c. Ratio est, quia numerus peccatorum explicatur, vt intelligat Sacerdos pœnitentis statum, illumq. iudicare possit. Et si prædicto modo confiteatur nullo melius illius statum intelliget.

Caiet. est vbi supra.

CONCLVSIO.

Si pœnitens diutius perseuerauit in peccato, & numerum peccatorum memoriá tenere potest, ad numerum explicandũ obligabitur: vt qui per annum fuit concubinarius, & cum concubina, sicut cum vxore non vixit, facile poterit peccatorum numerum explicare.

APPEN. Hinc, facilius poterunt meritrices, lenones, vsurarij, latrones, & cæteri per longissimum temporis spatium in peccato perseuerantes sua peccata confiteri, quam cæteri Christiani: quia solum tenentur explicare tempus, quo in peccato fuerũt ad multitudinem peccatorum declarandam.

APPEN. Hinc, Dei misericordia erga nos declaratur: vt pote qui deterioribus hominibus tam facilem salutis viam præparauerit.

APPEN. Hinc, si spatio trium tantum dierum, ita fuit aliquis amore inebriatus, vt numerum peccatorum non recordetur: satis erit, vt se trium dierum spatio ita amore excæcatum fuisse, confiteatur.

APPEN. Qui confessus est tempus, quo in peccato perseuerauit etiã si postea numerum recordetur, non tenebitur illum confiteri. Iam enim integram confessionem fecit, qua cõfessor eius statum intellexit. Est autem cõfessoribus maior ratio de proposito non peccandi pœnitentis, quam de numero peccatorum habenda.

Alexã. Alen. q. 77. Soto m. 3. D. Bon. vbi supra qõ. vltima Ric. art. 3. q. 5. Caiet. in tractatu de Confessione. q. 7.

Diffic. An circunstantiæ, quæ peculiari præcepto non prohibentur, sint necessario confitendæ?

CONCLVSIO.

Circunstantiæ quæ neque augent, neque minuunt peccatorum malitiã, necessario confitendæ non sunt. Cùm enim nõ sint peccata, non sunt confessionis materia v. g. si quis interdiu aut noctu, gladio vel fuste hominem interficeret.

CONCLVSIO.

Circunstantiæ, quæ omnino peccatorum malitiam minuũt faciuntque esse veniale, aut nullum, si factum in confessione exprimatur, necessario sunt confitendæ, vt si quis accedat ad alie-

alienam. Quam inuincibiliter suam esse arbitrabatur, vel hominem ad sui defensionem interficiat. Ratio est, quia omittens huiusmodi circunstantias in confessione mortaliter peccat mentitur enim mortaliter, cum mendacium mortale confiteatur: nisi ignorantia excusetur.

Hinc, qui hominem per ignorantiam inuincibilem interimit, vel qui alienum in extrema necessitate rapit, si cõfiteatur factum, tenebitur talem circunstantiam exprimere. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando circunstantia non in tantum minuit peccatum, vt omnino tollat mortalis malitiam, prætermissio tamen illius esset causa, vt pœnitens apud confessorem infametur, tenebitur talem circunstantiam confiteri vt si puella metu mortis cõmisit stuprum, vel aliquis vt eleemosynam largiatur, furatus est alienum: tales circunstantiæ erunt exprimendæ, vt pœnitens suæ famæ consulat. Dicit enim scriptura: curam habe de bono nomine, nisi forte pœnitenti placuerit propter humilitatem suæ famæ, suoq. iuri cedere. *Ecclesiast. 41.*

CONCLVSIO.

Quando circunstantia peccati malitiam minuit, & non altero modorum secundæ, & tertiæ conclusionis: pœnitẽs illã confiteri minimè tenebitur: vt si dicat pœnitens, accessi ad pulchrã captus maxima pulchritudine. Ratio est; quia hæc circunstantia potius est peccati excusatio, quam accusatio.

CONCLVSIO.

Circunstantiæ mutantes speciem in genere mortis sunt necessario confitendæ; non autem quæ in genere naturæ. Ratio est, quia primæ prohibentur peculiari præcepto, non autem secundæ.

CONCLVSIO.

Circunstantiæ multum aggrauantes peccati malitiam intra eandem speciem necessario confitendæ sunt. Ratio est, quia Sacerdos debet applicare medicinam iuxta quantitatem morbi; vt constat ex cap. omnis vtriusque sexus, quod præstare non potest, nisi pœnitens circunstantiam notabiliter aggrauantem confiteatur. Nam si quis miles per annum simplicẽ fornicationem commisit cum vna tantum, iam tenetur illud exprimere, quia accessit ad illam, tanquam ad concubinam: estq. illi præcipiendum, ne cum illa familiare colloquium habeat. Quod quidem non esset imponendum, si semel, aut iterũ tantũ illam cognouisset, nisi se, quoties illã alloquitur, exponi periculo peccãdi mortaliter intelligeret. Hæc cõclusio est Alexan. quẽ sequũtur Soto, Cano, Medina oppositũ tenent S. Tho. D. Bon. & Dur, Sco. verò dicit, vtile esse illas confiteri.

Diffic.

Alex. Alen. vbi supra.

Diffic. An circunstantia diei festi sit necessario confitenda?

Duæ sunt opiniones. Prima modernorum, qui tenent partem affirmantem. Secunda S. Thom.

CONCLVSIO.

Qui die dominico fuit fornicatus, vel aliud flagitiū commisit, non tenetur hanc circunstantiam confiteri, non enim præcepta diuina secundum sensum spiritualem, sed secundum literalem tantum obligant.

Difficultas. An quodlibet peccatum in loco sacro commissum speciem mutet?

CONCLVSIO.

Circunstantia loci sacri solum mutat speciem, quando est peccatum furti, vel fornicationis, vel violenta sanguinis effusio. Ratio est, quia hæc tria duntaxat peculiari præcepto canonico prohibentur: in reliquis tamen est consideranda circunstantiæ grauitas. Nam si fuerit scandali causa &c. tūc erit confitenda.

Diffic. An circunstantia stupri sit necessario confitenda?

V. G. confitetur virgo, seu vir, qui neque fornicatione, neq; pollutione honestatem fregit: tenebiturne hic libidinosas cogitationes confitendo dicere se virginem esse? idem, quæritur de eo, qui concupiscit virginem, atque etiam primo actu, quo vir aut fœmina virginitatem perdidit. Magister Soto affirmat in peccato cogitationis non esse necessarium stupri circunstantiam confiteri: at verò in actibus exterioribus bonū esse, si per fornicationem virginitatem amiserit. Contraria opinio est communis d. 17.

dist. 18. q°. 2. artic. 4.

CONCLVSIO.

Circunstantia stupri tam cogitationis, quam actus est necessario confitenda. Probatur: idem Soto affirmat circūstantiam notabiliter aggrauantem esse necessario confitendam. Quamobrem cum stupri circunstantia notabiliter aggrauet libidinis peccatum, erit siue cogitatione, siue opere, à fœmina, siue à viro necessario confitenda, quod intellige, nisi confessor statum fœminæ nouerit, vt in monialibus, quæ si fuerit corrupta; non est necessarium hoc exprimere, cum sit circūstantia minuens: neque si fuerit virgo, huius enim status hoc satis indicat.

Diffic. An pœnitentem ex ignorantia prætermittentem aliquod peccatum teneatur Sacerdos illud sciens illustrare; vt pœniteat, & confiteatur?

CONCLVSIO.

Quando pœnitens ignorantia iuris, aut facti laborans inquirit

quirit ratione scrupuli confessoris iudicium, in tali casu tenetur Sacerdos veritatem manifestare. Nam si veritatem prætermittat nil respondendo erit causa, vt pœnitens in aliquo errore constituatur; si vero mentiatur; peccat mortaliter. V.g. si mulier, quæ sciens nupsit consanguineo intra 4. gradum ignorans, hoc esse ab Ecclesia prohibitum, requirat confessoris iudicium; tunc etiam si sciret scandalum, siue peccatum oriturum, tenebitur veritatem declarare.

CONCLVSIO.

Pœnitens culpabiliter ignorans, quæ ad fidei articulos pertinent, vel aliquod decalogi præceptum, necessario est à confessore, etiam non rogato illustrandus: vt, si fornicationem simplicem peccatum mortale esse nesciat. Ratio est, quia omnis Christicola tenetur credere saltem implicitè quicquid Ecclesia credit, & omnia præcepta Decalogi scire, quorum obseruantia est ad salutem necessaria.

CONCLVSIO.

Quando pœnitens laborat ignorantia inuincibili iuris, vel facti eorum, quæ non omnes scire tenentur, si Sacerdos se nihil profuturum arbitretur docendo, non tenebitur illum edocere. V.g. nupsit fœmina consanguineo intra quartum gradũ, vel quia ignorabat tale matrimonium esse prohibitum, quæ est ignorantia iuris; vel quia consanguinitatem, siue affinitatem nesciebat: si Sacerdos nihil se profuturum arbitretur, reticere tenebitur. Ratio est, quia talis ignorantia laborans non peccat. Etsi illuminetur; forte peccabit. Propterea quod aut non petet dispensationem, aut dum petit ad non suam accedet.

Si Sacerdos nouerit aliquam mulierem nubere proprio fratri occulto & adulterino, & sine scandalo separari non posse: illos docere minimè tenebitur. Verum de his in flosculis 2. lib. de ignorantia latius. APPEN.

Difficultas. Quid si pœnitens prætermittat aliquod mortale peccatum non ex ignorantia inuincibili; sed ex obliuione; eritne à confessore admonendus?

Duæ sunt opiniones. Vna negans Medinæ Codice de pœnitentia. Altera affirmans Caieta. in summa verbo. Interrogationes confessorum.

CONCLVSIO.

Non est de essentia sacramenti, vt Sacerdos interroget pœnitentem, quem credit, in reuocandis peccatis ad memoriam debitam adhibuisse diligentiam. Quia interrogare peccatum oblitum, neque ad cõfessionis integritatem; neque ad absolu-

 tionem,

tionem, & eiusdem peccati remissionem est necessarium. Peccatum enim oblitum, vt sæpe diximus, per gratiam sacramentalem remittitur.

CONCLVSIO.

In casu huius difficultatis confessor non interrogando pœnitentem mortaliter peccat: quia cum sit iudex, non potest iustam ferre sententiam, si ex negligentia interrogationum circunstantiæ necessario confitendę omittantur. Dicitur enim in cap. omnis vtriusque sexus, confessor diligenter inquirat peccatoris, & peccatorum circunstantias, quibus prudenter intelligat; quale debeat consilium & remedium adhibere.

Art. de casibus reseruatis explicandæ sunt tres difficultates?

Prima, an pœnitens habens casum reseruatum, si prius inferiori, quam superiori confiteatur: teneatur etiam superiori peccatum, cuius absolutio fuit reseruata, confiteri.

Secunda, si iste prius ad superiorem accedat, poteritne ille sola peccata reseruata confiteri, & postea inferiori reliqua.

Tertia, quomodo inferior aut superior in tali casu poterunt pœnitentem absoluere, quin cadat super omnia peccata absolutio.

Duran. d.17. q. vlt 4. adducit quatuor opiniones, quarum Prima dicit, pœnitentem teneri bis integrè confiteri, primo inferiori, qui auditis omnibus eius peccatis reseruatis, & non reseruatis, debet illum ab omnibus absoluere, & iterum superiori integrè confiteri, qui illum vel absoluet, vel ad absoluendum inferiori remittet. Prima pars est erronea contra Concil. Trid. Sess. 14. Can. 11. vbi habetur: si quis dixerit, reseruationem non prohibere, quo minus Sacerdos à reseruatis vere absoluat, anathema sit. Secunda pars est falsa. quia Deus nunquam aliquem bis ad duas integras eorundem peccatorum confessiones obligauit.

Secunda opinio asserit teneri ad integram confessionem reseruatorum, & non reseruatorum inferiori faciendam, à quo sacramentaliter est etiam à reseruatis absoluendus: hac lege, vt postea coram superiore compareat, non vt ab illo absoluatur, sed vt vultum pecoris agnoscat, cui debet sola peccata reseruata manifestare. Prima pars huius opinionis est contra Concil. Trid. modo citatum. Secunda est condemnata ibidem Can. 11. vbi ita definitur. Si quis dixerit, Episcopos non habere sibi casus reseruatos, nisi quoad politiem exteriorem, anathema sit. Hæc est Adri. vbi supra. qui existimat pœnitentem habentem casum reserpatum, si sacramentaliter ab inferiori absoluatur, postea à superiori non absolui sacramentaliter.

Adri. caute legendus.

Tertia

Tertia opinio tenet: peccatorem in Deum, & in Ecclesiam peccare, & ab inferiori absolui sacramentaliter quoad Deum: à superiori verò, cui tenetur reseruata tantum manifestare, absolui solum quoad Ecclesiam, non sacramentaliter. Vtraque pars huius opinionis etiam est erronea, vt constat ex Conc. modo citato, & infra etiam dicetur.

Quarta opinio defendit, posse pœnitentem confessionem dimidiare, sola reseruata superiori confitendo, & non reseruata inferiori. Hanc sequuntur Caiet. in summa, verbo Confessio cap. de Condit. condi. 10. & Soto. in 4. d. 18. q. 2 ar. 5. quibus contradicit Magister Cano. in relectione de pœnitentia parte 5. de casibus reseruatis agens. His additur. Quinta opinio S. Tho. D. Bon. Ric. d. 17. qui tuentur, pœnitentem obligari ad integram confessionem, si prius inferiori confiteatur, à quo debet absolui à nō reseruatis; & remitti ad superiorem, à quo erit à solis reseruatis sacramentaliter absoluendus.

CONCLVSIO.

Quando casus habet annexam excommunicationem, si pœnitens inferiori prius confiteatur; & tenetur casum reseruatum confiteri, à quo nullo modo erit à non reseruatis sacramentaliter absoluendus, donec superior, à censura absoluat, vel absoluendi authoritatem inferiori concedat. Ratio est, quia excommunicatio maior priuat à receptione Sacramentorum. Vt in cap. si celebret de presbytero excommunicato celebrante definitur. Vnde non erit absolutionis sacramentalis capax, donec per superiorem ab excommunicatione absoluatur.

CONCLVSIO.

Si pœnitens habens casum reseruatum, cui est excommunicatio annexa prius ad superiorem accedat, solum casum reseruatum confiteri tenebitur: à quo superior non sacramentaliter, sed à vinculo tantum excommunicationis illum absoluet. Talis enim confessio non est sacramentalis, sed iudicialis tantum à vinculo excommunicationis, qua quidem absolutione obtenta pœnitens illud peccatum simul cum alijs inferiori tenetur confiteri: vt ab omnibus sacramentaliter absoluatur. Nam sublata censura per absolutionem superioris, talis casus nō est amplius reseruatus, atque hic est mos, & cōsuetudo Romanę Curię, vt Durā. & Cano. vbi supra affirmāt.

CONCLVSIO.

Si pœnitens habeat reseruatum casum, cui non est annexa excommunicatio & prius coram superiori compareat, tenebitur integrè confiteri, & superior audire illius confessionē, vel authoritatē cōcedere, aliter enim cōfessio esset nulla, quia

 integri-

integritas confeſsionis eſt de iure Diuino: atque ita præſente ſufficiente confeſſore, qualis eſt ſuperior, non poterit pœnitens confeſsionem dimidiare. Hæc eſt Dur. Adria. & Cano. contra Soto. & Caiet.

CONCLVSIO.

Fere communis eſt.

Quando caſus reſeruatus non habet reſeruatam cenſuram, ſi pœnitens abſente ſuperiore inferiori confiteatur: integrè confiteri tenebitur. Patet: quia integritas confeſsionis eſt de iure Diuino, & pœnitens habet præceptum integrè confitendi eidem Sacerdoti, quando nulla ſubeſt iuſta cauſa dimidiandi confeſsionem: vt in hoc loco, vbi nulla eſt cauſa.

CONCLVSIO.

Si ſuperior eſt præſens prius eſt authoritas poſtulanda, quã pœnitens abſoluatur. Si verò ſit abſens, hac lege, erit abſoluendus, vt habita opportunitate ſuperiori confiteatur: vel ab illo authoritatem poſtulet. Ratio primæ partis eſt; quia quando ſuperior eſt præſens, nulla ſubeſt cauſa diuidendi abſolutionem: atque ita expectanda erit ante abſolutionem ſuperioris authoritas. Secunda pars etiam cõſtat, quia in abſentia Prælati non habetur copia confeſſoris quantum ad abſolutionem caſuum reſeruatorum; & habetur quantum ad non reſeruatos. Vnde poterit à non reſeruatis abſolui, vt diximus. S. Tho. eſt d. 17. 4. Ric. ibidem contra Dur. eadem d. & Adria. materia de caſibus reſeruatis.

Limitanda eſt hæc concluſio, vt intelligatur ſolum in caſu neceſsitatis: quando pœnitens neceſſario propter vitandum ſcandalum communicare, vel celebrare debet, & ſecundo, quando caſus nõ habet annexam excommunicationem. Nam ſi haberet; eſſet prius à ſuperiore, quantumuis abſente abſoluendus, niſi in mortis articulo, vel in aliquo caſu, de quo infra de excommunicatione, vt ſi aliquis occulte eſſet Papali excommunicatione ligatus, etſi non celebraret, ſequeretur ſcandalum: poſſet ab inferiore lege prædicta abſolui.

Difficultas. Si pœnitens obtenta authoritate à ſuperiori fecerit confeſsionem irritam, & ſi ficti confeſſus ſit, tenebiturne iterum authoritatem petere?

Vide Sylu. verbo Cõſi. primo §. 19 Adria. in materia caſuũ reſeruatorum idem tenet.

CONCLVSIO.

Non tenetur authoritatem iterum ad abſolutionem petere. Ratio eſt, quia authoritatem concedere, eſt caſum reſeruatum non reſeruatum facere, & pœnitentem legitimam, vel illegitimam confeſsionem facere: non reuocat authoritatem ſemel à ſuperiore conceſſam.

APPEN. Hinc conceſſa ſemel à prælato authoritate ſubditis, omnia

peccata illuc usque commissa desinunt esse reseruata, quamuis subditus ab illis non absoluatur.

Adrianus ibidem dicit; simplicem Sacerdotem, id est, carentem authoritate superioris ad audiendas confessiones posse à casu reseruato oblito post semel concessam authoritatem absoluere. quod est falsum. Nam licet possit à venialibus absoluere, & à mortalibus debitè olim confessis, non tamen ab oblitis, quæ nunquam in confessione manifestata fuerunt. *Adri. caute legendus.*

Difficultas. Si superior nolit authoritatem concedere, tenebiturne pœnitens illi confiteri?

CONCLVSIO.

Haud dubie tenebitur. Dicitur enim in cap. omnis utriusque sexus teneatur confiteri proprio Sacerdoti: quod si alieno voluerit cōfiteri, petat prius, & obtineat à proprio authoritatem, cum alias non valeat absolutio, & cum proprius Sacerdos respectu casus reseruati sit solus superior, sine huius licentia petita & obtenta absolutio erit nulla, quamobrem illi confiteri tenebitur.

Difficultas. Quando absolutè prælatus authoritatem concedit, intelligeturne de reseruatis tantum ante commissis, vel etiam de committendis intra spatium à superiote concessum?

CONCLVSIO.

Extenditur etiam ad cōmittenda intra spatium concessum. Ratio est, à simili in concessione bullarum: vbi authoritas casuum reseruatorum de commissis & committendis intelligitur. Quare similiter quando conceditur authoritas ad tempus, nisi aliud à superiori prælato exprimatur.

Difficultas. Si Papa concesserit authoritatem à reseruatis facienti omnia, quæ in Iubileo continentur, si pœnitens v. g. feria sexta non ieiunauit, vt tenebatur, valebitne reseruatorum absolutio, ante feriam sextam facta?

CONCLVSIO.

Valebit absolutio non reseruatorum quoad remissionem culpæ, quia fuit verum sacramentum: nihilominus pœnitens tenebitur iterum authoritatem obtinere. vt à reseruatis absoluatur. Ratio est, quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, & non amplius. Et hæc authoritas fuit hac conditione concessa, vt pœnitens faceret omnia, quæ in Iubileo continebantur. Confirmatur, nam Romanus Pontifex rogatus, an ille, per quem stetit, quominus in iubileo cōtenta impleretur

esset absolutus: non esse absolutum responderet.

Difficultas. Qui in articulo mortis, vel propter aliud impedimentum fuit à censura, vel excommunicatione Papa, vel alicui superiori reseruata absolutus, cessante illo articulo, siue periculo, tenebiturne iterum coram superiore comparere?

CONCLVSIO.

Tenebitur cessante tali articulo, vel impedimento, vt pro excommunicatione satisfaciat: sin minus, redibit excommunicatio. Definita est in cap. eos qui, de sent. excommunicat. in 6. & animaduerte; hanc conclusionem ad alios casus reseruatos non extendi quia cum sit constitutio pœnalis, non est applicanda.

Difficultas. Poteritne alius à Rom. Pont. in foro conscientiæ à censuris, sedi Apostolico, & casibus cœnæ Domini, & à crimine hæresis hodie absoluere?

CONCLVSIO.

Poterunt modo Episcopi ab omnibus casibus Papæ reseruatis, dummodo sint occulti, absoluere. Definita est in Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6. his verbis: liceat Episcopis. Et infra in quibuscunque casibus occultis & in foro conscientiæ gratis absoluere &c. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantum, & non eorum vicarijs sit permissum hęc Concil.

APPEN. Hinc, ab excõmunicatione propter hæresis crimen soli Papæ reseruata, à qua etiam per bullas Cruciatæ nullus, præter Inquisitores, olim poterat absoluere, hodie (si tamen crimen fuerit occultum, ita vt non possit in iudicium deferri) Episcopi, & non eorum Vicarij, qui modo in Ecclesijs Cathedralibus Pœnitentiarij dicuntur, absoluere poterunt.

D. Bon. dist. 21 art 1. q. 1. Duran d. 16 q. 4. Caiet. ver. cõfessio. cõditione 10. Adr. in materia cõfessionis. Cano in 5. p. de pœnitẽt

Difficultas. Quando ex confessione alicuius peccati timetur malum aliquod pœna, vel culpa poteritne pœnitens illud peccatum calare?

Nota primum, quatuor possunt à pœnitente timeri: vel reuelatio certi peccati, vel ruina confessoris, vt si puella taceat turpes cogitationes ne præbeat Sacerdoti illam sollicitanti sacrilegij occasionem, vel mors aliena, vt si pœnitens accessit ad sororem confessoris pœnitentis consanguineam, ex cuius circunstantiæ confessione timet ne soror dicta agnoscatur, & interficiatur, vel quarto infamia participantis in peccao, vt si pœnitens accessit ad matrem propriam, vel sororem confessori notam.

CON-

CONCLVSIO.

Pœnitens qui potest confiteri alieno Sacerdoti, peccat mortaliter, timens aliquod ex quatuor detrimentis positis, si proprio confiteatur. Ratio est, quia si confitetur illud proprio mortaliter peccat. Potuit enim, & tenebatur tale periculum alieno Sacerdoti confitendo vitare; si autem illud taceat peccat quoque mortaliter, quia sine causa confessionem, quam potuit integram facere dimidiat, potuit enim ex licentia proprij, vel priuilegio superioris alieno confiteri.

CONCLVSIO.

Quando pœnitens non habet facultatem confitendi alieno, nec potest illam à proprio, vel à superiore obtinere, si sit tunc temporis confessio sub præcepto (& non alias; quia neque est celebraturus, neque communicaturus) vel quia esset scandalum non confiteri; in tali euentu tenetur peccatum, ex cuius confessione timetur, vel reuelatio, siue mors proprii, vel alterius, cælare. patet, quia præceptum de vitando in alio peccatum est naturale diuinum, præceptum verò de integra confessione est diuinum tantum, atq; ita in tali casu magis illud, quam hoc obligabit cum sint incompossibilia, & quia non habet copiam sufficientis confessoris. Nam extra casum necessitatis, quando confessio non est sub præcepto insufficienti confessori non est confitendum, & tunc non est sufficiens cōfessor respectu illius peccati, ex cuius confessione scandalum, aut aliquis casus ex superioribus timetur, atque ita tale peccatum erit cælandum. Nullus enim à confessione integra excusatur nisi in casu necessitatis. Communis est DD. sent.

S.Tho. Syluest. verbo. cōfessi. 1. §. 18. Caiet. vbi supra.

CONCLVSIO.

Quando timetur ex confessione pœnitentis confessoris ruina, si confessor erat iam ad peccandum paratus: non erit tale peccatum in confessione cælandum, si enim Sacerdos proprius iam puellam sollicitauit, quam peruertere non potuit; non erit illi causa ruinæ puella libidinosas postea cogitationes confitendo, atque ita non erit tale peccatum in confessione silentio inuoluendum.

CONCLVSIO.

Quando ex manifestatione alicuius peccati sequitur magna participantis, quem confessor bene nouit, infamia; tale peccatum erit prætermittendum. Ratio est, quia præceptum confessionis est tantum diuinum, præceptum verò, quo participantis in crimine infamia prohibetur est diuinum, & naturale, & est præceptum iustitiæ. quare ambobus concurrentibus potius secundum, quam primum obligabit. Est autē D. Bon. consiliū notandum, scilicet, quādo ad peccatū vitandū

Caiet. & Can. est contra cōmunem.

S.Tho. & Dur. d.16. D.Bona. dist.21.

expedit doctorem aliquem consulere, tunc integrum erit, peccatum alienum extra confessionem detegere. Ratio est, quia propria salus spiritualis est conseruanda, & famæ alienæ anteponenda v.g. si puella non posset se ab importunis; Episcopi precibus liberare, tunc integrum illi erit Episcopi peccatum, etiam cũ illius infamia causa petendi consilij detegere.

Difficultas. Quando Sacerdos, & pœnitens sunt contrariæ opiniones, tenetur Sacerdos illum absoluere?

Quando pœnitentis opinio est probabilis, etsi Sacerdotis opinio probabilior sit: Sacerdos illi absolutionem neque debet negare, nec potest. nunquam enim absolutio neganda est nisi propter mortale peccatum, & pœnitens illam tenendo non peccat.

S. Thom. tota quæst. 10.

Art. V. Quinam sunt sacramentalis confessionis effectus?

CONCLVSIO.

Confessio ut est pars, vel quasi pars sacramenti pœnitentiæ & peccata remittit, & ut causa moralis, non verò vt instrumentalis, gratiam ex opere operato confert. Ratio est, quia sacramentum nihil aliud est, quam partes illius simul sumptæ. Vnde cum confessio sit pars sacramenti pœnitentiæ confert gratiam, vt dictum est. notanter dicitur; vt causa moralis, non vt instrumentalis, quia confessio præcedit tempore peccatorum remissionem, & sacramentalem gratiam, nõ enim gratia tempore confessionis, sed absolutionis datur, & causa instrumentalis simul cum suo effectu est. ut Arist. 2. Physi. docuit, oppositũ tenet Soto in 4. d. 18. q. 2. ad 5. quod autẽ vt causa moralis operetur, constat, nã causa moralis est, quia mouet principalem efficientem ad operandum, qualis est confessio, quatenus est pars sacramenti, nam mouet Deum Opt. Maximum, vt virtute passionis Christi gratiam confitenti donare dignetur.

CONCLVSIO.

Confessio hæc in voto non ex opere operato, sed operantis dicitur esse, & remissionis peccatorum, & gratiæ causa. Ratio est, quia per contritionem remittuntur peccata, & confessio in voto pars contritionis est.

S. Tho. q. 9 art. 4. Ricar. d 17. artic. 3. q̃o. 9.

Art. Quænam sunt bonæ confessionis conditiones & quot numero?

CONCLVSIO.

xvi sunt quæ his distichis continentur. Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis. Atq; frequens, nuda, discreta, libens, verecunda, Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata, Fortis, et accusãs, & sit parere parata. Ex his omnib' quatuor cõditiones sunt

sunt de essentia confessionis. Prima, vt sit accusans, non excusans, nisi sit circa aliquam circunstantiam minuentem peccati malitiam, vt supra diximus. Secunda, vt sit integra, vt ex superioribus constat. Tertia, vt sit nuda, id est, ne verborũ ambitu obscuretur, vt à Sacerdote circũstãtiæ necessariæ percipiãtur. Quarta est parere parata, scilicet, quoad satisfactionẽ, & restitutionem. Reliquæ conditiones ad decorem tantum confessionis pertinent, de quibus copiosè Caiet. in summa verbo confessio, & Soto in 4. d.18. q.2.art.2.disputant.

Art. Quando erit reiteranda confessio?

Articulus absoluetur nonnullis difficultatibus positis, quibus variæ causæ ob quas confessio est reiteranda explicabuntur. DD.d.17.Ric. art.2.q.8. Duran. q°.13.

Diffic. An Quando pœnitens ex malitia non integrè confitetur, confessionem reiterare teneatur?

CONCLVSIO.

Quando confessio rationabilem ob causam dimidiatur reiteranda non est, vt in 4. casibus 4. ar. de confessione dimidiata diximus. Ratio est. quia confessio non dimidiatur tunc, quando non habetur sufficiens cõfessoris copia, vt in casibus illis positis pœnitens non integrè confitetur.

CONCLVSIO.

Quando ex malitia pœnitens aliquod mortale peccatũ prætermittit, non integrè confitetur, & confessionem illam cum sequentibus ex quo peccatum fuit prætermissum reiterare tenetur. Ratio est, quia cõfessio integra est materia huius sacramenti. Vt definitum est in Conc. Flor. vbi habetur, materiam esse omnium peccatorum confessionem, quorum pœnitens memoriam habet.

Idem est iudicium, quando ex verecuudia, siue malitia omittit veniale, quod mortale esse arbitrabitur; quoniam tunc peccat mortaliter. Nam agit contra conscientiam, atque ita confessio est mala. APPEN.

CONCLVSIO.

Si pœnitens eidem confessori, cui dimidiata facta est confessio; postea confiteatur satis erit malitiam dimidiationis, & peccatum prætermissum confiteri. Ratio est, quia non est de essentia confessionis, vt confessor tempore absolutionis omnium peccatorum recordetur, præsertim cùm imposuerit iam peccatori pœnitentiam.

n 3.

Intelligenda est conclusio dummodo postea non fuerit alteri confessus, tunc enim illa peccata etiam confiteri tenebitur est etiam intelligenda, dummodo confessor tempore reitera- limitatio.

tionis sit legitimus, sicut fuit confessionis tempore.

Hinc si post biennium confessio reiteretur, & iam confessor non habet authoritatem, erit quærendus alius. cui integrè confiteatur.

Durã. d.17.q. 15. reliqui vbi supra.

Diffic. An confessio ex negligentia dimidiata sit reiterãda?

CONCLVSIO.

Ric. et Adr. est

Accedens ad confessionem nulla prorsus facta peccatorum recogitatione peccat mortaliter, & illam reiterare tenebitur. Ratio est, quia dimidiata est ex negligentia latissima, quæ dolo, & malitiæ æquiualet.

CONCLVSIO.

Adria est

Quando pœnitens aliquam diligentiam adhibuit, licet non exactam, si illam confiteatur: non erit reiteranda confessio quia aliqualis diligẽtia in recogitandis peccatis, & Sacerdotis, examinatio integram confessionem efficiunt.

CONCLVSIO.

Adria. est.

Quãdo cõfessio est sub pręcepto, & in periculo mortis pœnitens cõstitutus spatium recogitãdi non habet, si tunc cõfiteatur; & si postea superuixerit ad cõfessionẽ reiterandã nõ obligabitur, quia in tali casu à peccatorũ recogitatione excusatur.

Ric. ab Adri. vbi supra.

Diffic. Quando ex ignorantia dimidiatur reiteranda est?

CONCLVSIO.

Quando pœnitens prætermittit aliquod peccatum mortale invincibiliter ignorans esse mortale, non est confessio reiteranda. Ratio est, quia cum non peccauerit, peccatum invincibiliter ignoratũ committens; ad eius confessionẽ nõ tenebitur.

CONCLVSIO.

Quando peccatum prætermittitur ex ignorantia culpabili confessio est reiteranda. Ratio est, quia confessio fuit non integra ex parte pœnitentis, atq; ita sacramentum fuit nullum. De ignorantia autem quando à peccato excusat, in flosculis supra 2. lib. sent. inuenies.

APPEN.

Hinc, qui non est confessus fornicationẽ simplicem tenetur reiterare confessionem, quia ignorãtia culpabili mortale esse ignorabat. Adria. est vbi supra, & oppositum tenet Cano. de pœnitentia parte 2.

S.Tho. d.17.q. 9.art.1.Caiet. q.5.de Cõfessione & verb. Absolutionis impedimenta Cano. p.5. de pœniten. Scot. d.18.q.3.Adr. q.5.de pœnit. dubio 5.

Difficultas. An confessio informis sit reiteranda?

V.G. quando fit à ficto pœnitente, qui vel non habet dolorem, vel si habet, efficaci tamen proposito remouendi peccatorum occasiones caret. Duæ sunt opiniones: Prima affirmãs S.Tho. Soto, Cano. hi omnes affirmant; aliquã esse reiterandam, aliquam verò non. Contraria opinio est Adria. scilicet, quando sacramentalis absolutio non sortitur suum effectum, sacramentum esse nullum, & ex consequenti reiterandam.

CON-

CONCLVSIO.

Quando nullum habet pœnitens peccatorum dolorem, vel si habet, caret tamen proposito deferendi statim peccata, cōfessio est omnino reiteranda. Communis est opinio, & oppositum erroneum; quoduis enim sacramētum materia deficiēte est nullum, at perinde confessio cum careat dolore, vel proposito prædicto caret materia, & ex consequenti est nulla.

Hinc, omnes confessiones meretricum, vsurariorum, concubinariorum, & eorum qui vltionem iniuriarum quærunt, sunt etiam reiterandæ. Nam licet habeant dolorem, tamē cōfessionis tempore in statu peccati perseuerabant. APPEN.

Hinc, quia sua peccata tanquā historiā quandā in cōfessione narrēt, sine dolore præcedēte, vel cōcomitante non verè cōfitētur, & confessionē reiterare tenētur, nā deficit materia. APPEN.

CONCLVSIO.

Qui habent attritionem propter metum gehēnæ, ita quod si gehennam non timerent, peccarent; confessionem reiterare tenentur. Ratio est, quia cum illa attritio sit peccatum non poterit etiam mediante sacramento esse dispositio ad gratiam.

CONCLVSIO.

Quando pœnitens habet aliquam peccatorum detestationē quia fortassis solum ob pœnas temporales, vel propter infamiam, vel quia amisit aliqua bona temporalia dolet, simulq. habet inefficax propositum cauendi peccata, atque hoc ad sacramentum sufficere, & ad nihil amplius obligari arbitratur; tunc gratiam sacramentalem non consequitur, licet verum recipiat sacramentum: ita vt ad reiterandam confessionem nō teneatur. in hoc sensu est vera opinio B. Thom. & ita à Soto declaratur, & patet conclusio, quia talis pœnitēs propter propositum inefficax est fictus, atque ita non consequitur gratiam, nam Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, si enim verè pœniteret, efficaciter cauere peccata proponeret. Quod autem verum recipiat sacramentum constat. alio quia enim si tale propositum cum ignorantia ad hoc non sufficeret; semper deberemus omnes confessiones præteritas reiterare, quia nullus, qualem habuerit in illis confessionibus dolorem, qualeue propositum, recordatur. Notanter dicitur, in conclusione, si opinatur hoc ad sacramentum sufficere quia si suæ indispositionis est conscius, & illam confitetur, non erit absoluendus, & Sacerdos illum absoluens erit sacrilegus; si illam non confiteatur erit confessio dimidiata, & reiteranda. Quamobrem, vt ab obligatione reiterandi confessionem liberetur, vt non sit suæ indispositionis conscius, desideratur. *Cauere.*

Dis-

Ver. Absolutionis impedimenta et ver. Confessionis iteratio.

Diffic. An pœnitentiæ sacramentum fictione per contritionem recedente suum & Baptismus sortiatur effectum?

Duæ sunt extremæ opiniones. Prima Caie. vbi hanc excellentiam Baptismi omnibus sacramentis tribuit Cano. parte 5. de pœnitentia soli Sacramento pœnitentiæ illam concedit. Contrariam defendit Soto.

dist. 18. quæ. 3. artic. 3.

CONCLVSIO.

Pœnitentiæ Sacramentum fictè receptum si tunc fuit validum: omnem suum effectum sortitur, cum primum per generalem contritionem fictio deletur. Ratio est, quia cum pœnitens non teneatur habere propositum confitendi iterum illa mortalia peccata, quæ fictè confessus fuerat: quia sacramentum fuit validum, vt in prima difficultate diximus, profecto peccata illa habita ratione ad confessionem, aut ad absolutionem præteritam per generalem contritionem remittentur, atque ita recedente fictione suum sortitur effectum.

D. d. 17.

Difficultas. Qui ficte in quadragesima confitetur, & à Sacerdoto non absoluitur, excusabiturne à precepto Ecclesiæ de annua confessione?

Duran. q. 13. et. 14. Adria. q. 5. d. Confessio Medin. c. de pœnit. Soto vbi supra.

Duæ sunt opiniones. Communis partem affirmantem defendit. Contraria opinio est Duran. Adria. Medinæ. Codice de pœnitentia. Idem videtur sentire Soto.

CONCLVSIO.

Qui tempore quadragesimæ est impœnitens, si Sacerdoti omnia peccata sua confiteatur, & impœnitentiam, ob quam sine absolutione relinquitur à præcepto Ecclesiæ de annua confessione, ita vt illius præcepti non sit reus, excusatur. Definita est expressè ab Alex. Papa cap. quod quidam, de pœnitentiis & remiss.

DVBIVM.

Tenebiturne Sacerdos sigillum secreti talis confessionis seruare?

CONCLVSIO.

Tenetur omnino, quia illa confessio est sacramentalis, est enim accusatio suiipsius, & ex natura sua disponit ad sacramentum, si ex parte pœnitentis non esset obex.

Diffic. An pænitens excommunicatus reticens excommunicationem teneatur reiterare confessionem?

Ange. Caie Ver. Absolutionis impedimẽta.

Duæ sunt opiniones. Prima Angeli & Caiet. Ver absolutionis impedimenta, qui tenent excommunicatum à peccatis, & non ab excommunicatione absolutum non teneri ad reiterandam confessionem.

Contraria opinio est multorum DD. quos sequitur Gab. *dist. 17. q. 1.*

CONCLVSIO.

Excommunicatus ignorantia inuincibi iuris, aut facti laborans, si prius à peccatis, quam ab excommunicatione absoluatur, confessionem reiterare non tenebitur. Sacramẽtum enim fuit validum, quoniam per ignorãtiam inuincibilẽ pœnitens excusatur.

CONCLVSIO.

Si pœnitens fuerit excommunicationis conscius, & deponuerit contumaciã, & prius à peccatis, quam ab excommunicatione, absoluatur; erit reiteranda confessio: non enim durante excommunicatione est sacramentalis absolutionis capax quamuis præstet iuramentum obediẽdi Ecclesiæ: vt constat ex cap. A nobis 2. de sent. excommunicationis. Et definitum est in cap. si celebret: de Clerico excommunicato celebrãte; quare multo minus poterit absolui, qui fuerit cõtumax.

Diffic. An qui mentitur in confessione imponens sibi aliquod veniale, aut mortale, confessionem reiterare teneatur?

Caiet. in summa tenet peccare mortaliter, si proposuerit aliquod veniale sic confiteri: sin minus, non nisi venialiter. Cõtrariam opinionem defendit Soto. *Verbo confessio conditione 4. d. 18. q. 2. art. 4.*

CONCLVSIO.

Qui finxerit in cõfessione aliquod mortale, mortaliter peccabit: & sacramentum erit reiterandum. decipit namque in re graui iudicem, & ponit obicem sacramento: & deest fidelis materia huius sacramenti, quia peccatũ fictũ non est materia.

CONCLVSIO.

Qui in Sacramento pœnitentiæ finxerit aliquod veniale, nec peccabit mortaliter, etiamsi intendat omnia peccata venialia confiteri: neque sacramentum hac de causa erit irritum. Non enim decipit iudicem in materia graui, sed leui; neq. veniale, cum non sit materia necessaria confessionis, tollit sufficientem materiam, dummodo sint alia peccata, à quibus Sacerdos pœnitentem absoluat.

CONCLVSIO.

Quando pœnitens affirmat tanquam certum ex industria, quod sibi dubium est, mortaliter peccat: & sacramentum est nullum. Ratio est, quia deficit fidelis, & necessaria materia, quæ est de essentia sacramenti.

CONCLVSIO.

Si hoc facit eligens tutiorem partem, sacramentum erit validum, quamuis erret, & venialiter peccet. Cõfessio enim est fidelis,

fidelis, quia non mentitur, cum non dicat falsum cum intentione decipiendi aliquem; pœnitenti namq. cordi tunc nō est confessorem fallere, sed partem certiorem eligere.

DD.d.17. Ricar.art.3.q.3. Duran. qō.11.

Diffic. An confessio ad defectum sufficientis confessoris sit reiteranda?

CONCLVSIO.

Confessio Sacerdoti non habenti iurisdictionem est nulla, & reiteranda. Definita est in Conc. Late.

APPEN. Hinc confessio facta simplici Sacerdoti, vel non de licentia Curati est reiteranda etiam post Trid. Concil.

APPEN. Similiter & confessio facta excommunicato, denunciato, & excommunicato per manifestum Clerici percussorem, non enim habet iurisdictionem. Vt in extrauag. ad euitanda scādala habetur, nisi excommunicatus habeat titulum Curati, & communiter eius communicatio ignoretur; vtrunq; enim, scilicet, titulus, & communis error facti, id est, excommunicationis requiritur

APPEN. Hinc omnes confessiones factæ religioso apostatæ denuntiatio sunt nullæ, & reiterandæ, posteaquam fuerit nota eius excūmunicatio; quia deest titulus. vide Caiet. verb. absolutio. Vbi citat argumentum legis. Barbanus filius. ff. de officio præsidis.

CONCLVSIO.

Confessio facta Sacerdoti nondum denuntiato, & Curato licet à pœnitente ad hoc inducto nō est reiteranda. Ratio est quia, subditus petit ministerium sibi à Curato debitum, & cō firmatur per Extrauag. ad euitanda, quam apud Caie. ver. excommunicatio minor, reperies.

CONCLVSIO.

Confessio facta Sacerdoti excommunicato non Curato, & parato ad audiendas confessiones est nulla, & reiteranda; quia grauius peccat sacramentum administrando, quam habendo voluntatem solam administrandi, cuius grauioris peccati est particeps, qui illi confitetur. Actus enim distincto præcepto à volūtatis desiderio prohibetur, vt patet in peccato adulterij. Oppositum tenent multi graues DD.

CONCLVSIO.

Quando Sacerdos tanta laborat ignorantia, vt vel absoluere nesciat, vel peccata mortalia, quæ sunt contra decē præcepta decalogi ignoret, confessio est nulla, & reiteranda: quia non potest ferre sententiam, cum non habeat clauē scientiæ.

Adria.qō.3. de Confessione dubio 9. Caie verbo Confessionis iteratio

CONCLVSIO.

Quando Sacerdos non habet absoluendi intentionem, est etiam confessio, reiteranda: sunt enim materia & forma, & intentio

intentio Miniſtri de eſſentia ſacramenti.

CONCLVSIO.

Quando confeſſio eſt nulla ex defectu confeſſoris ſufficiẽtis in aliquo caſu ex dictis, tenebitur Sacerdos pœnitentẽ admonere, vt iterum confiteatur. Patet à ſimili de Sacramento Baptiſmi, nam miniſter, qui non habuit intentionem baptizãdi aliquem, tenetur illum admonere, vt iterum baptizetur. Ricar. artic. 3. Medina. C. de Confeſſione.

Diffic. Pœnitens qui ex negligentia, vel obliuione pœnitentiam iniunctam non impleuit, tenebiturne reiterare confeſſionem?

Paludanus, & Syluest. tenent eſſe reiterandam. Contraria opinio eſt verior, quam Gabr. proponit. Verum de hac difficultate infra in qõ. de clauibus diſputabitur. Eſt autẽ conſulẽdum omnibus pœnitentibus, qui iniunctam pœnitentiam nõ impleuerunt, vt aliquas indulgentias conſequantur ad ſatiſfaciendum pro pœna peccatis debita, & vt ab obligatione implendi pœnitentiam liberentur. Paluda. diſt. 17. Sylu. Ver. Confeſſio. 1. §. 3. Gab. d. 17. q. 1.

Diffic. Eſtne vtilis iteratio confeſſionis validæ?

Duæ ſunt opiniones. Prima Ric. & Sco. qui affirmare vidẽtur abſolutionem iteratã non remittere pœnam temporalem. Altera, & oppoſita eſt quorundam Doctorum, quos Gabr. adducit. Ric. d. 18. Scot diſtinct. 19. d. 18. qõ. 1.

CONCLVSIO.

Talis confeſſionis iteratio eſt verum ſacramentum, & vtilis, habet enim materiam non neceſſariam, ſed voluntariam & formam, & virtus paſſionis Chriſti, quæ ibi applicatur ſatiſfactionem aliquam pro pœna temporali debita operatur, quod quidem Sco. & Ric. nunquam negarunt.

Art. De Miniſtro ſacramenti confeſſionis?

Hic Art. non nullis difficultatibus poſitis abſoluetur. DD. diſtin. 17. & 1.

Diffic. Poteritne Sacerdote deficiente laico fieri confeſſio?

Tres ſunt opiniones. Primã B. Hieronymi & habetur in cap. Quem pœnitet. de pœnitent. d. 1. & Mag. d. 17. & ibidem S. Tho. qui tenent in articulo neceſſitatis ſub pœna peccati faciendam eſſe laico qui quamuis confeſſionem audiat, non poterit ſacramentaliter abſoluere: adduntq. teneri pœnitẽtem confiteri iterum Sacerdoti, interim verò à ſummo Sacerdote Chriſto abſolui. Quæ autem in cap. citato habentur, intelligenda ſunt, dummodo pœnitens habeat contritionem. Scot. q. vnica S. Tho. q. 8. art 1. 2. & 3. Duran quæſt. 11. Alexã. qõ. 78

Secunda opinio eſt B. Bona. dicentis; hoc eſſe tunc laudabile, non tamen neceſſarium.

Tertia opinio eſt Scot. affirmantis; hoc plerumque non eſſe laudabile, & numquam eſſe neceſſarium. d. 17. q. 1. ar. 3

CON-

CONCLVSIO.

Hæreticum est affirmare potestatem absoluendi esse pœnes laicos. Definita est expressè in Conc. Trid. cap. 5. & Cã. 10. vbi anathematizantur asserentes laicos posse sacramentaliter absoluere.

CONCLVSIO.

Deficiente Sacerdote laude dignum erit, aliquando ratione humilitatis, aut petendi consilij laico confiteri, non tamen necessarium. Est enim talis manifestatio, opus virtutis, & hac ratione interpretandæ sunt authoritates, quæ à Magistro adducuntur, vt scilicet, ratione humilitatis, vel petendi consilij &Laicus audiens alienum peccatum tenebitur sigillum secreti sub pœna peccati mortalis seruare.

APPEN. Hinc confutatus manet error Lutheri, qui omnes laicos sartores, piscatores, &c. omnesq. mulierculas, Sacerdotes esse, & potestatem absoluendi habere, docuit.

Diffic. Laicus si confessionem audiat, & sacramentaliter absoluat, efficieturne irregularis?

d. 17. q. 3. Verb. Confessio 1. §. 1.

Duæ sunt opiniones. Prima Palu. qui tenet partem affirmãtem. Contraria est Syluestri.

CONCLVSIO.

Nequaquam efficietur irregularis (si ita absoluat) quomiņus ordinari possit. Ratio est, quia cum irregularitas sit pœna Ecclesiastica, nisi in casibus à iure expressis minime contrahetur.

Soto. d. 18. q. 4. art. 2.

Diffic. Eritne satis simplici Sacerdoti confiteri, vel necessario proprio Sacerdoti erit confitendum?

CONCLVSIO.

Confessio debet necessariò proprio Sacerdoti fieri, vel alieno, petita tamen licentia à proprio, & obtenta. Definita est expressè in cap. Omnis vtriusque sexus.

DD. dist. 17.

Diffic. Quisnam erit sufficiens cuiuscunq; status confessor?

CONCLVSIO.

Summus Pontifex poterit cuicunq; Sacerdoti cõfiteri. Hæc conclusio supra fuit demonstrata.

CONCLVSIO.

Cardinales iure communi confessores sibi eligere nõ possunt, sed potestate Papæ, vel eius pœnitentiario, vel alteri de licentia Papæ, siue Pœnitentiarij, confiteri debẽt. de hac Caiet. in summa Verbo Absolutitio est. legendus.

CONCLVSIO.

Familiares Papæ, qui in Romana Curia vitam degũt, Pœnitentiarum

nitentiarium Papæ, tanquam proprium Sacerdotem habent.

CONCLVSIO.

Archiepiſcopi, Epiſcopi, cæterique Prælati exempti, Abbates, vt Abbas Metinenſis, Generales Ordinum habent facultatem eligendi ſibi in confeſſorem quemlibet ſimplicem Sacerdotem. Definita eſt expreſsè in cap. finali de pœnit. & remiſsio.

Exempti dicuntur in præſentia, qui ſunt Papæ immediati, & nominantur immediati, quia in foro conſcientiæ non habent alium Prælatum à Papa, quamuis alium in foro exteriori habeant, vt Prouinciales Epiſcopi, qui habent Archiepiſcopum Metropolitanum, cui ſubijciuntur.

DVBIVM.

Poteruntne Guardiani, Abbates, Priores, Prouinciales &c. ſibi confeſſores quemadmodum Epiſcopi, eligere?

Syluester duas citat opiniones. Et prima eſt Panor. ſuper cap. finale citatum, & ſummæ Angelicæ, qui tenet dictum priuilegium non extendi ad huiuſmodi Prælatos. *Verb. Confeſsio 1. §. 8.*

Contraria opinio eſt Hoſtienſis, Palud. quos citat, & ſequitur Syluester, & Soto, vtraque opinio eſt probabilis. *d. 18. q. 4. ar. 2*

CONCLVSIO.

Nequaquam poſſunt tali priuilegio vti, alioqui enim non haberent Guardiani aliquem caſum Prouinciali reſeruatum præter excommunicationem in foro exteriori poſitam; nam quando aliquis confitetur de licentia Papæ, non poteſt ſuperior reſeruare ſibi aliquem caſum. Dubium tamen videtur eſſe de Prouincialibus, propter rationem textus in cap. finali d. 5. ne pro dilatatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, vnde non poſſet generalis miniſter reſeruare Prouincialibus aliquem caſum à ſe abſoluendum.

CONCLVSIO.

Reliqui Prælati non exempti, ſed Epiſcopo ſubditi vt Curati &c. authoritate Epiſcopi confiteri debent, quia proprius eorum Sacerdos eſt Epiſcopus, & de iure non habent aliquod priuilegium.

CONCLVSIO.

Prælati qui authoritate Rom. Pont. confitentur, non habet aliquem caſum ſuo ſuperiori reſeruatum, præter excommunicationem ab illo latam, quia inferior non poteſt ſuperioris authoritatem limitare, poteſt tamen Metropolitanus Epiſcopum excommunicare, vt ex iure patet.

CONCLVSIO.

Canonici Eccleſiæ Cathedralis, Curati, & ſimplices Sacerdotes olim poterant pro arbitrio eligere confeſſorem ex *Caieta. Verbo Abſolutio.*

Q concesſione

concesſione ab Epiſcopo tacitè approbata, nunc autem hoc reuocatum eſt per Concil.Trid.Seſſ.23. cap.15.de reformatione: vnde nullus Clericorum poteſt modo confiteri niſi Curato, vel confeſſori, per Epiſcopum conſtituto.

CONCLVSIO.

Religioſi vnius Ordinis ſine licentia petita, & obtenta ſuorum Prælatorum, Sacerdotibus, alterius ordinis confiteri non poſſunt, etiamſi ſint confeſſores ſæcularium conſtituti. Definita eſt expreſsè in extrauag. inter cunctas.

CONCLVSIO.

Vniuerſi religioſi non poſſunt, niſi ſuo Prælato, vel alteri religioſo de licentia Prælati confiteri. Definita eſt in Concil. Lateranenſi, & refertur in cap. omnis vtriuſque ſexus.

APPEN. Hinc, poterunt monachi de licentia ſuorum Prælatorum Sacerdotibus alterius religionis, etiam nondum inſtitutis cōfeſſoribus ſæcularium ſua peccata in confeſsione reſerare: nam Concil. Trid. quando præcipit ne religioſus audiat confeſsiones Sacerdotum, niſi prius ab Epiſcopis idoneus iudicetur: intelligendum eſſe de Sacerdotibus ſubditis Epiſcopis videtur, religioſi verò non ſunt Epiſcopo ſubditi, & ideo eorum approbatio non deſideratur.

APPEN. Hinc Guardianus poterit mihi concedere facultatem confitendi religioſo, qui nondum eſt confeſſor inſtitutus, quia Guardianus eſt mihi proprius Sacerdos, de cuius facultate, poſſum alieno confiteri inſtituto tamen in ſuo ordine.

CONCLVSIO.

Caieta. Verbo Confeſsio. Neceſsitas celebrandi Sacerdoti alieno confitendi facultatem non præſtat. Ratio eſt, quia in articulo mortis tantum conceditur homini facultas, vt ſine licentia proprij alieno confiteri poſsit, vt dicitur in Conc.Trid.

APPEN. Hinc, ſi ratione ſcandali Sacerdos eſt celebraturus, vt in qō. de ſuſcipientibus Euchariſtiam diximus, ſatis erit tunc, vt Deo reconcilietur.

CONCLVSIO.

Paluda. eſt vbi ſupra. Imperator orbis ex tacita Rom. Pont. facultate proprijs Capellanis, etſi ſimplices ſint, confiteri poteſt.

CONCLVSIO.

Reges proprio Epiſcopo diœceſis, vbi habitant, vel Curato, in cuius parochia domus Regia ſita eſt confiteri tenentur, vterque enim eſt proprius regis Sacerdos.

CONCLVSIO.

Scholaſtici Salmanticenſes, Complutenſes, Valentini, Ilerdenſes &c. tenentur Curato illius parochiæ confiteri, vbi domicilium habent: quia proprius eſt illorum Sacerdos.

Hinc

Hinc, quantum ad forum conscientiæ subditi erunt Episcopo, vel Archiepiscopo, ita vt fortasis posset Episcopus illorum vota commutare, aut dispensare, suo autem Cancellario subijciuntur quantum ad forum exterius. APPEN.

CONCLVSIO.

Ratione delicti commissi in alieno Episcopatu, vel parochia tale delictum committens alieno Sacerdoti subijcitur, & illi confiteri tenetur. Definita est in cap. de Rectoribus. Lege Syluestrum vbi supra, quo loco opinatur posse aliquem de licentia proprij Sacerdotis præsumpta alieno Sacerdoti confiteri, quod est contra Concil. Late. vbi definitur, petendam esse prius, & obtinendam. *Sylueft. caute legendus.*

CONCLVSIO.

Vagabundi, peregrini, viatores, isti omnes possunt confiteri Curato illius parochiæ vbi hospitantur, aut fratribus priuilegiatis, aut confessoribus in illa diœcesi per Episcopum constitutis. Definita est in Extrauag. Eugenij IIII. cuius Caieta. meminit dicens; esse limitandam, quando confessio est sub præcepto, vt in Quadragesima, sed extendenda est etiam ad confessiones spontaneas, vt dicit Soto, quia quando lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.

Hinc, quantum ad casus reseruatos, eidem Episcopo, vbi cõfitentur erunt subiecti; nisi casu sit reseruatus proprio Episcopo; tunc enim quando à proprio Episcopatu discedit specialem facultatem petere debet, alioqui absolui non poterit. APPEN.

DVBIVM.

Propter malitiam, & ignorantiam proprij Sacerdotis, poteritne aliquis non obtenta ab illo licentia alieno confiteri?

CONCLVSIO.

Nemini ob hanc causam, nisi prius obtenta licentia à proprio, confiteri alieno licet. Definita est in Conc. Late. quod cum absolute dicat, nisi prius petita & obtenta licentia à proprio; absolutè erit intelligendum.

Hinc, si mulier timeat à Curato inducendam esse, ad malum, si illi confiteatur, nequaquam alieno confiteri poterit; nisi obtenta prius licentia, vel à Curato, vel ab Episcopo, quam si obtinere non poterit, illo anno ad confessionem non obligabitur; quia non habet sufficientis confessoris copiam. APPEN.

DVBIVM.

Peccabitne concubina proprij Curati, illi confitendo? Ricar. d. 17. art. 3. q°. 2.

CONCLVSIO.

Si timet inter confitendum esse illi daturam peccandi occasionem, nequaquam potest; quia ponit obicem sacramẽto, si

verò hoc non timeat, poterit eidem confiteri.

Difficultas. An præter annuam confessionem teneantur Curati suorum subditorum, quoties confiteri voluerint, suas confessiones audire?

Ricard. d. 18. ar. 2. q. 3. Adr. q. 8. de Cōfessione.

Opinio Ric. est negans, contraria est Adriani.

CONCLVSIO.

Quoties subditi voluerint per annum confiteri; curatus illos audire tenetur, quia ex officio illos pascere, & in viam charitatis reducere tenetur, vt constat Ezech. 34. væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos nonne greges à pastoribus pascuntur? &c. & via alia ad charitatem certior non est, quam per confessionem.

S. Tho. q. 8. art. 5. Adri. vbi supra, Dur. d. 17. q. 2. Scot. d. 18. qō. 4 art. 3.

Diffic. Qui confessi sunt fratribus priuilegiatis, tenenturne proprio confiteri?

Henricus de Gandauo affirmauit (vt refert Adr.) Papam non posse concedere facultatem Parrochianis, vt proprio Curato confiteri non teneantur, saltem semel in anno teneri arbitrabatur. Quidam Ioan. nomine de Poliaco, multo deterius errauit dicens, neque Papam, neque Deum posse Parrochianis facultatem concedere, vt alteri, quam Curato confiteatur.

CONCLVSIO.

Episcopus cuicunque Sacerdoti non impedito potest facultatem audiendi confessiones suorum subditorum, etiam Curatis contradicentibus, concedere. Nam est etiam proprius Curatus, & superior. Definita est in canone. Cunctis fidelibus. 16. qō. 1.

CONCLVSIO.

Qui semel fratribus priuilegiatis ab Episcopo approbatis confessus est, eodem anno non tenetur proprio Curato confiteri. Quia confitetur authoritate proprij, vt patet in cap. Omnis vtriusque sexus & in Extraua. inter cunctas. de priuilegijs.

DVBIVM.

Quid potest confessor ab Episcopo approbatus efficere?

CONCLVSIO.

Præsentatus potest audire confessiones intra diœcesim, in qua fuit approbatus. Definita est in Clementina dudum. de sepulturis, vbi ita legitur; extra ciuitates & diœceses, in quibus deputati fuerint, confessiones non audiant.

CONCLVSIO.

Poterit etiam confessiones subditorum Episcopi, à quo fuit approbatus, audire, quia vt Curatus potest extra suam Parrochiam sibi subditos audire, ita & priuilegiatus.

Diffic.

Diffic. Poteſtne habens bullam Cruciatæ ſimplicem Sacerdotem in confeſsione eligere?

CONCLVSIO.

Non poteſt niſi approbatum ab Epiſcopo eligere. Definita eſt in Conc. Trid. Seſſ. 23. Can. 15. vbi decretum eſt; vt nullus etiam regularis poſsit audire confeſsiones ſæcularium, & Sacerdotum, niſi prius ab Epiſcopis per examen, aut alias videtur idoneus.

Hinc, ſi Epiſcopus dederit facultatem alicui audiendi confeſsiones virtute bullarum, tantum poterit habentes bullam audire: quia Concil. non dicit: niſi fuerit inſtitutus confeſſor, ſed niſi prius ab Epiſcopo per examen &c. APPEN.

Diffic. Poteruntne religioſi inuito Prælato per facultatem Epiſcopi audire confeſsiones?

Duæ ſunt opiniones, Angelus partem negantem tenet. Adria. affirmantem q. 5. de confeſsione dubio primo, vbi Angelum citat.

CONCLVSIO.

Regularis non inſtitutus confeſſor à ſuo Prælato, ſi non ſit ſuſpenſus, vel excommunicatus, ſola Epiſcopi authoritate confeſsiones audire poterit ſæcularium, non tamen fratrum. Ratio eſt, quia habet poteſtatem ordinis indelebilem, per quam eſt capax iuriſdictionis, quam illi Epiſcopus contulit: & valebit abſolutio, etiam ſi Prælatus præcipiat ne confeſsiones audiat. Peccabit tamen contra obedientiam, & puniri poterit. Si vero fuerit excommunicatus, vel à ſuo Prelato ſuſpenſus, non poterit confeſsiones audire. Quia excommunicati & ſuſpenſi à iure prohibenter, ne actu iuriſdictionem habeant.

Diffic. In art. mortis poteſt pœnitens cuicunque Sacerdoti excommunicato, ſuſpenſo, apoſtata, ſiue Hæretico confiteri?

CONCLVSIO.

Quicunque excommunicatus in art. mortis abſolui poteſt à quauis excommunicatione, etiam Papali, per quemcumque Sacerdotem ſimplicem, etiam excommunicatũ, & denunciatũ. Definita eſt in multis tex. iuris Canonici. nam vbicumque in iure abſolutio ab excommunicatione Rom. Pont. reſeruatur, ſtatim ſubiungitur: ne ab alio, niſi in ar. mortis abſoluatur. vt ex Can. ſi quis ſua dente 17. q. 1. conſtat.

CONCLVSIO.

Quicunque peccator poterit in art. mortis per quemlibet Sacerdotem ſimplicem, etiam excommunicatum à reſeruatis abſolui: atque etiam denuntiatum. Definita eſt in Conc. Trid.

expreſsè Seſſ. 14. cap. 7. quod eſt intelligendum caute, ſcilicet, deficiente Sacerdote non impedito.

APPEN. Hinc, degradatus idem efficere poterit, nam Concilium ſine diſtinctione & diſcrimine loquitur: dices in art. mortis omnes Sacerdotes &c.

APPEN. Hinc, eandem poteſtatem Sacerdos hæreticus, ſiue apoſtata à fide, in tali articulo habere videtur. Ratio eſt, quia cum Concil. Triden. non diſtinguat, neque nos diſtinguere debemus. Eſt tamen intelligenda appendix dummodo hæreticus, ſiue apoſtata habeat intentionem faciendi, quod Romana Eccleſia facit. Hæc appendix eſt contra quoſdam Theologos, quos citat Sylu. quos Cano. parte 5. de pœnitentia ſequitur.

Verbo Confeſſio. 1. §. Vltimo.

CONCLVSIO.

Sacerdotes ſimplices in art. mortis abſoluentes non habent à Christo, ſiue à iure Diuino, ſed à Papa, & ex inſtitutione Eccleſiæ iuriſdictionem. Ratio eſt quia ſolus Rom. Pont. habet modo iuriſdictionem à iure Diuino, & à Chriſto; reliqui vero Sacerdotes illam à Papa, & ex inſtitutione Eccleſiæ habent: alioquin enim poteſtas iuriſdictionis eſſet indelebilis; vt poteſtas conficiendi Euchariſtiam, quod eſt erroneum: abſolutio ſiquidem eſt nulla, quæ à proprio Sacerdote, vel ab alio de licentia proprij impeditur. Hæc eſt Duran. & Soto contra Paludanum, quem ſequitur Cano. vbi ſupra.

Dur. d. 19. q. 2. Scot. d. 18. q. 4. artic. 4.

Difficultas. Poteſtne Laicus in artic. mortis aliquem ab excommunicatione abſoluere?

CONCLVSIO.

Quamuis Laicus poſsit habere in foro exteriori ſpiritualem iuriſdictionem, non tamen, ſi illa caret, poteſt aliquem in art. mortis ab excommunicatione abſoluere. Ratio eſt, quia ſi excommunicatus eſt conſcius excommunicationis, & non eſt contumax, ſed dolet &c. Iam quoad Deum eſt abſolutus, & quoad Eccleſiam, vt poſsit in loco ſacro ſepeliri, vt pro illo ſacrificia offerantur: poſt mortem abſolui poterit, vt in cap. ex nobis. De ſententia excommunicationis definitur. Atque ita tali abſolutione non indigebit. Paludani eſt contra gloſſam in cap. Paſtoralis de officio Ordinarij.

diſt. 20.

Diffic. Quando miniſter non habet iuriſdictionem, confeſsio illi facta eritne valida?

Caieta. Verbo cõfeſsio cap. 3.

CONCLVSIO.

Si confeſſor habet titulum, & illius impedimentum communiter ignoratur, confeſsio valebit. v. g. ſi collatũ ſit beneficium Sacerdoti excõmunicato, collatio erit nulla, confeſsiones tamẽ illi factæ erunt validæ, & nõ iterandæ, etiamſi poſtea

eius

eius impedimentum, manifestetur. Patet à simili, per legem Barbanus filius ff. de officio præsidis. Si autem confessor non habet titulum &c. quid tenendum sit, supra de confessione iteranda docuimus.

Art. Vlt. de sigillo confessionis?

Hic Art. aliquot positis difficultatibus absoluetur.

Diffic. Quo iure Sacerdos ad sigillum cōfessionis teneatur? *Alexan. Alen. Alex. Alē. q. 78. DD. d. 21. D. Bona. art. 2. Ric. art. 4. q. 1. S. Thom. q. 11. Duran. q. 2. & Scot. q̄o. 4.*

CONCLVSIO.

Iure naturali, Diuino, & Ecclesiastico. Ratio est, quia cum sit hoc sacramentum de necessitate salutis, si aliquo modo liceret Sacerdoti confessionem reuelare, haud dubie homines à confessione territi sine illa perirent. Est definita in cap. omnis vtriusque.

Hinc prius Sacerdos mortem subire, quam confessionem reuelare tenetur. APPEN.

Diffic. An Sacerdos peccatorem impœnitentem silere teneatur?

Duæ sunt opiniones. Prima Alexan. Alen. dicentis; quando peccator habet propositum committendi aliquod peccatum; vt seminandi hæresim, à quo non vult recedere, tale peccatum cadit, inquit, non sub sigillo confessionis. Alex. sequuntur Panormi. in cap. omnis vtriusque sexus, & Sylu. Contraria opinio est Scot. q. 2. & Ricar. & Tho. & Dur. vbi supra, & Caieta. *q. 18. art. 2. D. Bon. q. 1. art. 2 Sylu. Verb. cōfessio. 1. §. 1. Caiet. quolib. 1. q. 2.*

CONCLVSIO.

Confessor sub sigillo confessionis peccatum futurum, vel præteritum omnino impœnitentis, dummodo sacramentaliter proponatur, sub sigillo habere tenetur. Ratio est, quia cum sit talis confessio Sacramentalis, obligabit necessariò ad sigillum confessionis: in cap. enim omnis vtriusque sexus sine aliqua distinct. confessionis sigillum cuiuscunque pœnitentis præcipitur, dummodo accusando seipsum illud proponat.

Hinc, si hæreticus impœnitens suum peccatum sacramentaliter proposuerit, erit silentio inuoluendum, etiamsi ex eius impœnitentia vniuersæ Ecclesiæ dispendium immineat. Non enim sunt facienda mala vt veniant bona, vel vt maiora mala vitentur. Cum aliter possit remedium adhiberi. Hæc est contra Panor. & Syluest. dicentes, est crimen hæresis quod nec confessio cælat. APPEN.

CONCLVSIO.

In casu conclusionis, & appendicis, poterit confessor generaliter dicere Prælato: vt caueat diligenter, & vigilet, ne in sua Ecclesia hæreses oriantur: dummodo peccatoris reuelatio nō timeatur, potest enim Sacerdos reuelare crimen, dummodo *S. Thom. est.*

verbo, aut ſigno criminoſum non indicet.

CONCLVSIO.

Caiet. & Duran. eſt. Si peccator ſuum crimen non accuſando ſe, ſed inducendo Sacerdotem in ſuum errorem, proponat; non tacere peccatorem, ſed Inquiſitoribus illum reuelare tenetur. Talis enim confeſsio non eſt ſacramentalis, nec confeſsio dicenda, ſed modus occultè dogmatizandi.

APPEN. Hinc, ſi quis in confeſsione ſuffragium confeſſoris ad aliquam dignitatem comparandam precibus, vel pecunia ambiret, tale peccatum non eſſet ſub ſigillo confeſsionis tenendū & de ſimilibus ſimile eſt iudicium.

Diffic. An poſsit Sacerdos reuelando confeſsionem venialiter tantum aliquando peccare?

CONCLVSIO.

Sacrilegium eſt, & mortale peccatum, confeſsionem vel venialis peccati reuelare. daretur enim occaſio deterrendi alios à confeſsione, vnde grauiſsima pœna in Can. omnis vtriuſque ſexus reuelantes confeſsionem puniuntur.

CONCLVSIO.

Caieta. Verbo confeßio. Qui dicit, Ioannes confeſſus eſt mihi ſua peccata, & non addit mortalia, aut venialia confeſsionem non reuelat: reuelatio enim non eſt niſi rei ignotæ, & pœnitentem ſua peccata confiteri, omnibus eſt notiſsimum.

CONCLVSIO.

Sacerdos non poteſt abſolute dicere, talem pœnitentem non abſo ui: reuelaret enim tunc illius impœnitentiam; niſi ſubiungat, quia nondum confeſsionem finiuit.

Diffic. Licetne confeſſori laudare pænitentem?

CONCLVSIO.

Quando ex eius laude alium eſſe minus laude dignum inſinuatur, haud licet, eſſet enim hoc alterius peccatum indicare.

APPEN. Hinc, ſi Sacerdos auditis duobus ſocijs vnum præ alio laudaret, vel nihil de alio diceret, eius confeſsionem reuelaret.

CONCLVSIO.

Medina. C. de pœnitentia. D. Bonau. q͂ō. 2 art. 2. S. Thom. q. 11. ar. 2. Ricar. art. 4. q. 4 q. 4. Sco. q. 1. d. 31. Sylu. Verbo cõfeßio 3. §. 6. Quando ex indeliberatione, vel inaduertentia aliquis reuelat confeſsionem: ſi nulla inde ſequatur infamia, venialiter tantum peccabit. Ratio eſt, quia non animo reuelandi illud dicit, nec confeſsionis recordatur: ſed quaſi aliunde peccatum nouerit, reuelat.

Diffic. An Sacerdos in crimine participantem, etiam ſub ſigillo confeſsionis calare teneatur?

CONCLVSIO.

Sacerdos & pœnitentem, & participantem in crimine tacere

cere tenetur, aliter enim esset reuelatæ confessionis reus, & pœna contra reuelantes statuta plectendus. Perinde namq; ex reuelatione participantis, atq; pœnitentis, homines à confessione reuocarentur.

Diffic. An integrum sit Sacerdoti dicere in generali, ego audiui peccata in cōfessione, sine vlla pœnitētis reuelatione?

CONCLVSIO.

Licitum est, dummodo id cautè, & ob aliquam honestam causam fiat. Definita est expressè in cap. de offic. vide pœni. & remiss. & in cap. omnis vtriusq; sexus dicitur; ratione consultationis hoc licere, dūmodo pœnitens non reueletur: cæterum citra consultationem; vel aliquam iustam causam, temerarium hoc est: licet pœnitentis persona non reueletur, & hac ratione erit vera Panor. opinio in cap. omnis vtriusq; sexus, qui conclusionem negat.

Diffic. An possit Sacerdos ex facultate pœnitētis reuelare peccatum, quod in confessione tantum nouit?

Duæ sunt extremæ opiniones: Prima est negans Alex. Sco. vbi supra Dur. summæ Angelicæ. Secunda est affirmans B. Tho. Bona. quos citat Gabr. eadem dist. 21.

Alexā. Alen. ar. 3. Dur. q. 4. summa Angelica verbo cōfessio 3. §. 3.

CONCLVSIO.

Sine aliqua causa, & in generali, non potest Sacerdos tale peccatum reuelare, nisi pœnitens illud extra confessionem narret. Lex enim de sigillo confessionis est in fauorem totius Ecclesiæ introducta, cui non potest vnus pœnitens cedere: quemadmodum non potest Clericus renūtiare priuilegio canonis, si quis suadente, quod in fauorem totius Ecclesiæ est concessum.

CONCLVSIO.

Ex legitima causa, & respectu alicuius peculiaris peccati, satis erit pœnitentem confessori facultatem concedere illud reuelandi, quamuis extra confessionem minime narret. Tunc enim istæ sunt æquiualentes. Concedo tibi facultatem reuelandi furtum quod tibi confessus sum, & sciat me tale furtum commisisse.

Diffic. An Sacerdos possit sine sacrilegio crimē quod scit duplici via, in confessione, scilicet, et extra reuelare?

Altisiodorensis partem negantem defendit. Communis autem opinio (vt docet Gab.) affirmat.

Alexā. Alen. ar. 4. D. Bona. qō. 3. artic. 2. S. Thom. art. 5. et Sco. vbi supra. Ric. d. 21. ar. 4. q. 1. & 2. Sot. dist. 18. in fine.

CONCLVSIO.

Potest Sacerdos proponere in iudicio crimen, quod in confessione, & extra nouit. Ratio est, quia tale peccatum non reuelatur, quatenus in cōfessione cognitum, ex opposito enim

multa crimina impunita remanerēt, cum Sacerdos non posset in iudicio testificari crimen, quod ante confessionem nouit, si criminosus postea illi confiteretur.

APPEN. Hinc Sacerdos habens in iudicio contra aliquem reum poterit illum accusare, quamuis postea fuerit illi crimen notum per confessionem, seruanda tamen est prudens cautela.

Diffic. Licetne Vnam confessionem in alia reuelare quando aliter integra confessio fieri non potest?

V. G. peccauit Sacerdos mortaliter absoluendo Episcopū symoniacum, & integrè confiteri non potest nisi Sacerdoti cognoscenti Episcopum.

CONCLVSIO.

Sco. est vbi sup. Tunc Sacerdos pœnitens tale peccatum cōfiteri non tenetur, quando non potest sine reuelatione confessionis, quam audiuit. Ratio est, quia respectu illius peccati non habet tunc Sacerdotis sufficientis copiam.

Alexā. Alen. art. 1. D. Bon. q. 1. ar. 2. Ric. et Sco. vbi supra. Dur. ibid. qō. 4. ad 1.

Diffic. Sacerdos poterit negare se in confessione crimen alicuius pœnitentis audiuisse?

CONCLVSIO.

Sacerdos quod in confessione nouit, scit tantum vt Deus, id est, Dei minister. Definita est expressè in cap. si Sacerdos de officio ordinarij, vbi dicitur. Interrogatum etiam iuramēto respondere posse illud crimen nescire; dummodo aliunde illud non agnouerit. Nemo enim dicitur scire, nisi quod visu, aut alio sensu experimentaliter nouit, vt cōstat ex Cano. testis 3. qō. 9. confessor autem nouit per solam relationem, Ric. est D. Bon. & Duran. oppositum opinatur Gabr.

CONCLVSIO.

Sacerdos compulsus à Tyranno, vt respondeat non per verbum scio, sed audio: poterit se nihil in confessione audiuisse, respondere. Nam hæc responsio habet duplicem sensum; non audiui, vel tanquam Minister Christi, vel tanquam purus homo & iudex secundum allegata, & probata sententiam ferens, & in hoc sensu non mentitur.

Rursus. Si Tyrannus compellat respondere, An audierit tanquam Deus?

Poterit respondere nequaquam vt Deus audiui. Est enim responsio quoq; amphibologica. Nam non audiuit tanquam Deus, vt causa principalis, sed vt ministerialis causa.

Verùm. Quid si Tyrannus roget, an tanquam ministerialis causa audierit?

Respōdeo: erit mors tunc subeūda, quàm crimē detegendū; neq;

neque enim tacendo, aut illum acerbe reprehendendo crimē indicabit. Sed Tyrannus ex sua malitia illud collegit; vel Deus tunc qui in necessariis nunquam deest; quid faciendum sit, reuelabit. Hæc conclusio est Ric. quē sequitur. Adr. q vlt. de correc. frat. 3. oppositū tenet Soto de sigillo secreti m. 3. q. 3. dubio 1.

Diffic. An Sacerdos ob crimen in sola confessione cognitum possit pœnitentē ab aliquo actu tanquā indignum repellere?

V. g. publico suffragio in electione priuare? olim Henricus nullo modo hoc fieri posse tenuit. *Quolibet. 8.*

CONCLVSIO.

Quando nulla negandi suffragij causa assignatur, bene poterit confessor illum in tali casu expellere. Non enim aliquo modo crimen in confessione notum reuelatur.

Hinc, prouincialis non poterit priorem, aut Guardianum propter crimen illi in confessione notum deponere, bene tamen poterit ianitorem suo officio priuare; quia hoc ex libera Prælati voluntate dependet. APPEN.

Diffic. Poteritne Prælatus per notitiam aliquorum criminum, quam ex sola confessione habet, eorundem de nouo inquisitionem facere?

CONCLVSIO.

Nequaquam poterit. Ratio est, quia ius inquirendi ex infamia, vel ex semiplena delicti probatione nascitur. Poterit nihilominus visitationis tempore diligentius ad illud intelligendum attendere, & diligentius vigilare super gregem suum, præsertim si crimen in damnum publicum resultat nihil enim prohibet confessorem ex auditis confessionibus prudentiorem fieri.

Diffic. Si Prælatus inuenerit peccata subditi scripta ad cōfessionem faciendam, poterit inquisitionem facere?

CONCLVSIO.

Haud poterit, quia adeò sacrum, & diuinum est confessionis sigillum, vt illa etiam, quæ ad confessionem ordinantur, perpetuo silentio inuoluenda censeantur.

Hinc iudex sæcularis, si duo vel tres pestilentissimi Sacerdotes crimen per solam confessionem notum apud illum deposuerint, omnino à iudicio cessare tenebitur. APPEN.

Diffic. Licebitne Sacerdoti communicare cum pœnitente aliquod peccatum extra confessionem in sola confessione notum? *Scot. q° 4. vbi supra.*

Alexander, & Sco. & Dur. d. 21. affirmant, nullo modo de licentia pœnitentis licitum esse reuelare confessionem.

Palu-

Paludanus in fine.d.21. asserit, posse ratione correptionis fraternæ illum secreto de peccato semel confesso admonere: quod est omnino falsum, quia confessionis sigillum quodãmodo reuelaret.

CONCLVSIO.

Nullo modo licet, nisi prius à pœnitente petita, & obtẽta facultate. Quia illa, quæ Sacerdos in foro animæ, vt Christi minister nouit, vt purus homo haud potest, & hoc nullo modo in detrimentum pœnitentis fieri potest.

Dubium. Poteritne pænitens iurare se nihil confessori dixisse?

Respondeo: integrum erit dicere; nihil tale Sacerdoti in confessione dixi. Intelligendo tanquam puro homini, cũ illi tanquam Dei ministro dixerit.

Dubium. Quid si sacerdos errorem aliquem intolerabilem absoluendo commiserit? Vt si non sibi subditum, vel excommunicatum à casu reseruato absoluerit, vel dixerit alienum non esse restituendum?

Respondeo, conuenire debet pœnitentem dicens: grauem commisi errorem te absoluendo: proinde tibi consule, velis ne iterum confiteri, vel mihi, vt te veritatem doceam sub eodem sigillo tractandi tuum negotium facultatem concederet. Si pœnitens tunc, quia Sacerdotis consilium amplecti tenetur, neglexerit; culpa Sacerdotis in pœnitentem transfertur. Cæterum si error non fuerit ita grauis, & creditur pœnitentem absolutum fuisse; nihil de ipso amplius curandum est.

Dubium. Alia quæ in confessione præter peccata dicuntur, cadunt ne sub confessionis sigillo?

Respondeo, quæ sibi sub sigillo confessionis traduntur tacere tenetur, ne tanto sacramento detrimentum faciat: nam redderetur pœnitenti fraudulosa, & odiosa confessio: quæ autem non sunt de necessitate confessionis, & parũ refert pœnitenti illa reuelare; silere minimè tenetur, dummodo se in confessione illa audiuisse non dicat.

Dubium. Quæ extra sacramentum sub sigillo confessionis committuntur, eruntne sub tali sigillo tenenda?

Respondeo, non debetur sub tali sigillo quicquam recipi: nam licet qui illa ita audit, fidẽ frangat; tamen in pœnas canonicas non incidit: quia nulla fit sacramento iniuria, neque est confessionis sigillum. Tenetur nihilominus magis ad illud secretum seruandum, quam ad alia, nam ex pacto nouũ vinculum additur.

Diffic-

Diffic. Testis, qui secreto nouit aliquod crimen, teneturne in iudicio percontanti iudici respondere se nihil scire?

DD. dist. 21. S. Thom. 2. 2. q. 69 art. 2. & q. 7. ar. 1. Adrian. in solutione ad 2. principale Soto de ratione tegendi secretum.

CONCLVSIO.

Non licet negare secretum in iudicio, aut extra, propterea, quod negans veritatem mentitur, quod numquam est licitũ.

CONCLVSIO.

Quando iudicium est legitimum, tam reus, quam testis nõ respondendo iudici mortaliter peccant. Neque est reus durãte iudicio, donec veritatem respondeat, absoluendus. Nam cum iudex tunc interrogandi potestatem habeat, testis proculdubio respondere tenebitur.

CONCLVSIO.

Quando iudicium est illegitimum, poterunt reus, & testis nimiam iudicis solicitudinem verbis amphibologicis veritatem tacendo fallere: nam cum iudex tunc non possit interrogare, isti ad respondendum non obligabuntur. Atque ita poterunt dicere; nescio hoc quod rogas, scientia publica, vt tibi manifestem. Sic Christus Iesus apud B. Marc. interrogatus à discipulis de die illa, & hora respondit; neque filius hominis scit, vt vobis tanquam publicum, & notorium reuelet. Hactenus de confessione.

QVÆSTIO DE SATISFACTIONE.

Alex. Alen. q. 84. & S. Tho. aq. 11. in add. vsque ad 15. Castro verb. satisfactio. Vega. lib. vlti. super. Conc. Trident. Alexan. Alen. q. 84. m 1. S. Tho. q. 13. art. 1. D. Bon. q 1. & 2. art. 1. Ric. ar. 1. quæst 2. Scot. & Duran. quæst. 1. Palu. q. 2. ar. 2 Gab. d. 16. q. 2

Art. 1. De his quæ ad essentiam satisfactionis pertinent?

ABsoluetur art. aliquot difficultatibus positis. Ad quarum intelligentiam lege DD. modo citatos.

Diffic. An poßit homo Deo pro iniuriis & peccatis in illum commissis satisfacere?

CONCLVSIO.

Possibile quidem est hominem in hac vita pro pœna in purgatorio infligenda satisfacere. Confirmata est multis Sacræ scripturæ locis. Cap. 14. Sess. 6. Concil. Tridẽt. cũ enim homo per contritionem pro culpa, quod maius est, satisfaciat poterit quoq; pro pœna tẽporali, quod minus est, satisfacere.

Diffic. Potest satisfactio ex alias debito fieri?

Duæ sunt opiniones. Prima Scot. cui adhæserunt Palud. Gab. Syluest. verb. satisfactio. §. 8. qui omnes affirmant satisfactionem ex alias indebito esse faciendam.

Contraria opinio est Duran. d. 15. qõ. 1. quem sequitur Caiet. tract. satisfactione qõ. 1.

CONCLVSIO.

Opera

Opera alias debita ratione præcepti, si in gratia efficiãtur, sunt pro pœna purgatorij satisfactoria, quia martyrium, quá do est sub præcepto remittit omnem pœnam, iniuriam siquidem facit martyri, qui pro illo orat. Et de his operibus ratione præcepti est vera Duran. & Caieta. opinio.

CONCLVSIO.

Nõ possumus pro vno peccato per opus alias pro alio peccato debitum satisfacere. Si enim imposita esset alicui peregrinatio pro apostasia à fide, & iterum eidem alia pro blasphemia imponeretur, non posset pro prima, per secundum satisfacere. Iã enim pro blasphemia debetur. Et hoc modo Scot. opinio, vt apertissime eius verba declarant, est intelligenda.

CONCLVSIO.

Quando Sacerdos imponit pœnitentiam, ex alias indebito ratione præcepti, & ratione obedientiæ est adimpléda. Quia semper pœnitentia obligat iuxta confessoris intẽtionem, qui semper satisfactionem ex operibus alias ratione præcepti indebitis esse faciendam, nisi contrarium exprimat, intelligit.

APPEN. Hinc, si ieiunium impositum fuerit non est intelligendum de ieiunio quadragesimali. Et idem est de aliis operibus debitis iudicium.

CONCLVSIO.

Potest Sacerdos pro satisfactione peccatorum opera alias debita imponere. Ratio est, quia vnico actu duplici obligationi satisfacere possumus: vt per ieiunium quadragesimale à Confessore impositum pœnitens præcepto Ecclesiæ ratione obediẽtię & præcepto Sacerdotis ratione iustitiæ satisfacit.

Diffic. An qui adimplet pœnitentiam audiens Missam de præcepto satisfaciat?

Duæ sunt opiniones. Prima negans quorundam summistarum. Altera. Adria. affirmans.

CONCLVSIO.

Adimplet quidem præceptum, & non peccat. Ratio est, qui solum tenetur Missæ Sacrificio assistere. Et quemadmodum potest alias preces effundere, debitas etiam poterit soluere. Non tamen debitam reuerentiam seruare videtur. Et intelligenda est concl. dummodo ad vtrumq. attentionem habeat, & ab altero omnino non auertatur.

Nana. in sum. c. 21. enim. 9.

Diffic. An dimisso peccato quo ad culpam maneat aliqua pœna, pro qua satisfaciendum sit ante gloria ingressum?

DD. vbi supra D. Bon. q. 1. & 2. art. 1. Vega vbi supra.

CONCLVSIO.

Quando contritio non est vsque adeò intensa, vt eius virtute omnis pœna remittatur, quemadmodũ fuit Magdalenæ & latroni

& latroni remissa, aliqua pœna in purgatorio lueda remanet. Constat multis Sacræ scripturæ testimoniis. Peccatum enim Dauidis fuit morte temporali filij punitum.

CONCLVSIO.

Ante gloriæ ingressum necessarium erit pro pœna temporali, vel in purgatorio, vel in hac vita satisfacere. Ratio est, quia quibusdam iustis manet pœna in purgatorio luenda, vt author est B. Paul. qui loquens de operibus imperfectis, ait; si cuius opus &c. ipse autem saluus erit, si quasi per ignem id est, prius quam ad gloriam transeat, prius per acerrimum purgatoris ignem transibit. Quare qui ab illo tormento liberari voluerit; in hac vita pœnalibus actionibus pœnam illam redimere debet. *1. Corinth.*

Hinc, destruitur error Lutheri, qui affirmauit post dimissam culpam nullum in hac vita, aut in purgatorio temporalis pœnæ luendæ remanere reatum. *Hæresis.*

Difficultas. An in peccato mortali existēs pro peccatis alias dimissis satisfacere possit?

Quinque sunt opiniones, de hac re. Prima est Sco. q. 1. ar. 4 affirmantis? existentem in mortali posse pro pœna temporali peccatorum iam dimissorum satisfacere, licet pro nondum dimissis satisfacere non possit; illi adhæsit Gab. d. 16. q. 2. Secūda est Palud. q. 1. ar. 3. qui docet; opera extra gratiam facta, aut relinquere post se aliquem effectum vsque ad aduentum gratiæ durantem, velut si post ieiunium corpus debile remaneat, & illa opera dicit esse satisfactoria; aut nullum relinquere effectum, vt ieiunium quando non debilitat corpus, quæ opera dicit non esse satisfactoria. Tertia opinio est Caieta. in tract. de satisfactione q. 2. qui distinguit dicens; opera pœnalia in mortali ex propria liberalitate facta, neque quo ad gratiam, neque quo ad satisfactionem accedente charitate reuiuiscere. Quæ autem à Sacerdote imposita sunt, hæc adueniente gratia, & charitate, quo ad satisfactionem reuiuiscere affirmat. Quarta opinio est Adria. in materia de satisfactione in quest. an vnum peccatum possit sine alio remitti &c. qui distinguit inter liberalitatem, & iustitiā Dei, de iustitia, inquit, non sunt opera extra gratiam facta satisfactoria, bene tamen ex Dei liberalitate præter legē. Quinta opinio est Alex. D. Bona. & Ric. quos sequitur Sylu. verb. satisfactio §. 7. qui affirmāt nullū opus extra gratiā factū esse satisfactoriū pro pœna temporali in purgatorio pro iā dimissis lueda. Hæc de opinionib' *Alexā. Alē. q. 85. m. 1. & 2. artic. 1. & 2 S. Thom. q̄ō. 14. art. 2. D. Bona. q. 3. art 1. Ricar. art. 1. q. 5. Duran. q̄ō. 2.*

CONCLVSIO.

Existens in mortali, si pœnitentiam adimplet, præcepto de pœnitentia adimplenda satisfacit. Probatur à simili, nā vt

existens

existens in mortali, & recitans horas canonicas, vel ieiunans, vel Missam audiens, satisfacit præcepto de recitandis horis ieiunandi, & audiendi Missam, ita à simili hic; vnde non tenebitur reiterare pœnitentiam.

CONCLVSIO.

Qui adimplet pœnitentiam iniunctam, vel aliquod opus supererogationis extra gratiam facit pro pœna in purgatorio infligenda pro venialibus, siue mortalibus iam dimissis nequaquam satisfacit. Ratio est, quia satisfactio non est solum actus iustitiæ, id est, recompensationis, verumetiam reconciliationis: quoniam est tertia pars pœnitentiæ, de cuius quiditate est, offensam recompensare, & hominem Deo reconciliare: qui autem in peccato perseuerat, cum sit Dei inimicus, non potest actum amicitiæ, siue reconciliationis efficere.

Alexan. est.

CONCLVSIO.

Existens in gratia pro vno mortali iam dimisso potest satisfacere, non satisfaciendo pro alio v.g. si sit imposita oratio pro blasphemia, & etiam oratio pro furto, orando satisfacit pro blasphemia, & non pro furto. Hæc conclusio supra fuit demonstrata.

Difficultas. An præcedentia opera adueniente gratia sint satisfactoria?

S. Tho. in 3. p. quæst. 89. vlt. Alex. Alen. q. 85. m. 2. art. 3. D. Bona. q. 4. & 6.

Tres sunt opiniones: Vna Paluda. altera Caiet. de quibus proxima diffic. Tertia communis est S. Tho. q. 89. ar. vlt. D. Bon. vbi supra. Adria. de satisfactione q. quæ incipit ex dictis oritur. hi tenent opera mortua non reuiuiscere, nec quoad meritum, nec quoad satisfactionem.

CONCLVSIO.

Opera iniūcta, & impleta in mortali non reuiuiscūt quoad satisfactionem. Probatur eadem ratione, qua concl. 2. præcedentis diffic. fuit demonstrata.

CONCLVSIO.

Opera facta extra charitatem in peccato non sunt alicuius boni vel temporalis meritoria, quia meritum est opus, cui de iustitia præmium debetur, & peccator pane quo vescitur non est dignus, & satis superq; illi est, Dei Opt. & Max. ineffabilem benignitatē ad pœnitentiā eum prouocare & expectare.

CONCLVSIO.

Bona extra gratiam facta sunt quorundam bonorum fortunæ impetratoria. patet in Exodo. vbi legitur, obstetricibus Egyptiorum Deum benefecisse. quia filios Hæbreorum suffocare noluerunt. Et Romanis datum fuisse à Deo imperium propter bona eorum moralia, D. Aug. docuit.

Diffic.

Difficultas. An opera facta extra charitatem imminuant inferni pœnas?

Si huiusmodi opera sint obligatoria, minuunt quidem ad hunc sensum, scilicet, non accumulant Grauius enim punientur damnati, qui plurium transgressionum, quàm qui paucarum, rei extiterunt.

Lib. 5. de ciuit. cap. 12.

Art. II. Quibus operibus debet fieri satisfactio pœnalibusne?

Communis opinio est affirmans. Soto in 4. d. 19. q. 2 ar. 1. opinatur quodcunq; opus meritorium quantumuis delectabile, vt comedere, bibere &c. esse satisfactorium.

CONCLVSIO.

De ratione satisfactionis est, vt fiat per aliquem actum pœnalem. Ratio est, quia satisfactio fit ad corrigendam culpam, quæ non corrigitur nisi per pœnam.

CONCLVSIO.

Quamuis regulariter ita fiat satisfactio per actum s. pœnale, aliquando tamen satisfacimus per actum feruentissimæ dilectionis Dei super omnia. Ratio Sco. est quia in acceptatione diuina æquiualet actuali pœnitentiæ, & est pœnitentia virtualis.

Alex. Alē. q. 58. Soto. m. 3. S. Tho. ibid. ar. 4. D. Bon q. 6. Dur. q. 3. & 4. DD. vb. sup. Alex. Alen. q. 84. m. 2. ar. 2. S. Th. q. 15. ar. 1. D. Bonauē. ar. 1. qō. 3. Ricar. art. 1. q. 3. Sco. q. 1. Dura. q. 5. Gab. d. 16. qō. 1. Adri. de satisfa. ar. vl. Medi. qō. 6. de satisf. Syl. verbo satisf. §. 8.

CONCLVSIO.

Ad satisfactionem, vt sit actus nobis pœnam aliquam, vel tristitiam ingerens non desideratur. Quia ditissimus satisfacit per Eleemosynam, & temperatissimus per ieiunium, & neuter illorum his actibus contristatur, satis enim est, vt sit priuatio alicuius boni vtilis, aut delectabilis.

Diffic. Possumusne pro peccatis dimissis satisfacere per flagella, quæ nobis à Deo mittuntur?

DD. dist. 14. et 15. S. Tho. ar. 1. vbi supra. Ricar. q. 4. art. 1. Medin. de satisfactio qō. 5.

CONCLVSIO.

Flagella quæ à Deo propter peccata actualia mittuntur, pro peccatis iam dimissis sunt iustis recompensatoria. Nam vt tormenta animabus purgatorij inflicta sunt recompensatoria, ita & hæc. Vtraq; enim à Deo in vindictam peccatorum mittuntur.

Difficultas. Suntne satisfactoria iuxta quantitatem patientiæ, An flagellorum?

S. Tho. & Ric. ubi supra.

V. G. si duo inæqualiter patiantur, vnus per diuturnam, & grauissimam infirmitatem, alter per incendium domus &c. habeant tamen æqualem patientiam, est modo difficultas, An æqualiter satisfaciant.

CONCLVSIO.

Tunc grauiora patiens mala plus satisfacit. Quia cùm hæc flagella à Deo in pœnam peccatorum mittantur, qui plura, & maiora mala patitur, plus satisfacit; quemadmodum pœnitētes, qui maiores, & grauiores pœnitentias à Sacerdotibus impositas adimplent.

CONCLVSIO.

Flagella, quæ secundum generalem concursum ex naturalibus causis oriuntur, erunt secundum quantitatem patientiæ satisfactoria. Ratio est, quia cùm non sint hæc mala actus iustitiæ, & vindictæ diuinæ, si ex natura rei oriantur, non erunt planè recompensatoria, nisi iuxta quantitatem patientiæ illa sustinentis.

APPEN. Hinc latro, vel homicida qui suspenditur, solùm satisfaciet secundum patientiæ quantitatem.

Diffic. Suntne tria operum satisfactoriorum genera?

CONCLVSIO.

Tria quidem sunt, Oratio. s.S. Ieiunium, & Eleemosyna. Quia omne peccatum, vel est concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ. Et animaduerte, reliqua opera pœnalia, sub his tribus generibus comprehendi. Nam sub ieiunio flagella, vigiliæ, peregrinationes, & alia id genus continentur. Sub Eleemosyna verò omnia misericordiæ opera &c.

Diffic. Poteſtne vnus pro alio satisfacere?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 83. m. 1. art. 2. & 85. m. 4. S. Tho. q. 13. art. 2. reliqui dist. 20. D. Bon ar. 1. q. 1. Ric. art. 1. q. 3. Dura. quæst. 2.

Quando pœnitentia à Sacerdote pœnitenti imponitur non solùm in satisfactionem pro pœna peccati dimissi, verùm etiā in medicinam contra morbum spiritualem, vt si auaro Eleemosynæ elargitio iniungatur, tunc vnus pro alio satisfacere non potest, medicina enim & remedium cōtra morbum corporalem si alteri applicatur, tali morbo laboranti minimè proderit.

CONCLVSIO.

Quando pœnitens per seipsum satisfacere valet, per alium pœnitentiam adimplere non potest: pœnitentia enim iniuncta est obligatio personalis, quæ pro delicto imponitur. Dicitur namq; in Can. omnis vtriusq; sexus, pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere.

CONCLVSIO.

Quando aliquis per seipsum pœnitētiam iniunctam adimplere non potest, per aliū satisfacere poterit. Nam si viuus pro mortuo in purgatorio existente satisfacere potest, cur etiam pro viuo ad pœnitendum impotente non poterit.

CON-

CONCLVSIO.

Vt aliena satisfactio prosit, oportet vtrumque satisfacientem, scilicet, & illum, pro quo fit satisfactio, in charitate existere. Ratio est, quia satisfactio vnius pro alio à Deo admittitur, quatenus ambo vnius corporis mystici, vtpote Christi, sunt membra. Vt enim manus aliquando ob contumeliam alteri illatam abscinditur: ita vnũ membrũ vnius corporis mystici, cuius Christus est Caput, pro alio potest Deo satisfacere.

CONCLVSIO.

Potest vnus in charitate existens pro alio per opera supererogationis applicando illi sua opera satisfactoria Deo facere satis, sic solẽt religiosi alijs sua opera satisfactoria applicare ad pœnæ temporalis remissionem. Patet exemplo Christi, qui nulli pœnæ obnoxius pro peccatoribus ineffabiles sustinuit pœnas.

CONCLVSIO.

Poterit pœnitens per se, vel per alium pœnitentiam adimplere, si Sacerdos illam imponens istud concesserit. Ratio est, quia quando præceptum ponitur sub disiunctione, electio est debitoris. *Gabriel & Paluda. est.*

Artic. III. De Purgatorio.

De hoc art. differunt DD. d. 20. Magistri, & sunt præsertim legendi D. Bona. & Ricar. & Pater à Castro, verbo Purgatoriũ, cõtra Hæreses. Absoluetur positis aliquot difficultatib⁹.

Diffic. An sit Purgatorium post hanc vitam?

DD. d. 20. Ric. art. 2. D. Bona. q. 1. & vlt. ar. 1. Castro verbo purgatorium cõtra hæreses.

CONCLVSIO.

In alia vita est Purgatorium, in quo animæ pœnam temporalem pro peccatis mortalibus, & venialibus iam dimissis quoad culpam patiuntur. Patet Macha. 12. Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare; vt à peccatis soluantur. Qui locus non intelligitur de beatis, pro quibus non est orandum, cum sint in patria, neque de damnatis, quia ibi nulla est salutis spes.

Contra hanc veritatem est Hæresis Lutheri, & aliorum, qui purgatorium negabant. Vide Castrum vbi supra. *Hæresis.*

Difficultas, An pœna purgatorij sit maior quacunque alia præsentis vitæ pœna?

Ric. q. D. Bona art. q. 2.

CONCLVSIO.

Pœna damni, quam iusti in purgatorio patiuntur, non est maxima, quia cum sit exilium temporale à regno spe vidẽdi Deum minuitur. Quid? quod sequeretur ex opposito, olim Sanctos Patres habuisse in limbo maiorem pœnam, quam si viui in hac vita comburerentur.

CONCLVSIO.

Pœna ſenſus in animabus purgatorij eſt grauior quacunque alia huius vitæ pœna. Ratio eſt, quia anima ſeparata habet potentias perſpicaciores: & ita tunc de quacunque re nolita magis contriſtatur.

Ricar. quæſt. 3 artic. 1. q. 5.

Diffic. Quorum miniſterio animæ in purgatorio cruciātur?

CONCLVSIO.

Non cruciantur miniſterio dæmonum. Ratio eſt, quia ſunt inimici deducuntur tamen, animæ iuſtorum ad purgatorium per miniſterium bonorum Angelorum, vt animæ damnatæ per miniſterium dæmonum in infernum deportantur. Conſtat Lucæ. 16. de Lazaro, & diuite Epulone. Vide D. Bon. vbi ſupra, vbique tamen torquentur igne.

Difficultas. An pœna exiſtentium in purgatorio ſit meritoria, & voluntaria?

Vide D. Bona vbi ſupra, ar. 1. q. 3. Ric. q. 2.

CONCLVSIO.

Animæ exiſtentes in purgatorio voluntarie, id eſt, patienter tormenta ſuſtinent. patet exemplo infirmi, qui patienter ſuſtinet tormenta ignis, quoniam intelligit eſſe remedium ad ſalutem neceſſarium.

CONCLVSIO.

In purgatorio nullus demereri poteſt. Ratio eſt, quia poſſet tunc peccare, & ex conſequenti damnari, quod eſt manifeſtè falſum.

CONCLVSIO.

Animæ in purgatorio exiſtentes per patientiam, quam habent in tormentis, neque gratię, neque glorię augmentū promerentur. Patet Eccleſiaſt. 9. quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia eſt apud inferos, quo tu properas; quo loco purgatorium. infernum appellatur, tum etiam; quia ſolus actus in hac vita elicitus à charitate eſt meritorius.

FLORES QVÆSTIONIS de Sacramento Extremę Vnctionis.

Art. 1. De his, quæ ad eſſentiam huius Sacramenti pertinent?

DD. diſt. 23. q̄. vnica Sco. Dur q. 1. Ric. art. 1. quæſt. 1.

Hic Articulus aliquot difficultatibus poſitis patebit.

Diffi. An Extrema Vnctio ſit Sacramentum?

CONCLVSIO.

Extrema vnctio verum eſt Sacramentum, eſt enim cæremonia

monia à Christo Iesu instituta gratiam conferens. Nam si in peccatis, inquit D. Iaco. fuerit, remittentur ei, estque definita in Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. D.Iacob.c.5.

Diffic. Fuitne hoc Sacramentum à Christo institutum?

Hanc difficultatem expositam leges art. 5. qō 3 de sacramentis in genere. Ricar.q.2.

Diffic. Cum habeat plures Vnctiones, & formas, estne Vnum Sacramentum, an plura?

CONCLVSIO.

Vnum est vnitate perfectionis, licet plures vnctiones, & formas habeat: constat à simili de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod vnum est, quamuis duas formas, duasque materias partiales habeat. D.Bona.art.1. q.3.& 4.Scot. ibid. Dur.q.2. & 3.Ric.q.3.

Diffic. Quanam est huius Sacramenti Materia?

CONCLVSIO.

Necessaria materia est Oleum Oliuarum, Definita est in Can. vnico de sacra vnctione, & in Concil. Flor. sub Eugenio IIII.

CONCLVSIO.

Est etiam de necessitate huius sacramenti, vt oleum sit benedictum. Definita est in Conc. Trid. vbi supra cap. 1.

CONCLVSIO.

Est etiam de essentia huius sacramenti, vt benedictio fiat per Episcopum, aut à Sacerdote per Papæ facultatem. Definita est in Conc. Trid. proximè citato expressè, nam dicit Concilium, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum, quæ quidem benedictio facta ab Episcopo, cum non sit de iure diuino, sed de positiuo tantum, poterit per solum Romanum Pont. Presbytero committi. APPEN. DD. vbi supra Ricar.q.4.

Hinc cauendus erit Caieta. qui licet timidè, existimat olei benedictionem per quemlibet Presbyterum fieri posse.

Diffic. Quanam est huius sacramenti forma?

CONCLVSIO.

Præcisa forma est, indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum &c. ita vt per verbum indicatiui modi non conficiatur. Definita est expressè in Concil. Flor. D. Bona & Ric. referunt aliquas Ecclesias, vt Græcorum Ecclesiam habere formam indicatiui modi, dicendo: vngo oculos tuos oleo in nomine patris &c. apud quos nisi addatur, vt indulgeat tibi Deus &c. Extremæ vnctionis sacramentum non conficietur.

Art. II. De effectu huius sacramenti.

An sit remissio Venialium principalis effectus?

Duæ sunt opiniones, quas citat D. Bona. Vna tenet non q.1.ar.1.& q.

 esse

2.ar.2.Ric.q°. 3.& 6.art.1. Duran.q.1. esse proprium effectum venialium remissionem, sed d immutionem reliquiarum peccati originalis, & actualis, & est. S. Tho. Altera opinio est Ric. D. Bona. Scot. Duran. & Maio. qui tenent ordinari ad remissionem venialium.

CONCLVSIO.

Remissio venialium est huius sacramenti effectus, dicit enim B. Iacob. etsi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Definita fuit in Conc. Trid. Can 2. & Can. 3.

CONCLVSIO.

Non tamen est peculiaris effectus huius sacramenti. Ratio est, quia (vt supra diximus) remissio venialium est effectus communis omnium sacramentorum. Quia si per sacramentalia fit talis remissio, multo magis per sacramenta fiet.

CONCLVSIO.

Neque est peculiaris effectus reliquiarum peccati diminutio, scilicet, corporis ad bonum, & pronitatis ad malum, tunc enim deberet etiam sanis, sicut infirmis administrari, cum hęc peccatorum vestigia patiantur. Quid? quod potius esset dicendus generalis effectus, omnium sacramentorum, quæ quidem conferunt gratiam, qua fomes peccati diminuitur: verum tamen est, reliquias peccatorum per Extremam vnctionem extenuari. quemadmodum Concil. Trid. vbi supra, docet.

CONCLVSIO.

Peculiaris autem effectus gratiæ, quæ per hoc sacramentũ confertur, est auxilium contra tentationes, quas homo, tempore mortis patitur. Definita est in Conc. Trid. cap. 2 ubi supra, vbi ita legitur. Res etenim huius sacramenti est gratia Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animã alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, quia infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis, facilius resistit: nunquam enim homo magis eo auxilio, quam in instanti mortis indiget.

Art. III. An solus Sacerdos sit huius sacramenti minister?

D. Bona art. 2 q. 1. Ric art. 2. q. 1. & 2. Scot. vbi supra, Duran. quæst. 3. Cap. 5.

CONCLVSIO.

De necessitate huius sacramenti est, vt à Presbyteris ministretur. Nam inducat, inquit D. Iacob. Presbyteros. estque Definita in Conc. Trid. vbi supra, & in Cano. quæ fuit verbi significatione.

CONCLVSIO.

Debetque à proprio Sacerdote ministrari, etsi ab alieno ministretur, erit verum sacramentum, peccabit tamen mortaliter administrans. Si verò à religioso sine licentia Curati, erit excom-

excommunicatus. Ita definitur in Clement. dudum, de sepulturis. In casu tamen extremæ necessitatis poterit quilibet Sacerdos, etiam religiosus, per ratihabitionem in absentia proprij Curati illud administrare. Ratio est, nam tunc actum charitatis exercet.

CONCLVSIO.

Si ante finitam extremam Vnctionem contingat ministrum mori, aut infirmari, poterit hoc sacramentum, ab alio Sacerdote perfici. Probatur à simili de Sacramento Eucharistiæ.

Art. IIII. De recipientibus extremam Vnctionem. An sit ministranda sanis, furiosis, & pueris? D. Bona. art. 2. q. 2. Sco. vbi supra, Ric. art. 2 q. 3. & 4. Duran. q. 4.

CONCLVSIO.

De necessitate huius sacramenti est, vt sanis non ministretur, nam dicit B. Iaco. infirmatur quis in vobis &c.

Hinc, si damnatis ad mortem, aut in periculo mortis violentæ existentibus ministretur, non erit verum sacramentum: propterea quod isti non infirmantur, bene tamen, si detur cōfosso vulneribꝰ: quia quāuis sit mors violēta, tamē infirmatur. APPEN.

CONCLVSIO.

Ad veritatem huius sacramenti requiritur, vt medici de infirmi salute desperent, non autem, vt sit omni spe destitutus. Confirmatur ex vsu Ecclesiæ & Concil. Florent. authoritate.

CONCLVSIO.

Non debet nisi petentibus conferri. Patet ex vsu Ecclesiæ; & confirmatur à simili de alijs sacramentis dempto Baptismo respectu paruulorum.

CONCLVSIO.

Perpetuo amentibus, qui nunquam ratione vsi fuerunt, non est extrema vnctio administranda, quia datur in remissionem peccatorum; & isti nunquam peccauerunt.

Hinc phrænericis, & habentibus lucida interualla erit administranda: si illam in sanitate petierunt. APPEN.

CONCLVSIO.

Pueri, qui nondum habent annos discretionis, non debent illam recipere. Quia non indigent remedio contra peccata, cum nondum peccauerint. neque contra tentationes, quas tēpore mortis non patiuntur: bene tamen erit administranda pueris, qui annos discretionis attigerunt, quamuis non sint Eucharistiæ capaces.

Difficultas. Estne de necessitate huius sacramenti determinatas corporis partes vngere? D. Bona. art. 2. q. 3. Ric. q. vlt. Scot & Durā. vbi supra.

CONCLVSIO.

De essentia huius sacramenti est, vt vnctio in quinq; sensibus

bus fiat, in oculis, ſcilicet, auribus, naribus, ore, quod eſt organum guſtus, manibus, quæ ſunt organa tactus. Ratio huius concluſionis eſt immemorabilis Eccleſiæ vſus; & quia per quinque ſenſus mors ſpiritualis ad animam intrat.

CONCLVSIO.

Vnctio in renibus, & pedibus non pertinent ad huius ſacramenti eſſentiam. Nam in nonnullis Eccleſijs, & religionibus nõ fit ibi vnctio. Et fœminæ in vmbilico, & nõ in renibus vnguntur, & tamen hi omnes verũ recipiunt ſacramentũ.

CONCLVSIO.

Sunt tamen de integritate huius ſacramenti, vt olim reſpectu Baptiſmi erat trina immerſio, in quarum vltima dabatur gratia: quia miniſter non intendebat conferre ſacramentum vſque ad vltimam immerſionem.

APPEN. Hinc, ſi infirmus in quinque prioribus unctionibus non eſt diſpoſitus ad ſuſcipiendam gratiam, in vltima vnctione, ſi tamen fuerit diſpoſitus, illam recipere poterit.

FLORES QVÆSTIONVM de Sacramento Ordinis.

De hoc Sacramento diſſerit Mag. d. 24. & 25. & DD. ibid. Et Caſtr. verbo Ordo, & verbo. Sacramentum.

Art. I. De ijs quæ ad eſſentiam Sacramenti Ordinis pertinent?

DD. diſt. 24. D. Bona. q. 3. ar. 1. Ric. art. 3. q. 2. Sco. quæſt. vnica Duran. q. 1.

Abſoluetur art. aliquot difficultatibus poſitis.

Diffic. An ordo ſit nouæ legis Sacramentum?

CONCLVSIO.

Ordo pro ordinatione ſumptus eſt, verum ſacramentum. Conſtat ex definitione ſacramenti in principio operis poſita, eſt enim ſignum ſenſibile &c. ex Conc. Flor. & Trid. lege ſupra de ſacramentis in genere.

Scot. liberatur quæſt. 1. art. 1. Hic defendendus eſt Scot. ab iniuria, qua illum afficit Soto. Nam dicit Scot. dixiſſe Sacramentum Ordinis eſſe poteſtatem ſpiritualem, ſcilicet, charitatem, & non potius ordinationem ipſam, cum tamen expreſsè Sco. oppoſitum affirmauerit. Eius enim verba hæc ſunt: quid ergo eſt ſeptimum ſacramentum? dico, quod ordinatio, cuius deſcriptio poteſt eſſe iſta: ordinatio eſt inſtitutio alicuius in gradu Eccleſiæ eminente, cui conuenit aliquod miniſterium circa Euchariſtiam exhibendum, facta à miniſtro idoneo certa verba proferente. Hæc Sco. qui quidem quando prius dixit ordinem non eſſe ſacramentum, loquebatur de charactere, qui eſt res ſacramenti, & non ſacramentum, cum ſit inuiſibilis.

d. 24. q. 2. ar. 3

Diffic.

Diffic. Quando fuit hoc sacramētum à Christo institutum? *Sco. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Tempore cœnæ fuit institutum, & post resurrectionē consummatum. Ratio est, quia hoc Sacramentum Ordinis perfectio constat potestate conficiendi corpus Christi verum, & remittendi peccata. Prima fuit tradita post cœnam, quando dixit Apostolis. Hoc facite in meam commemorationem. Secunda verò post resurrectionem, quando dixit, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c. hoc autem intelligendum est de septem omnibus ordinibus: quia Christus dedit potestatem Ecclesiæ administrandi, & ordinandi ministros ad sacrificium Eucharistiæ necessarios. Vt constat authoritate Anacleti Papæ in cap. 2. sui decreti. & B. Ambrosij super locum, ipse dedit quosdam Apostolos &c. *ad Eph. 4.*

Hinc confutatur error dicentium minores ordines esse inuentum humanum. *Hæresis.*

Diffic. An Sacramentum Ordinis in septem ordines, quorū quilibet sit sacramentum, rectè diuidatur?

Tres sunt opiniones circa partem secundam tituli, an quilibet Ordo sit sacramentum. Prima Dur. asserentis solum Sacerdotium esse sacramentum, reliqua verò esse sacramentalia quædam. Secunda opinio videtur esse Caiet. B. Tho. D. Bon. & Ric. Alberti magni, Almay, Maioris &c. asserentium omnes septem ordines esse sacramenta, & in illis omnibus imprimi characterem. Tertia opinio quam citant D. Tho. & D. Bon. tenet sacerdotium, diaconatum, & subdiaconatum, qui dicuntur ordines sacri esse sacramenta: reliquos verò quatuor sacramentalia. *quæst. 2. Caieta. in q. de ritu ordinis et in 3. p. q. 64. ar. 3. D. Bonæ. qō. 1. et 4. Ric. q. 3. ar. 3. Dur. Scot. q. vnica.*

CONCLVSIO.

Conuenientissimè Ordinis sacramentum in septem ordines diuiditur. Nam si regiam mensam decet varios esse, & multiplices ministros (vt de mensa Salomonis constat) quanto magis conueniet mensæ regis gloriæ vbi vitæ panis, qui est Christus Iesus, spiritualis animarum ministratur? quæ enim in mensa regis Salomonis gerebantur, erant figura Ecclesiæ, in qua varij sunt ministri, varijsq; vestibus, ad varia officia designati. *4. Reg. 4.*

CONCLVSIO.

Numerus ministrorum congruentissimè fuit septenarius: nēpe Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Colytus, Exorcista, Lector, & Ostiarius. Hæc probatur cōtra hæreticos ātiquissima primitiuæ Ecclesiæ cōsuetudine. Nā canones Apostolorū diaconi, & subdiaconi &c. mentionem faciunt; vt constat in

ſumma Conciliorum Can. 42. & 43. fuerunt enim ab initio naſcentis Eccleſiæ ſeptem ordines, de ſingulorum autem miniſterijs lege Magiſtrum ſententiarum hac diſtinctione.

CONCLVSIO.

Non eſt erroneum affirmare cum Dur. ſolam ordinationẽ Sacerdotis eſſe ſacramentum Ordinis: reliquas verò ordinationes ſacramentalia eſſe. Quia Eccleſia hactenus non declarauit oppoſitum. neq; eius opinio ſcripturæ ſacræ, & ſanctorum authoritatibus contradicit.

CONCLVSIO.

Tres ordines ſacri, ſcilicet, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, ſunt ſacramenta, reliqui verò quatuor, ſacramentalia. Nam B. Pau. deſcriptis moribus Epiſcoporum, depingit Diaconi & Subdiaconi mores: ita vt qui ſic miniſtrãt, nullum habeãt crimẽ, quibus virtutibus fulgere non poſſunt, ſine gratia quæ per illos ordines confertur. Tum etiam Diaconus, & Subdiaconus, quemadmodum & Presbyteri, ab Eccleſia matrimonium contrahere prohibentur; Sacerdotium autem eſſe ſacramentum, ex dictis patet. — 1. ad Thimo. 3.

Hinc confutatur error Vvicleff, qui duos tantum ordines eſſe aſſerebat: in quem inuehitur Pater à Caſtro. verbo Ordo. — Hæreſis.

DVBIVM.

Tres ordines ſacri imprimuntne characterem?

Si character pro poteſtate ſolemniter celebrandi ſumatur Sacerdotium, diaconatus, & ſubdiaconatus, characterem imprimunt. Quia nullus non ordinatus poteſt ſolemniter horum ordinum miniſteria abſq; mortali peccato exercere. Dicitur autem ſolemne miniſterium, quod veſtibus ſacris fieri conſueuit: vt ſi quis non ſubdiaconus, cum manipulo caneret aut legeret Epiſtolam, quia ſolus manipulus eſt ſignum ordinis vt conſtat in miſſis feriatis, peccaret, & efficeretur irregularis. Idem iudicium eſt de non diacono ſolemniter diaconatus officium faciente. Sunt autem varij modi, quibus character à DD. ſumitur: & iuxta hos varios modos variè de hoc dubio ſentiunt. — Ri. d. 24. ar. 4. q. 3. D. Bo. q. 4.

Diff. Qua actione cuiuſcunq; Ordinis character imprimitur? — Ric. et D. Tho. vbi ſupra.

Meritò hoc quæritur: quia in collatione cuiuſcunq; ordinis variæ actiones interueniunt.

CONCLVSIO.

In ſingulis ordinibus per illam actionẽ character imprimitur, per quam principalis illius ordinis poteſtas applicatur: vt Sacerdoti imprimitur character, quãdo datur poteſtas cõſecrandi, ſ. per traditionem calicis cum vino & patenæ cum Hoſtia.

Hostia. Et diacono, quando traditur potestas legendi Euangelium, quæ est principalis, imprimitur character per traditionem libri Euangeliorũ. Similiter & subdiacono per traditionem calicis vacui, & patenæ, nam principalis eius actus est materiam consecrandã præparare. Canonizata est per Concil. Flor. expressè, vbi ita legitur. Sextũ Sacramentũ est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus verò per libri Euãgeliorum dationem: subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Hactenus Concilium.

Dubium. Instituitne Christus diaconatũ, & subdiaconatũ?

CONCLVSIO.

Christus diaconatum instituit: fecit enim Apostolus mentionem de diaconatu, ideoque credendum est illum instituisse, quemadmodum & extremam vnctionem, quam B. Iacob. promulgauit.

De subdiaconatu dicitur, Apostolos diuisisse diaconatum in duos gradus, atque ita est sacramentum. Magister sententiarum tenet, Ecclesiam instituisse subdiaconatum, & reliquos minores ordines. Et quo ad minores nemo illi contradicit, cum non sint sacramenta. *De sacramenti genere.*

Dubium Peccantne mortaliter diaconus, & subdiaconus in mortali hac sacramenta exercentes?

Supra de hoc dubio egimus, non enim peccat. Quia tunc mortaliter peccatur, quando vnctus qui exercetur ex opere operato gratiam confert; qualis actus non est Euangelium, vel Epistolam legere. *Caieta 3. p. qõ. 64. artic. 6.*

Dubium. Licetne septem ordines præpostero ordine recipere?

CONCLVSIO.

Nequaquam est licitum, etsi fiat; non erit Ordo reiterandus, sed qui deest, est supplendus. Definita est in cap. Tuæ literæ, de Clerico per saltum promoto. *Dur. quæst. 1.*

Diffic. Quænam est Presbyteratus forma?

CONCLVSIO.

Forma huius sacramenti est hæc; accipe potestatem offerẽdi sacrificiũ in Ecclesia pro viuis & defunctis. Definita est expressè in Conc. Flor. vbi in aliis ordinibus similis forma ponitur.

CONCLVSIO.

Materia verò est res illa, quæ suscipienti ordinem traditur; vt Ca-

vt Calix cum vino &c. Presbyteratus materia; liber Euangeliorum, diaconatus; Calix vacuus cum patena subdiaconatus & sic de aliis ordinibus; ita enim in eodẽ Concilio definitur.

DVBIVM.

Estne de essentia huius sacramenti, vt ordinandus tangat materiam?

Verb Ordinandi in summa.

Caiet. & alij tenent non esse necessarium talem contactũ; sed sufficere solam traditionem per Episcopum factam. Contraria opinio est verior, & securior.

CONCLVSIO.

Ordo, vt est sacramentum, supponit pro traditione, quæ fit ab Episcopo, & verba, contactumq suscipientis connotat. Constat ex vsu Ecclesiæ, quod est fortissimum argumentũ. Quemadmodum enim non acquiritur dominium, nisi per possessionem, quæ fit per contactum; ita non acquirit aliquis potestatem celebrandi, quin materiam tangat.

S. Tho. 2. 2. q. 184 art. 6 ad 1. Ric. art. 1. q. 1. & 2. Scot. q vnica.

Art. II. De Annexis huic sacramento?

Hic art. duabus difficultatibus positis absoluetur.

Diffic. An Sacerdotium, & Episcopatus, sint ordines iure diuino distincti?

Scot opinatur partem negantem esse probabilem. Dur. vero magis communem, & securiorem esse affirmat.

CONCLVSIO.

Quoad potestatem ordinis Episcopus iure diuino est superior, atque à simplici Sacerdote distinctus. Ratio est, quia solis Episcopis conuenit quædam potestas ordinis, quam Ecclesia annullare non potest. Nam Episcopus degradatus, si conferret ordines, vel confirmaret, verum sacramentum conficeret, vt definitum est in cap. Vnico. de ordinato ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, quapropter talis potestas iure Diuino, & non positiuo Episcopis, cõuenit, alioquin enim Ecclesia illam reuocare posset.

Dur. q. 5. & 6

Diffic. Estne Episcopatus ordo distinctus à Sacerdotio?

Duæ sunt opiniones contrariæ, quas citant Sco. & Dur. vbi supra, intelligenda est difficultas de ordine, non vt est dignitas in Ecclesia, sed vt est ordinatio quædam. Tenet autem prima opinio esse ordinem, & sacramentum à Sacerdotio minime distinctum; secunda verò asserit non esse sacramentum.

CONCLVSIO.

Ordinatio Episcopi, nõ est perfectè sacramentum, aut ordo distinctus à Sacerdotio. Episcopatus enim necessario præsupponit Sacerdotiũ, cũ nemo possit, quin sit Sacerdos, Episcopus consecrari: essentq; iam non septẽ, sed octo distincti ordines,

CON-

CONCLVSIO.

Ordinatio Episcopi, est idem Ordo, & Sacramentum cum Sacerdotio: distatq. solum tanquam magis perfectum à minus perfecto. Nam vt Eucharistia constat speciebus, panis, & vini vnum sacramentum perfectum efficientibus: ita & Episcopatus, qui est perfectum Sacerdotium duabus ordinationibus constat; prima, qua Sacerdos imperfectus efficitur, & secunda, qua perfectus constituitur. Quia Episcopus habet potestatem conficiendi omnia sacramenta, qua simplex Sacerdos caret. Vnde B. Aug. Episcopum, consummatum Sacerdotem appellat.

CONCLVSIO. D.Bon.& Ric est & S. Tho.

Ordinatio Episcopi nouum characterem non imprimit, sed Sacerdotalem præexistētem ampliat, non enim est sacramentum à Sacerdotio distinctum: & quando Sacerdos Episcopus consecratur, eius character, seu potestas ad omnia septem sacramenta, vt ad Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, quæ antea ministrare non poterat, extenditur.

Duran. opinatur nouum characterem imprimere.

Art. III. De ministro huius Sacramenti, an sit solus Episcopus? Ric.art.1.q.1. D.Bon.Duran & Scot. q. 1.

Hoc artic. distinctio 25. Magistri aperitur.

CONCLVSIO.

Solus Episcopus, & non alius, vel ex officio, vel ex commissione Papæ, sacros ordines maiores conferre potest. Definita est in Conc. Flor. & Trid. Sess. 23. & Can. 4. vbi expresse definitur. Episcopus solus ordinarius huius sacramenti minister esse dicitur; tum etiam ex Ecclesiæ consuetudine. Hactenus enim Rom. Pont. simplici sacerdoti huius sacramenti administrationem non commisit.

Innocent. in cap. 4. quem citat sylu. Ver. Ordo §. 3. & 7. opinatur. posse Rom. Pont. simplici sacerdoti collationem sacrorum ordinum committere.

CONCLVSIO.

Minores ordines à sacerdote non Episcopo conferri possunt: vel ex commissione Papæ, vel ex lege, siue ex consuetudine. Definita est in cap. quando. Et in cap. non contingat de Etate, & qualitate ordinandorum, vbi Abbatibus diœcesanorum conceditur. Illos etiam Cardinales Presbyteri ex cōsuetudine conferunt.

CONCLVSIO.

Episcopus hæreticus, siue sit à Catholicis, siue ab hæreticis ordinatus, de facto sacros ordines conferre potest: quāuis conferendo

conferendo peccet, & suscipiens similiter, atq; irregularis red datur. Canonizata est ab Ecclesia in Cano. quod quidã. 1. q. 1. & B. Aug. & Can. sicut semel. 68. dist. & est B. Gregorij, retinet enim characterem indelebilem. Est autem intelligenda cõclusio hac lege, scilicet, vt sit in forma Ecclesiæ ab hæreticis ordinatus.

Ricard.

CONCLVSIO.

Episcopus suspensus, excommunicatus, aut degradatus, quamuis mortaliter peccet sacros ordines conferendo; verũtamen ordinis sacramentum conficit. Retinet enim facultatẽ ordinandi: quia characterem inde lebilem habet, & colligitur à simili ex cap. 1. de ordinatis ab eo, qui Episcopatui renunciauit.

APPEN. Ricard. est.

Hinc, omnes textus iuris canonici in quibus ordinatio ab hæreticis facta dicitur esse irrita; intelligendi sunt quo ad exercitium, siue exequutionem ordinis, quia sic ordinatus manet irregularis, non tamen quo ad characterem.

Ric art. 4. q. 1 Sco q. 2. D. Bona. quæst. 1.

Art. De suscipientibus hoc Sacramentum.

CONCLVSIO.

Sexus fœmineus impedit ordinis susceptionem, ita vt nulla fœmina characterem recipere possit. Dicit enim B. Paul. mulierem in Ecclesia docere non permitto, nec dominari in virum; dominaretur autem si in aliqua dignitate Ecclesiastica constitueretur.

1. Timoth. ca. 2

Aetas infantilis, aut defectus vsus rationis, huius sacramẽti veritatem non impedit, etiam si præceptum Ecclesiasticum sacros ordines conferri prohibeat. Solus Dur. hanc conclusionem diffitetur. Ratio est, quia character, id est, potestas cõficiendi sacramenta, quæ in hoc sacramento confertur nõ requirit in suscipiente rationis vsum. Quemadmodum neque character Baptismi, & confirmationis. Hoc enim differt hoc sacramentum à pœnitentia, & matrimonio, quæ nõ possunt recipi, nisi à ratione vtentibus; quia huius materia est res exterior, illorum vero sunt actus humani suscipientis. Et confirmatur expresse ex cap. Vnico. de Clerico per saltum ordinato, esse autem hoc contra præceptum Ecclesiasticum, & mortale peccatum per totum titulum de ætate, & qualitate ordinandorum demonstratur.

Ricar. art. 4. q. 2. Dur. q. 2.

Difficultas. Paruulus ordinatus tenebiturne continentiã sacris ordinibus annexam seruare?

Duæ sunt opiniones. Prima glossæ in cap. proximè citato, quæ dicit obligari. Communis autem opinio negat. Non obligatur ad illam seruandã, quia continẽtia sacris ordinibus annexa

annexa actũ volũtatis præsupponit, quod si matrimoniũ contraheret sacros ordines exercere prohiberetur. Nihilominus tamẽ probabile esse videtur non posse habito rationis vsu matrimonium contrahere. Nam sicut ligatur aliis præceptis Ecclesiasticis, similiter & hoc præcepto Ecclesiastico, vt sit ad contrahendum inhabilis.

CONCLVSIO.

Illegitime natus est irregularis, quo minus possit de lege sacros ordines recipere. Definita est in cap. vt filij. de filiis Presbyterorum. & in cap. 25. qui eos qui eodem titulo in 6.

CONCLVSIO.

De facto tamen si ordinetur, ordines recipiet. Ratio est, quoniam irregularitas est de iure tantum canonico, quod quidemius characteris receptionem non impedit.

Nota Episcopum posse dispensare, vt illegitime nati ad minores ordines promoueãtur, ad maiores verò præter Papam posse neminem.

CONCLVSIO.

Ingressus religionis tollit omnem irregularitatem, prætterquam ex homicidio, & bigamia, quantum ad ordinis susceptionem. Definita est Can. Presbyter 16. d.

CONCLVSIO.

Non tollitur tamen quo ad exquutionem, & administrationem, in ordinibus susceptis. Nam si Sacerdos irregularis, religionem ingrediatur, eius irregularitas, etiam facta professione, nisi per dispensationem, non tollitur.

CONCLVSIO.

Illegitime nati, nõ possũt in religione Prælati institui, nisi in hoc cũ illis fuerit dispẽsatũ. Ita definita est in cap. vt filij, alleg.

CONCLVSIO.

Seruus est irregularis ad ordines sacros recipiendos, nisi eius Dominus consenserit. Definita est tota dist. 54. & toto titulo de seruis nõ ordinãdis, & Domino cõsentiẽte efficitur liber, etsi habuerit pretiũ, tenetur se redimere, & Episcop⁹ sciẽter illũ ordinãs, ad duplũ pretiũ Domino restituẽdũ obligatur.

CONCLVSIO.

Seruus ignorãte Episcopo, & Domino, ordinatus, à seruitute non liberatur, hoc enim in detrimentũ proprij Domini esset.

CONCLVSIO.

Neque poterit ministrare, nõ enim est sui iuris lege dist. 45. Hinc seruitus de facto sacramẽti veritatẽ nõ tollit: recipit enim characterẽ, quia nõ est seruitus impedimentũ ex iure diuino.

CONCLVSIO.

Corpore vitiatus, si vitium Sacramenti Ordinis ministeriũ impe-

impediat, est irregularis, vt abscisio pollicis, vel si causat horrorem, vt abscisio nasi, vel macula in oculos notabilis. Definita est per totum titulum de corpore vitiatis, extra.

CONCLVSIO.

Potest tamen Papa cum his dispensare, vt ad sacros ordines promoueantur. Patet exemplo B. Petri, qui cum D. Marco dispensauit, qui pollicem sibi, vt Sacerdotio indignus haberetur, amputauit.

CONCLVSIO.

Eunuchus, qui se, vt continentiam seruaret, castrauit, irregularis efficitur. Definita est in Can. si quis absciderit §. d.

CONCLVSIO.

Quicunque fuerit homicidij iusti, vel iniusti & mutilationis membrorum causa; est irregularis. Definita est in cap. sicut dignum. Et in cap. de cætero, de homicidio.

APPEN. Hinc iudices, testes, aduocati, tabelliones, & omnes iustitiæ ministri, qui dant causam homicidio, aut mutilationi membrorum, & dantes fauorem, consilium, auxilium, vnde homicidium sequitur, sunt irregulares. V.g. extrahentes ad suspendendum ab Ecclesia. constat ex cap. sicut dignum. citato. Dauidi enim prohibitum fuit à Deo templum construere, quoniam vir sanguinis erat.

Rit art 5. q 3. Scot. quæst. 1.

Difficultas. Quando ratione homicidij irregularitas contrahetur?

Varia est inter DD. disputatio circa proximam conclusionem: intelligetur facile in hac difficultate.

CONCLVSIO.

Omne homicidium, aut mutilatio membri in se voluntaria, inducit irregularitatem. Definita est in cap. sicut dignum & cap. de cætero, de homicidio.

CONCLVSIO.

Non autem inducit irregularitatem, si propter defensionē propriam fiat. Definita est in Clementina. vnica, homicidio.

CONCLVSIO.

Qui dat operam rei illicitæ simul, & periculosæ, etiam si præter eius intentionem homicidium, aut membri mutilatio sequatur, efficietur irregularis, quia illis duobus concurrentibus, scilicet, periculo, & re illicita, homicidium inde sequutum in sua causa voluntarium censetur. Et ita inducit irregularitatem, vt si Clericus hastis ludēs hominem interficeret, aut mutilaret quantacumque diligentia adhibita incurret irregularitatem.

APPEN. Hinc Clericus medicus, qui causa pietatis curans infirmū, occidit,

occidit illum, non est irregularis, quia curando gratis, quãuis det operam rei periculosæ, non tamen rei illicitæ, ita definitur in cap. tua nos de homicidio.

CONCLVSIO.

Si Clericus, aut Laicus die dominico sternat regulas, si non admonuerit prius prætereuntem, & illum interfecerit, erit irregularis, quia non admonendo, & adhibendo diligentiam debitam fuit voluntariè negligens, & ex consequenti homicidium fuit in sua causa voluntarium. Definita est in cap. continebatur. Et in cap. Presbyterum, & sequẽtibus de homicidio.

Hinc si prius prætereuntem admonuerit, debitamq; diligentiam adhibuerit, non erit irregularis. Nam licet det operam rei illicitæ, non tamen periculosæ. APPEN.

CONCLVSIO.

Qui dat operam rei illicitæ, erit irregularis, si ex negligentia homicidium sequetur: quia cùm hæc negligentia sit culpabilis censetur voluntaria.

Hinc qui verberat discipulum etiam iustè, & ferit caput, ita vt mors sequatur erit irregularis; quia fuit negligens & incautus, vt constat ex cap. Presbyterum citato. APPEN.

Hinc non erit irregularis qui scindit arborem, quæ cadẽs hominem interficit, si prius diligentiam, ne aliquem opprimeret, adhibuit, ita intelligendus est casus in cap. dilectus de homicidio. APPEN.

CONCLVSIO.

In his omnibus euentibus incurrit irregularitas quamuis mutilatus, vel occisus, sit infidelis, ioccidẽs tamen vt sit irregularis baptizatus esse debet, propterea quod talis irregularitas tollitur per Baptismum.

CONCLVSIO.

Sunt etiam irregulares, qui concomitantur malefactorem morte plectendum, quia quodammodo homicidio cooperantur. Si tamen sic sunt mortis causa, vt mors si ipsi non custodissent reum, non fuisset sequuta.

CONCLVSIO.

Qui pugno extrahit dentem non est irregularis, neque mutilator dicitur, & pœnæ iuris non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

CONCLVSIO.

Qui est in causa, vt alij citius moriantur, vt qui infirmis assistunt, & illos vertunt, si bona fide illud faciunt, non vidẽtur esse irregulares: grauissima enim est pœna Ecclesiæ, quæ bona fide operantes comprehendere non videtur.

CONCLVSIO.

S Qui de-

3.part.q°.39. artic.4.

Qui defendẽdo se moderamine inculpatæ tutelæ olim erat irregularis, vt S. Tho. docet, modo autem iam est hoc reuocatum, per nouam Clementinam, atq; ita poterit celebrare.

PROPOSITIO.

Ecclesiastici ponentes iustitias, & exhortantes vt obseruẽt eam, non sunt irregulares,

PROPOSITIO.

Non defendentes alium qui occiditur si ex officio defendere tenebantur, sunt irregulares, non autem si illis ex officio non incumbebat.

CONCLVSIO.

Per solam sanguinis effusionem citra homicidium aut mẽbrorum mutilationem irregularis efficitur nemo, Ratio est, quia pœna non est extendenda vltra casus à iure expressos.

Ric.art.4.q.3. & sequẽtibus at Sco. vbi supra. Sylue. ver. irregularitas. Sess.14.

Dubium. De defectu ex parte delicti.

Delicta aut antecedunt ordinis sacri receptionem aut illam concomitantur, aut illam subsequuntur crimina, quæ inducunt irregularitatem, quo minus aliquis ad sacros ordines promoueatur, quinq; sunt quibus singulæ propositiones respondebunt.

PROPOSITIO.

Apostata à fide, vt hæreticus, hæresi damnatus, aut idololatria, aut infidelis post Baptismum, qui omnes Apostatæ appellantur, sunt irregulares quoad ordinis susceptionem. Definita est in Cano. Presbyteros. 50. dist.

PROPOSITIO.

Rebaptizans, & rebaptizatus irregulares efficiuntur.

PROPOSITIO.

Religiosus qui gratia audiendi leges, aut medicinam, monasterium relinquit, nisi intra duos menses reuertatur, irregularitatem incurrit. Definita est in cap. per speculum, ne clerici vel monachi &c.

PROPOSITIO.

Qui ministrat solemniter in ordine non suscepto, vt si diaconus cum stola, vel qui non est subdiaconus cum manipulo, in Missa dicat epistolam est quoq; irregularis. Definita est in cap. 1. & 2. de eo qui ministrat ordinem non susceptum.

PROPOSITIO.

Irregularis quoq; est, qui infamia iuris, aut facti est infamis.

Crimina ordinis susceptionem concomitantia, & irregularitatem inducentia, sunt quæ sequentibus propositionibus explicantur.

PROPOSITIO.

Excommunicatio maior, est primum crimen. Nam si ita excommunicatus suscipiat sacros ordines irregularis efficitur. Definita est in cap. cum illorum. De excommunicatione in 6. quod de maioribus tantum ordinibus est intelligendum.

PROPOSITIO.

Secundum est, quando aliquis recipit sacros ordines ab Episcopo, qui Ecclesiæ, & dignitati renunciauit, vt fiat monach', ita definitur ca. 1. de eo, qui recipit ordines ab Episcopo &c.

PROPOSITIO.

Tertium est, quando aliquis recipit sacros ordines ab Episcopo excommunicato, & denuntiato, qui omnes susceptos ordines ministrare, & alios ordines recipere prohibentur.

Crimina quæ sequuntur post ordinis susceptionem, sunt scilicet, suspensus, excommunicatus, aut interdictus, si celebrat, vt definitum est in toto titulo de Clerico ministrãte, & in cap. finali. De excessibus prælatorum, & in Cap. Cum medicinalis. De excommunicatione in 6.

Dubium. In quibus casibus aliquis est suspensus?

PROPOSITIO.

Qui suscipit ordines ab alieno Episcopo sine licentia proprij, & à proprio suspenditur. Si celebrat, efficitur irregularis.

PROPOSITIO.

Quando vno die contra prohibitionem sub excommunicatione recipit aliquis duos ordines, vel ambos sacros, vel vnũ minorem, & alterum sacrum, irregularitatem incurrit. Quia recipit ordines excommunicatus. Secus autem est, si per excommunicationem non prohibeatur, tunc enim solum est suspensus, & per Episcopum potest dispensari.

PROPOSITIO.

Idem censendum est de eo, qui ordines furtiue suscipit, vt qui ordinatur non à suo Episcopo, & sine eius licentia, & absque examine se alijs commiscet. Ita definitum est in cap. 2. & 3. de eo, qui furtiue ordines suscepit.

PROPOSITIO.

Qui per saltum ordinatur, vt Diaconatum ante subdiaconatum recipiens, est suspensus, etsi in ordine sumpto administrat, erit irregularis.

PROPOSITIO.

Quando quis extra tempora ordinatur est suspensus, etsi celebret, irregularis. Definita est per Extrauag: Cum ex sacramento. Animaduertendum est has omnes irregularitates esse de iure positiuo, in quibus Rom. Pont. dispensare potest.

CONCLVSIO.

Ligatus vinculo matrimonij est inhabilis ad ordinis suscep-tionem etsi relicta vxore maneat in sæculo, est de hæresi Lu-therana suspectus, si autem religionem ingrediatur, & ibi or-dines recipiat; non erit pœna aliqua plectendus, sed vxori re-stituẽdus. Hęc colligitur ex cap. 1. de cõuersione coniugatorũ.

DVBIVM.

Malitia Sacerdotis impedietne characteris impreßionem?

De hac re supra egimus contra Lutherum, qui affirmabat impressionem impediri. Contra quem copiosissime agit Pa-ter à Castr. verbo, Ordo, & verbo potestas, & verbo Sacerdo-tium contra Hæreses.

Art. An Papa habeat etiam supra omnes Christianos temporalem iurisdictionem?

Intelligitur titulus, ita. vt possit Imperatores & Reges de-ponere, & in causis ciuilibus, vt ad ipsum omnes appellent, efficere. Turrecrem. tres adducit opiniones.

Lib. 2. de potestate Ecclesia. verb. Papa Seßione 2.

Prima est affirmans quam Sylu. sequitur. Secunda negans vllam habere potestatem super reges, etiam si suis legibus fi-dem Christianam labefactare conentur. Tertia est media, quam amplectitur Turrecrem. hæc asserit non esse absolute Dominum omnium temporalium, nisi quatenus illorum abu-sus vergit in detrimentum fidei & obseruationis diuinorum mandatorum, vt si Rex aliquis esset hæreticus, aut schismati-cus, vel si leges contra sacramenta, & præcepta diuina conde-ret. V. g. si institueret in suo regno nequis sine regia facultate matrimonium contraheret, vel possum dominium acquiri per malæ fidei præscriptionem.

CONCLVSIO.

Potestas ciuilis, & spiritualis non sunt vna, sed duæ potesta-tes distinctæ, habent enim diuersos fines. Nam finis ciuilis potestatis est pax, & tranquillitas reipublicæ. Finis vero spiri-ritualis potestatis est supernaturalis, nempe manuducere ho-minem ad perennem beatitudinem.

CONCLVSIO.

Potestas spiritualis ciuili potestate est præstantior. Quia fi-nis potestatis ciuilis ad finem potestatis spiritualis ordinatur. Et finis præstantior est, ijs, quæ ad finem referuntur.

CONCLVSIO.

Rom. Pont. non est Dominus totius orbis in temporali-bus, ita vt ab illo reges aliquod dominium temporale acci-piant. Constat ex capite. Per Venerabilem. Qui filij sint legi-timi vbi Innocentius Papa confitetur se in temporalibus su-pra Regem Francorum nullam habere potestatem. Hinc

Hinc extra crimen hæresis aut schismatis non poterit Papa reges temporali iurisdictione priuare. APPEN.

Hinc, neque poterit alicui regi Christiano potestatem tribuere, vt sibi illorum regna vsurpet. Non enim est orbis temporalis Dominus. Non desunt, qui oppositum affirment. APPEN.

CONCLVSIO.

Potest Papa quamcunque potestatem ciuilem temporalibus bonis priuare, quando fuerit ad fidei & mandatorum Dei obseruantiam necessarium. V.g. si fuerit hæreticus, aut schismaticus, potest illum deponere, & ad hoc aliorum regum auxilium implorare. Perinde si Rex aliquis constituat leges contrarias diuinis, & Ecclesiasticis legibus, illas poterit reuocare per Ecclesiasticas censuras procedendo vsque ad regni depositionem; ita habetur in cap. Cum secundum leges. de hæreticis in 6.

Hinc Papa poterit irritare leges ciuiles concedentes dominium per malę fidei præscriptionem, & sunt de facto abrogatæ, quia sunt contra ius diuinum, vt constat ex capite. Vigilanter de præscriptionibus. APPEN.

Art. Vlt. An Clerici in sacris constituti sint quantum ad personas à potestate ciuili per ius Diuinum exempti?

Duæ sunt opiniones. Prima Glossæ in Cap. quamquam de censibus in 6. & Gratiani in cap. tributum 23.q.8. qui dicunt; Clericorum res, & personas esse à potestate ciuili exemptas. Contraria opinio est. S. Tho. super Epistolam ad Roman. dicentis esse exemptos Clericos à tributorum solutione per priuilegia Principum.

CONCLVSIO.

Clerici quantum ad causas spirituales sunt iure Diuino à potestate ciuili exempti, ita vt nemo possit præter Papam eorum spirituales causas definire. V.g. Creare Episcopos, & prælatos, spectat de iure Diuino ad Rom. pont. atque etiam lites super iurisdictionem Episcoporum & Prælatorum, & alia id genus definire, quia Prælati in foro conscientiæ, & exteriori non à Regibus, & Dominis temporalibus, sed dependenter à Papa habent iurisdictionem. Petro enim, & non alicui Imperatorum dictum fuit; tibi dabo Claues regni cœlorum, & Ioannis vltimo. Pasce oues meas. *Math.* 28.

Idem est etiam iudicium de causis spiritualibus laicorum, vt sunt matrimoniales causæ, quia cum sint spirituales, à solo Iudice habente claues regni cœlorum definiri possunt. APPEN.

CONCLVSIO.

Clerici in minoribus constituti iure Diuino quantum ad

pœnas corporales à potestate ciuili non sunt exempti. De facto enim Clerici, & in sacris constituti degradantur, & curæ sæculari suspendendi traduntur. Quare priuilegium non erat de iure Diuino, quo ante degradationem fruebantur; alioqui enim nullo modo Papa Clericos hoc priuilegio priuare posset.

APPEN. Hinc bona clericorum, sicut eorum personæ non sunt iure Diuino à potestate ciuili libera. Nam si personæ non sunt exē-tæ, multo minus bona, quamobrem perspicuum est; solo iure Ecclesiastico positiuo esse Clericos exēptos à ciuili potestate.

Difficultas. Tenenturne Clerici seruare leges regni, in quo vitam degunt?

CONCLVSIO.

Tenentur quidem, etiam qui in sacris sunt constituti ciuiles leges seruare, quæ alias in conscientia obligant, non quidem quatenus regibus subduntur, sed quatenus illarum transgressio est contra virtutem moralem. Hæc de Sacramento Ordinis.

FLORES THEOSOPHICArum quæstionum Sacramenti Matrimonij.

De quo disputat Magister à d. 26. vsque ad 42. & DD. ibidem, præter quos est legendus Pater à Castro verbo. Coitus ver. Matrimonium, & verb. Nuptiæ. contra hæreses.

QVAES. I. DE HIS QVE AD ESSENTIAM MATRIMONII PERTINENT.

Hac. q. 26. 27. dist. Mag. explicatur. Alex. Alen. q. 1. m. 3. ar. 3. §. 2. S. Thom. in additionibus ad 3. p. q. 41. ar. 1. reliqui dist. 26. Ric. q. 1. art. 1. Sco. q. 1. & Durā. D. Bon. art. 1. quæst. 1.

Art. I. An Matrimonium sit ex institutione diuina, an ex naturali dumtaxat?

ID est, An sit secundum inclinationem naturalem tanquam necessarium ad conseruationem speciei humanæ, ita vt per copulam vagam conseruari non posit.

CONCLVSIO.

Si homo, non vt rationis particeps est, sed vt animal est, cōsideretur, & Matrimonium, non est vinculum indissolubile sed vt non est contractus inter determinatum virum & fœminam sumatur, tunc homo ad Matrimonium naturaliter inclinatur. Quam inclinationem Ricardus generis esse dicit. Quia aliter quam per Matrimonium suam speciem cōseruare non potest. Ratio est, quia naturaliter homo ad operationem inclinatur, per quam indiuiduum, vel tota eius species cōseruatur. Quæ nisi per Matrimonium inter determinatum virū & vxorem, diu cōseruari haud posset. Nam ad humane speciei conser-

conseruationem liberorum educatio, & institutio necessaria est. Quæ quidem, si vxores essent communes, & indeterminati patres, non fierent. Tunc enim nullus educandi, instituendiue liberos curam haberet.

Hinc sequitur simplicem fornicationem non solum contra ius diuinum, verumetiam contra naturale ius esse; vt non furtum facies. Quia per vagam copulam humana species destrueretur, ad cuius conseruationem homo naturaliter inclinatur: quemadmodum venenum sumere contra ius naturæ est, quia proprium indiuiduum destruit, ad cuius conseruationem homo suapte natura est procliuis. APPEN.

CONCLVSIO.

Matrimonium, si, vt vinculum indissolubile est, consideretur, de iure naturali, id est, rectæ rationis dictamini consonum esse dicitur. Ratio est, quia si Matrimonium esset ad tempus, non haberent parentes exactam curam educandi prolem; vt Reipub. conuenit. Neque esset corporum per translationem dominij permutatio. Quæ sunt de ratione Matrimonij; sed esset tantum corporum accommodatio. *Ad actus virtutis.*

Hinc colligitur illius loci declaratio; Vade, & assume tibi vxorem fornicationis, &c. Nō quod filij essent illegitimi futuri; sed quia erant generandi ex quadam meretrice, quæ post contractum Matrimonium cum Osea fuit legitima vxor. APPEN. *Oseæ cap. 1.*

Hinc error. Symonis Magi, & aliorum hæreticorum refutatur. Qui docuerunt, promiscuum fœminarum vsum esse licitum, ita, vt quiuis, quam vellet, sine peccato, vti posset cum sit contra ius Diuinum, & naturale. Vnde Patrem à Castro Verbo Coitus hæresi 1. &. 3. *Hæresis.*

Art. 11. An Mutrimonium fuerit à Deo mediate per ministros, vel immediate ab ipso institutum? *Alex. Alē. vbi supra, Ric. q. 3. ar. 1. loco citato Dur. d. 34. q. 1. D. Bona. q. 1. artic. 2.*

CONCLVSIO.

Deus immediate, & non per aliquem ministrum contractū Matrimonij instituit. Ratio est, quia instituta ministrorum possunt reuocari, & à ministris fieri in illis dispensatio: at verò Matrimonium est indispensabile. Nam quos Deus coniunxit, homo separare non potest.

Difficultas. Quando fuit Matrimonium institutum? *Alex. Alē. ibidem Ric. art. 1. q. 3. Durā. vbi sup. D. Bō. ibi.*

Quatuor sunt opiniones. Prima Magistri, cui subscripsit Scot. Matrimonium fuisse institutum illis verbis Adæ. Hoc nunc os de ossibus meis, &c, vsque ibi; propter hanc relinquet homo patrem, & matrem &c. Secunda est. D. Bon. asserentis, fuisse institutum à Deo, & reuelatum Adæ, vt ipse esset Matrimonij promulgator. Tertia Ric. tenentis fuisse institutum

 à Deo

à Deo quando produxit Euam de costa Adæ. Quarta est S. Tho. hac d.26. qui docet fuisse immediati à Deo institutum, quando benedicens, primis parentibus dixit: Crescite, & multiplicamini &c.

CONCLVSIO.

Matrimonium in statu Innocentiæ ante lapsum fuit à Deo in officium duntaxat institutum. Patet Gen. 1. crescite & multiplicamini, & replete terram.

CONCLVSIO.

Post lapsum eadem institutio in officium, & in remedium permansit. Constat 1. Ad Cor. 7. bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnusquisque suam habeat vxorem.

Diffic. An Matrimonij institutio fuerit consilium, vel præceptum?

CONCLVSIO.

Cap. 1. Alexan. Alen. loco citato S. Tho. q. in 3. p. citata ar. 2. Ric. ar. 3. q. 3. D. Bonau. art. 1. q. 3.

In statu Innocentiæ fuit sub præcepto. Nam obligabat transgressores ad mortale. Patet ex illo Gen. loco crescite, & multiplicamini, & replete terram. Et ratione confirmatur. Nã vt alimenti sumptio est ad conseruationem indiuiduum præcepto diuino, & naturali necessaria: ita vt, alimentum non sumens esset suiipsius homicida, & reus præcepti, Non occides, ita erat nunc præceptum Diuinum, & naturale Matrimonij institutio ad propriam speciem humanam conseruandam.

Diffic. Obligatne hoc præceptum nunc omnes homines?

Duæ sunt opiniones. Prima D. Bona d. 26. q. 3. ar. 1. asserẽtis, esse hoc præceptum in lege Euangelica per consilium virginitatis reuocatum. Altera est B. Thom. & Ricar. ex quorum sententia difficultati respondetur.

Ric. q. 2. ar. 2. ad. 1. Alexan. Alẽ. loco citato S. Tho. q. 41. ar. 2. Dur. q. 2. 1. Corinth.

CONCLVSIO.

Præceptum Matrimonij singulos copulatim, seu copulatiue minime obligat. Constat ex B. Pau. dicente; solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Et ibidem, dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si permanserit, sicut & ego.

CONCLVSIO.

Nunc temporis solum obligat Principes Reip. vt, si opus fuerit, subditos ad Matrimonium contrahendum compellant. Ratio est, nam vt, defensio ciuitatis ab hostibus obligat non singulos ciues, sed gubernatorem, solus enim vita priuaretur: ita si ob eius negligentiam ciuitas ab hostibus occuparetur: ita si genus humanum periret propter Matrimonij defectum soli principes mortalis peccati rei essent. Non enim præceptum Matrimonij ad indiuiduum, sed totius speciei humanæ conseruationem datum est.

Hinc,

Hinc, si Ecclesia Romana peste aliqua, vel calamitate alia ad tantam hominum raritatem, vt tẽpore Noe redigeretur, essent Christiani ad Matrimonium inter se cõtrahendũ compellendi: ne si cum infidelibus miscerentur Ecclesia periret. APPEN.

Hinc si religiosi dumtaxat essent in mundo superstites, essent quoque ad Matrimonium compellendi. Quia votum solemne non obligat, quando eius obseruatio est cum iure naturali, & diuino incompossibilis. Quale est ius de humana specie conseruanda. APPEN. S.Tho. Palud.

Cæterum Ric. hac dist. opinatur hoc præcepto singulos etiam homines obligari: verùm quia est præceptum affirmãs non obligat semper quantum ad actum. sed certo loco, & tẽpore à Deo determinatos. V.g. Quando tanta esset humani generis penuria, quanta Adæ, vel Noe tempore fuerat. At verò alio tempore, cùm non sit multiplicatio necessaria, singulos minimè obligabit.

Art. III. An oscula, complexusq; maritalis, coniugalis copula licitè fiant, sintq; gratia & gloria meritoria? Alex. Alẽ. 2. p. q. 22. m. 7. ar. 3. & 166. m. 2. S. Tho. q. 41. ar. 4. in additionibus Reliqui di. 27. Castro verbo. Nuptiæ. 1. ad Thimo. hæresis.

CONCLVSIO.

Nuptiæ licitæ sunt, fieriq; sine peccato possunt. Constat ex D. Paul. qui docet futuros esse hæreticos in spiritu dæmoniorum prohibentes nubere. Tùm etiam quia Deo authore, quo nullus fit deterior, homines contrahunt Gen. 1. Crescite & multiplicamini &c.

Hinc confutatur hæresis multorum dicẽtium; nuptias esse illicitas, & peccare, qui nuptiarum fœdera inter se iungunt, in quam copiosissimè Pater à Castro verb. Nuptiæ, hæresi prima disputat.

CONCLVSIO.

Quando congressus maritalis in officium, & in re medium exercetur, & coniuges in gratiam existentes referunt illum actũ in Deum erit procul dubio gratiæ, & gloriæ meritorius. Est enim primum actus iustitiæ, dicente B. Paulo vir vxori debitum reddat. Secundo obedientiæ præceptum adimplet, scilicet, crescite &c. atq; etiam religionis. Nam fit ad multiplicandam prolem in Dei cultum. Hæc sunt confessoribus animaduertenda, vt doceant coniugatos, quo animo maritalẽ actum esse debeant. 1. Cor. 7.

Hinc colligitur, talem actum esse peccatum, & veniale, vt quidam existimant, si fiat solo animo explendi libidinem, vt bruta animantia coeunt; vel si nullo fine posito exerceatur. Nam est tunc actus otiosus, erit autem mortale, si tunc animus exercendi eundem actum cum aliena habeatur. APPEN. Infra d. 30.

APPEN. Hinc etiam sequitur, Matrimonium, quamuis sit licitum, non semper esse consulendum, cùm sit minimum bonum. Præstãtior namq; est virginalis castitas, vidualisq; cõtinentia.

Alex. Alẽ. 4. p. q. 2. m. 2. ar. 1. S. Tho. q. 42. ar. 1. in additionibus. Ric. d. 26. ar. 4. q̃o. 1. Duran. eadem di. q. 3. Pater. Medin. cap. 62. & sequẽtibus lib. 5. vbi sup. Cap. 5.

Art. IIII. Sitne Matrimonium noua legis sacramentum?

CONCLVSIO.

Matrimonium vt est vinculum indissolubile, est sacramentum à Deo in statu Innocentiæ institutum, non vt gratiam conferret, sed vt vnionem inter verbum, & humanitatem, Christumq; & Ecclesiam repræsentaret. De fide est, & cõstat ad Ephes. vbi B. Paulus loquens de Matrimonio primorum parentum ait; sacramentum hoc magnum est &c. vide capit. gaudemus de diuortijs.

CONCLVSIO.

Matrimoniũ quatenus contractum, & consensum, actusq; vtriusq; coniugis significat, est nouæ legis sacramentum à Christo Iesu institutum. Propterea quod omnis cæremonia, vel ritus à Christo in Euangelio institutus, vel confirmatus in remedium contra aliquem peccati morbum, est nouæ legis sacramentum, id est, signum certum, quod posita illa cæremonia, non ponendo obicem datur gratia & tale est Matrimonium vt ex superioribus constat. Definita est etiam in multis Concilijs, vide supra de sacramentis in genere. Et nota fuisse institutum Matth. 19. vbi referens primam institutionem Matrimonij, Christus dixit, quos Deus coniunxit &c. vbi tanquam indissolubile à Deo factum approbauit.

APPEN. Hinc infertur Matrimonium, vt est nouæ legis Sacramẽtum, habere esse in fieri. Nam illi actus coniugum, quibus mutuum consensum exprimunt, sunt sacramentum. At verò quatenus representat vnionem Christi & Ecclesiæ, &c. habet esse permanens. Nam est illa indissolubilis obligatio, quæ nunquam vtroq; coniuge viuente extinguetur.

Alex. Alẽ. 4. p. q. 8. m. 1. ar. 1. & q. 13. m. 3. ar. 2. Sco. d. 28.

Diffic. Confertne gratiam, vt est noua legis sacramentum?

Matrimonium, vt in secunda Concl. articuli sumitur, ex opere operato gratiam confert. Definita est expressè in Con. Flor. & Trid. Sess. 24. Can. 1.

Diffic. Quanam est Matrimonij materia & forma?

Variæ sunt de hac re opiniones, Prima est Palud. hac dist. q. 4. asserentis materiam esse ipsos coniuges. Secunda opinio docet materiam esse consensum contrahentium, & formam verba, Accipio te in meam &c. Tertia opinio est Ric. quæ prima conclusione explicabitur. Quarta opinio est Dur. quæ supra q. 1. de sacramentis in genere refutata est. Quinta opinio est

est Magistri Soto, hac d. 2. art. 1. ad primum cuius erit secũda conclusio.

CONCLVSIO.

Verba, quæ prius proferuntur, Materiæ rationem habent. quæ autem superueniunt, formæ rationem induunt. Ratio est, quia verba, quæ posterius ab altero coniugum proferuntur, verbis præcedentibus dant esse sacramentale. Proprium namq. formæ est dare rei esse.

Hinc collige benedictionem Sacerdotis non esse Matrimonij formam. Quæ accidit Matrimonio iam confecto. Est tamen aliquid sacramentale, id est, sacramento annexum. APPEN.

CONCLVSIO.

Verba vtriusque coniugis sunt sibi inuicem materia, & forma. Ratio est, quia sibi inuicem præstant, recipiuntque sacramentale esse.

Diffic. Quis est huius sacramenti minister?

Duæ sunt opiniones. Prima tribuitur S. Thom. qua dicitur minister Sacerdos, eiusdẽ opinionis est Guillel. Parrhis. Secũda est Mag. sent. & probabiliter, quæ cõtinetur hac cõclusione. *Alex. Alen. vbi supr. Sco. d. 18.*

CONCLVSIO.

Non Sacerdos, sed coniuges dicuntur esse ministri. cum sibi inuicem materiam & formam ministrent. Patet inductione reliquorum sacramentorum. Nam forma sacramenti est ministri actio: & cum actio: contrahentium, scilicet, accipio te in meam, &c. sit forma, vt paulo ante diximus profecto non Sacerdos, sed contrahentes erunt sibi inuicem ministri. Lege cap. licet despõsa duorũ & quãdo Conc. Trid. s. 24. cap. 1. de reformatione, dicit, nullum esse Matrimonium nisi præsente Sacerdote &c. intelligitur, quantum ad validitatem contractus Matrimonialis. Nam ante definitionem huius Concilij Matrimonium clandestinum vel nullo Sacerdote præsente erat verum sacramentum.

Per secundam Conclusionem huius articuli confutatur error Armenorum negantium Matrimonium esse sacramẽtum quam Lutherus ab inferis excitauit. Lege Patrem à Castro verbo Nuptiæ. hæresi 3. *Hæresis.*

Art. V. Sintne coniugalis copula de essentia Matrimonij.

CONCLVSIO.

Matrimonium, ratum etiam ante copulã est essentiale, integrũ, & verũ Matrimoniũ: ita vt copula de eius essentia nõ sit, solũ enim est de essentia Matrimonij indissolubilis nexus, & inseparabilis obligatio,. quæ per solũ Matrimonialẽ cõsensum absque copula cõtrahitur, est enim Matrimonij definitio coniun-

Alex. Alẽ. & S. Thom. vbi supra artic. 4. Ric. d. 27. art. q. 3. D. Bona. dist. 26. q. 3. & d. 17. art. q. 1. Scot. dist. 31. & Duran. d. 27.

coniunctio maris, & fœminæ indiuiduam vitæ consuetudinē retinens, vt Can. Illud 27, q. 2. habetur, constat etiam exēplo Sanctissimæ Virginis & beatissimi Iosephi, inter quos fuit verum Matrimonium.

CONCLVSIO.

Coniugalis copula est de perfecta accidentali integritate Matrimonij. Ratio est, quia tunc dicitur res aliqua perfecta accidentaliter, quando potentia reducitur ad actum, siue operatur, & copula coniugalis, Matrimonij vsus, & operatio est.

Hæresis. Error Vvicleff, asserentis ante copulam non esse verū Matrimonium 1. concl. confutatur.

Dist. 27. art. 1. Quanam est Matrimonij definitio?

S. Thom. q. 44 artic. 3. in ad. reliqui dist. 27. D. Bona. art. 1. q. 2. Ric art. 4 q. 1. Sco. q. 1. & Duran ibidem.

CONCLVSIO.

Matrimonium, est viri mulierisq. coniunctio maritalis, inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Hæc est perfecta definitio, in qua loco generis ponitur coniuncto quæ est communis ad omnes cōtractus, in quibus contrahentes vnitate consensus vniuntur. differentia est, vox illa (maritalis,) finis, indiuiduam consuetudinem &c. id est, obligationem ad reddendum mutuum debitum si petatur. Ita vt neuter sine alterius facultate possit continentiam profiteri. Ita explicatur à D. August. & habetur in Can. B. Maria 27. q. 2. & hoc fine distinguitur à cæteris contractibus, qui per voluntatem contrahentium dissolui possunt. Verum de his infra latius.

Art. II. An sit de intrinseca ratione Matrimonij mutuus consensus?

Alex. Alen. 2. p. q. 175. m. 6. § 1. S. Tho. q. 45. ar. 1. reliqui d. 27. D. Bona. q. 1. Scot quæst. 2.

CONCLVSIO.

Matrimonium de lege non aliter cōtrahitur: quam per mutuum contrahentium consensum. Definita est expressè in Conc. Flor. vbi mutuus consensus de præsenti, Matrimonij causa efficiens nominatur. Lege cap. duas, desponsa duorū, & Can. sufficiat 27. q. 2.

CONCLVSIO.

Potest Deus nullo partiū cōsensu aut dissensu, interueniente sua absoluta potētia Matrimoniū efficere. vt si diceret Martino, esto vir Catherinæ. Ratio est Nā quicquid Deus potest mediante causa secūda efficere, se solo ratione omnipotentiæ præstare potest. mutuus autem consensus, vt ex Conc. Flor. proxime citato cōstat, efficiens causa Matrimonij est. est tamen quæstio de possibili.

APPEN. Hinc, si in Israel non fuisset nisi vnica meretrix, quando dixit Dominus Oseæ, accipe tibi vxorem fornicariam, illa conti-

continuo vxor Oseæ extitisset.

CONCLVSIO.

Ecclesia non potest vllo modo instituere, vt coniuges Matrimonium contrahant, quin prius illorum consensus interueniat. Est enim Consili. D. Pauli de virginitate dicētis. Præceptum Domini non habeo, concilium autem do, & contra concilia diuina Ecclesia nihil instituere potest.

CONCLVSIO.

Potest tamen Ecclesia aliquos ad contrahendum, id est, ad præstandum mutuum consensum compellere. Potest enim per Censuram excommunicationis cogere sponsum renitentem, vt cum sua sponsa per verba de præsenti contrahat. Sed de his infra 29. dist.

Difficultas. Talis consensus estne signo aliquo exteriori necessario declarandus?

CONCLVSIO.

Nisi signis exterioribus mutuus consensus exprimatur, Matrimonij contractus non perficietur. Ratio est, quia cōsensus nisi signis exterioribus, constare non potest. Deus enim intuetur cor, homines autem quod foris apparet.

Alex. Alē. vbi supra, reliqui d. 27. S. Thom. & D. Bon. q. 2. Scot. & Duran. q°. 1. glossa in cap tuæ fraternitatis. extra de sponsalibus

Difficultas. Si Deus vni contrahentium alterum velle reuelaret, essetne hoc satis?

CONCLVSIO.

Nequaquam sufficeret. Definita est in Cōc. Flo. vbi habetur causam efficientem Matrimonij esse mutuum consensum regulariter per verba de præsenti expressum. Notanter dicitur regulariter. Quoniam aliquando contingit non verbis, sed nutibus, & signis declarari.

Diffic. Talis consensus à quo est exprimendus.

Duæ sunt opiniones. Palud. hac dist. q. 2. asserit patrem, aut tutorem pro puella debere respondere. Altera opinio dicit satis esse, vt quilibet astantium pro puella, ipsa tamen non contradicente, respondeat. Quod quidem est verum in foro conscientiæ. Cæterum in foro exteriori, si respondens pro puella non sit pater aut tutor, Matrimonium non censebitur. Patet cap. 1. de desponsatione, impuberum in 6. §. porro, quo Palud. opinio confirmatur.

Gen. 24.

Difficultas. Matrimonium per procuratores contractum est ne sacramentum?

Alex. Alē. vbi supra, reliqui dist. 30. q°. 1.

Duæ sunt opiniones. Dur. & Caieta. vbi supra partem negantem defendunt. Soto autem oppositum tenet. Et ratio illius est, quia cum Christus instituerit Matrimonium esse verum sacramentum, temeritas, inquit erit excludere à sacramento

mento

mento Matrimonium inter absentes contractum, ita habetur per Eliezer seruum Abrahæ & patrem Rebeccæ &c.

Difficultas. Quando alter coniugum ficte contrahit, estne verum Matrimonium?

Nota aliud esse hoc loco quærere, quid fictus facere teneatur: aliud vero, qua ratione innocens debitum petere possit.

CONCLVSIO.

Fictus tenetur consensum præstare. Ratio est, quia post Concil. Trid. iste non posset contrahere nisi in facie Ecclesiæ coram tribus testibus, & compelletur ab Ecclesia in perpetuum cum coniuge habitare. Quare ne sit in statu damnationis, tenebitur omnino consensum præstare. Quantum ad secundum opinio Scot. est dist. 30. 4. vbi ait, coniunx innocens deponat omnino conscientiam non credendo ficto, & ita poterit petere, & reddere debitum. Etsi non deposuerit conscientiã, peccabit petendo: quia aget contra conscientiam, atque etiã peccabit negando, & recedendo à viro. Quoniam fortassis fictus mentitus, dicens se non consensisse. Aliter vero respondet Soto hac dist. Nam aut coniunx innocens habet legitimam causam credendi ficto aut est dubius. Quia fortassis sunt æquales in vtranq; partem coniecturæ. Si primum, non poterit tunc innocens reddere, aut exigere debitum, sed tenetur separari se, donec iterum præstet consensum, & simul contrahit Matrimonium: si secundum, poterit, inquit, innocens exigere debitum à ficto. Ratio est, quia in pari causa dubitandi, melior conditio possidentis.

Hæresis. Ex hoc artic. manet refutatus error Vvicleff, asserentis solum consensum internum efficere Matrimonium, quo errore notatur etiã Abbas Panor. in Cap. non solum, de sponsalibus. *Panorm. Caute legendus.*

Art. III. An Matrimonium ratum per ingressum religionis alterius coniugis dissoluatur?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. 2. p. q. 170. m. 3. S. Tho. q. 53

Post Matrimonium ratum & non confirmatum, integrum est alteri coniugum (altero etiam inuito) ad religionem transire. Definita est toto titulo. De conuersione coniugatorum. Præsertim in cap. ex publico ibidem vbi exemplo B. Macharij & Alexij referuntur. *S. Tho. q. 53. et q. 61. ar. 2. D. Bona art. vlt. q. 2. ar. 1. Sco. d. 31.*

CONCLVSIO.

Consummato iam matrimonio, nulli coniugum licet religionem ingredi altero inuito. Patet ex iisdem cap. De conuersione coniugatorum.

In casu primæ conclusionis, facta iam coniugis professione poterit in sæculo manens Matrimonium contrahere. Definitum est

est in cap. ex publico prima conclusione citato. Nam professio est mors ciuilis.

Diffic. Qua authoritate Matrimonium ratum dirimitur? D.Bon. d.27. artic. vlt. q.2. Sco. vbi supra

Dissoluitur per ingressũ religionis authoritate potius Dei, quam Ecclesiæ, quos enim Deus coniunxit &c. est etiam Definita à Nicolao Papa, vt refertur Can. scripsit 27. q.2.

Diffic. Matrimonium consummatum potestne aliquando quantum ad vinculum, vtroq. coniugum viuente dissolui?

Nullo modo est separabile sola enim morte Matrimonij consummati vinculum dissoluitur, Matth. 19. quos Deus cõiunxit homo &c. mulier quæ sub viro, & viuente viro, alligata est legi viri. Si autẽ mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege. Nam poterit tunc cum alio contrahere. 1.Cor.7.

Falsus est Caie. circa explicationem huius loci Matth. 19. scilicet, quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi propter fornicationem, & ait enim intelligo igitur, ex hac Domini Iesu Christi lege, licitum esse Christiano dimittere vxorem propter fornicationem carnalem vxoris, & posse ducere aliam vxorem salua semper definitione Ecclesiæ. Quod videtur ab Erasmo sumpsisse, sed de his infra de diuortio. Caie. Caute legendus.

Hinc refutatur error Montani, & cæterorum dicentium nuptiarũ fœdus, & vinculũ pro cõiugũ arbitrio dissolui posse. Hæresis.

Diffic. An sit hoc Matrimonium separabile quo ád thorum. Castro. vbi supra, hæresi 5. Alex. Alẽ. 3. p. q. 27. m. 4 art. 3. §. 4. reliqui d. 27. D. Bona. art. 1. q. 1. Ric. art. 2. quo. 1.

CONCLVSIO.

Si vterque coniugum emisit votum simplex continentiæ, neuter potest debitum reddere, vel petere, sine voti dispensatione. Ratio est, quia votum obligat.

CONCLVSIO.

Si vnus eorum emisit votum continentiæ, de consensu alterius, poterit qui facultatem concessit, illam reuocare, & debitũ exigere. Definita est in Canone. manifestũ 33. q. 5. Ratio autẽ est, propter vitandũ fornicationis peccatũ cũ aliena.

Si vterque conuertitur ad Deum per votũ solemne religionis, quamuis maneat Matrimonium insolubile quo ad vinculum, nam quilibet est coniunx alterius, vt supra in secunda diffic. patet, est tamen solutum quantum ad thorum per votũ solemne continentiæ, vt ex dictis constat. APPEN.

Dubium. Quid si alter coniugũ solum religionẽ profiteatur? D. Bona. in expositione litera. Ric. q. 2. ar. 2. Duran. q. 2.

CONCLVSIO.

Si manens in sæculo est suspectus de incontinentia, quia forsan est iuuenis. non potest tunc vnus sine altero religionẽ profiteri, etsi profiteatur, erit nulla professio. Definita est in cap. cum sis præditus. de conuersione coniugatorum.

CONCLVSIO.

Si

Si non est suspectus, quia iam est prouectæ ætatis, vtpote sexagenarius, satis erit tunc, vt de licentia Episcopi continétiã voueat, & in sæculo maneat. Definita est in cap. cũ sis prædit' citato & in canone Agatosa 27. q 2. & ab Honorio Papa in regula nostræ Seraphicæ Religionis vbi de ingressuris religionẽ dicitur; quod si vxores nõ habent vel si habent, etiã monasteriũ intrauerũt vxores, vel licentiam eis dederint authoritate diocœsani Episcopi, voto continentiæ iam emisso, vel illius sint ætatis vxores, vt non possit de illis oriri suspitio &c.

Cap. 2.

Ric. art. 2. q. 2 D. Bona. art. 2 q. 1. Durã. ibidem. quæst. 1.

Difficultas. Si vnus coniugum de licentia alterius professus sit religionem, poteritne (facta professione) qui in sæculo manet illum extrahere?

CONCLVSIO.

Potest quidẽ. Definita est in cap. 1 de cõuersione cõiugatorũ.

Diffic. Extractus à religione soluto Matrimonio per mortẽ alterius tenebiturne reuerti ad religionem?

CONCLVSIO.

Plane tenebitur. Definita est in cap. ex parte. De conuersione coniugatorum.

Diffic. Quid si de facto secundas nuptias contrahat?

CONCLVSIO.

Nullæ erũt nuptiæ. Ratio est, quia votũ à principio fuit validũ.

S. Tho. q. 61. ar 1. D. Bon. in litera. H. Duran quæst. 2.

Difficultas. Quid de coniuge, qui sine alterius licentia solẽniter professus est, & ab alio extractus à religione, illo mortuo ad quid tenebitur?

CONCLVSIO.

Non tenebitur ad religionẽ redire. Definita est in cap. quidam. De conuersione coniugatorũ professio enim fuit nulla.

Diffic. Poteritne ille secundas nuptias contrahere?

Videtur quidem non posse, quia quantum in se est, tenetur seruare votũ emissum continẽtiæ, videtur etiã posse quia votũ fuit nullum. Quod indicat Glossa super cap. quidam citato.

Diffic. Sunt ne hæc vera, quando promouetur ad sacros ordines, aut assumitur ad Episcopatum?

CONCLVSIO.

Si vxor est sexagenaria, poterit in sæculo emisso continẽtiæ voto manere; si autem fuerit minor, tenebitur religionem intrare. Definita est in cap. Sane. de conuersione coniugatorum. aut illum repetere.

Soto dist. 27. q. 2. artic. 4.

CONCLVSIO.

Conuersio coniugum ad religionem fieri non potest nisi petita licentia ab Episcopo, & obtenta, ita definitur in Canone si vir, & vxor. 27. qõ. 2.

Diffic-

Difficultas. Quid de separatione coniugum, quæ fit per adulterium vxoris?

CONCLVSIO.

Poterit vir tunc, si fuerit innocens inuita vxore adultera ad religionem conuerti. Si verò non fuerit innocens, nequaquam poterit sed de his infra de diuortio latius.

Difficultas. An poßit Papa dispensare in Matrimonio rato quoad vinculum, ita vt vterq; poßit ad secundas nuptias transire?

D Bon. art. 3. qō. 1. d. 27. & DD. hac d. 27.

Duæ sunt opiniones: Prima Glossæ in cap. ex publico supra citato, quam omnes Canonistæ amplectũtur, & est affirmans. Vide Sylu. verb. diuortium 4. vbi illos nominat, quibus adhæsit Caie. opus. 27. q. 25. Contraria opinio est omnium fere Theologorum & Syluest.

CONCLVSIO.

Papa non potest dispensare in Matrimonio rato, quoad vinculum, ita vt liceat vtriq; coniugum ad secundas nuptias conuolare. Ratio est, quia Papa non potest dispensare in Matrimonio consummato, vt omnes fatentur, ergo neque in rato poterit, consequentia est manifesta. Quia quoad essentialia, hæc duo Matrimonia nullo discrimine distant. Imo oppositum fuit error Vvicleff, asserentis copulam ad essentiam Matrimonij pertinere. *Hæresis.*

Art. IIII. De sponsalibus.

Diffic. An sint promissiones futurarum nuptiarum?

CONCLVSIO.

Sponsalia sunt mutuæ viri, & fœminæ promissiones de Matrimonio in futurum contrahendo. Ratio est quia promissio non est præsentis, sed futuri euentus. Nemo n. dicitur promittere, quod statim tradit, sed quod traditurus est & in sponsalibus, vt nominis Etymologia declarat, spontaneæ, & mutuæ, promissiones fiunt.

CONCLVSIO.

Ad Matrimonium præterita sponsalia minimè sufficiant, nisi vtriusq; coniugis nouus consẽsus, vel formaliter per verba de præsenti, vel virtualiter per copulã maritalem, vt olim ante Concil. Trid. accedat. Ratio est, quia Matrimonium est mutua corporum traditio vtriusq; coniugis ad copulam maritalem. At verò in sponsalibus non fit corporum traditio, sed traditionis promissio: non enim sunt idem, tradã tibi equum vel trado tibi illum.

Diffic. Qua ætate licet sponsalia contrahere?

CONCLVSIO.

Tempus permiſſum contrahendi ſponſalia per ſeipſos eſt à 7. anno expleto, & non antea, non enim ante illam ætatem vtitur homo perfecto rationis iudicio, vt poſsit aſſenſum aliqui contractui præſtare. Definita eſt etiam in cap. literas. Et in cap. acceſsit. Et in cap. ad diſſoluendum de deſponſatione impuberum. Et cap. vnico eodem titulo in 6.

CONCLVSIO.

Adueniente pubertate vtriuſq; ſponſi, tenentur pueri, qui per ſe ipſos ante pubertatem ſponſalia contraxerunt, altero volente legitimum contrahere Matrimoninm. Ratio eſt, quia promiſsio homini facta promittentem in conſcientia obligat. Et ſponſalia promiſsiones quædam ſunt; niſi fortè remiſsio mutuæ promiſsionis fiat.

CONCLVSIO.

Quando parentes pro filijs, aut tutores pro pupillis in infantia ſponſalia celebrant, infantes poſt pubertatem Matrimonium contrahere non tenentur. Propterea quod nullus ad Matrimonium obligatur, niſi ratione propriæ promiſsionis vel propter hominum penuriam; & infantes in caſu poſito nihil promiſerunt, neq; hominum penuria illorum Matrimonio indiget.

S. Tho. q. 46. art. 1. Sco. diſt. 28. quæſt. 1. Canoniſtæ cap. 2 et cap. ex literis. & 2. & cap. requiſiuit de ſpõſalibus.

Difficultas. An ſponſalia iuramento affirmata Matrimonij robur obtineant?

CONCLVSIO.

Sponſalia iuramento affirmata vim Matrimonij de præſenti minimè habent. Definita eſt in cap. 2. de ſponſalibus. Vbi dicitur, per conſenſum partium diſſolui poſſe.

Opinio Soti hac diſt. eſt, huiuſmodi, ſponſalia quando perſonæ ſunt legitimæ non poſſe diſſolui, niſi per diſpenſationem ex legitima cauſa. Oppoſitum tamen eſt definitum cap. citato. Abſolutè confirmatur à ſimili: nam vt alij contractus iuramento firmati poſſunt ſolo partium cõſenſu diſſolui; ita, & his nullum enim ibi eſt periuriũ Nã vtraq; pars iuri ſuo cedit.

Difficultas. Poteritne Iudex Eccleſiaſticus in foro exteriori ſponſum compellere; vt iuramentum adimpleat?

In cap. ex litteris dicitur eſſe compellendum per cenſuram Eccleſiaſticam. At verò in cap requiſiuit. Eodem titulo oppoſitum definitur.

CONCLVSIO.

In hoc caſu non poteſt Iudex ſponſum inuitum compellere: vt cum ſponſa per verba de præſenti contrahat. Definitum eſt c

est expressé in cap. requisiuit. Et nota intelligendam esse cõclusionem de compulsione per carcerem, & de alia compulsione, quam per censuram Ecclesiasticam. Ita enim in Curia Ecclesiæ fieri consueuit, caput autem Ex literis. intelligitur, quando publicum bonum futurum speratur: vt est alicuius regni conuersio ad fidem. Tunc enim reus per censuram Ecclesiasticam esset ad contrahendum compellendus, & ratione publici commodi Iudici obedire teneretur.

Diffic. Quid si interim cum alia per verba de præsenti contrahat?

Respondeo, valebit Matrimonium, Deum tamen vltorem habebit.

Difficultas. Copula carnalis post sponsalia de futuro facitne verum Matrimonium?

CONCLVSIO.

Post Conc. Trid. sponsalia de futuro per nullam subsequẽtem copulam verum Matrimonium efficiuntur. Definita est ibidem Sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonij. Quia quando Matrimonium sine præsentia parochi, aut alterius Sacerdotis, & sine præsentia aliorum duorum, vel trium testium fit, est clandestinum, & ipso iure nullum; & ex consequenti subsequens copula sponsalia sine tali solemnitate contracta. verum Matrimonium non facit.

CONCLVSIO.

Ante Conc. Trid. sponsalia de futuro per copulam affectu maritali superuenientem verum Matrimonium efficiebatur; quando, scilicet, ambo actuali animo, & intentione consummandi per illam copulam Matrimonium, iungebantur. Hoc enim erat olim ius commune; vt constat in cap. 15. qui fidem & cap. de illis & cap. per tuas. de sponsalibus.

Diffic. An aliquo modo dissolui sponsalia poßint?

CONCLVSIO.

Possunt quidem duodecim casibus dissolui. Quos Syluest. apertissime declarat. Est autem circa nonum casum, qui cõtinetur in cap. ex literis, de eo, qui cognouit consaguineam alterius sponsi, animaduertendum, Reddi tunc temporis inhabiles ad contrahendum; quia efficiuntur affines. Hic autem casus post Conc. Trid. Sess. 24. c. 4. de reformatione Matrimonij, est verus; quando affinitas contrahitur in primo, & secundo gradu consanguinitatis. Nam alij gradus Matrimonium non impediunt.

Art. Vlt. Suntne Bigami irregulares? *Ric. d. 27. Soto ar. 4. Sco. d. 32. q. 2. Dur. d. 27 quæst. 4.*

Primum nota, bigamũ proprie dici, qui cum duabus vxori-

bus legitimis, vel cum vidua à priori viro cognita contraxit. Vt constat ex cap. debitum de bigamis. Secundo animaduerte, bigamiam esse duplicem, veram, scilicet, & interpretatiuam. Vera est, quam modo diximus, quæ non repræsentat perfectè vnionem vnius Christi ad Vnam Ecclesiam propter secundum Matrimonium. Interpretatiua est illa, quæ etiamsi sit vnius viri ad vnicam vxorem, vel econuerso, punitur tamen vir irregularitatis pœna: perinde ac si esset bigamus. Præterea nota, bigamiam interpretatiuam quinque modis sumi, vt cap. super eo de bigamis, refertur. Prima est; quando quis, viuente priori legitima, duxit secundam legitimam. Secunda quando, mortua priori legitima, duxit secundam illegitimam. Quia forte erat affinis, & consaguinea, hi duo modi bigamiæ intelligendi sunt; dummodo vtramque cognouerit, aliter enim non erit irregularis. Tertia quando contraxit cum corrupta scienter, vel ignoranter. Quarta quando cognouit propriam vxorem adulteram; etiam ignorando adulterium, tempore quo illam cognouit. Quinta; quando post votum solemne religionis, aut ordines de facto Matrimoniũ contraxit. Vltimo perpende, nunquam irregularitatem ex bigamia contrahi, nisi interueniente cum vtraque carnali copula; vt definitum est in cap. citato. de bigamis.

CONCLVSIO.

Bigamus proprie dictus est irregularis ad suscipiendos sacros ordines, vel ad susceptos administrãdos. Definita est cap. 1 & 2. & cap. super eo, & cap. debitũ, de bigamis nõ ordinãdis.

CONCLVSIO.

Bigamus interpretatiue primo, & secundo modo, si vtranq; vxorem cognouerit, est irregularis. Definita est in cap. nuper, de bigamis.

CONCLVSIO.

Qui cum duabus contraxit, quas cognouit licet vtrunque Matrimonium nullum fuerit; vt si vtraque consanguinea erat, bigamus, & irregularis interpretatiue iudicatur. Ratio est, quia quantum in se fuit, binas contraxit nuptias.

Paluda. est hac dist. quæst. 4.

CONCLVSIO.

Bigamus interpretatiue tertia bigamia est irregularis. Definita est in Cano. qui in aliquo 51. distin. & de hac disputant Canonistæ super cap. 1. qui Clerici, vel vouentes contrahere posssint.

CONCLVSIO.

Bigamus interpretatiue quarta bigamia, secundum probabilem sententiam S. Tho. & Ric. hac dist. irregularis censetur. Ratio est, quia irregularitas in bigamia non præsupponit culpam.

culpam; sed defectum in Sacramento Matrimonij, quatenus alter coniugum non perfectè repræsentat Christum, siue Ecclesiam, & mulier adultera perfectè non repræsentat Ecclesiam, quam B. Paul. Virginem castam Christo exhibendam appellat. 2. Cor. 11.

CONCLVSIO.

Bigamus interpretatiue quinta bigamia est vir irregularis. Definita est in cap. nuper citato.

CONCLVSIO.

Irregularitas, quæ per bigamiam propriam vel interpretatiuam contrahitur, est inhabilitas ad sacros ordines recipiendos, & ad non ministrandos susceptos nullam culpam, vel peccatum præsupponens. Et ad probationem nota, duplicem esse irregularitatem, propriam vnam, quæ est pœna, & censura Ecclesiastica propter culpam inflicta, vt quam contrahit excommunicatus celebrans. Alteram quæ est inhabilitas, propter aliquam indecentiam; vt quæ propter homicidium iustũ, aut iniustum contrahitur, & propter bigamiam. Quia transire ad secundas nuptias legitimas nullum est peccatum.

Difficultas. Potestne Papa in bigamis dispensare: vt ad sacros ordines promoueantur?

CONCLVSIO.

Potest quidem dispensare. Definita est in Cano. Lector 39. d. vbi legitur, Lucium Papam dispensasse cum Episcopo Panormitano, qui bigamus fuerat.

CONCLVSIO.

Episcopus potest dispensare cum bigamo, vt ad minores ordines promoueatur. Definita est in eodem Cano. Lector.

Diffic. An irregularitas bigamiæ per Baptismum tollatur?

De hac difficultate fuit olim contentio inter B. Hierony. & D. August. B. Hieronymus dicebat tolli: vt habetur in Can. vnius vxoris dist. 26. oppositum asseruit D. August. & refertur in Can. acutius 28. q. 3. quem sequuntur omnes Theologi.

CONCLVSIO.

Irregularitas bigamiæ non tollitur per Baptismum, Ratio est, nam etiamsi Matrimonium infidelium non est sacramentum gratiam conferens, erat nihilominus sacramentũ, id est, sacrum signum, vnionem inter Christũ, & Ecclesiam significans, & ex consequenti habent bigami defectum significandi hanc vnionem; & ita post conuersionem erunt irregulares.

Diffic. An irregularitas ex homicidio per Baptismum tollatur. Ric. art. 4. q. 2. distinct. 27.

Opinio Ric. est, non tolli irregularitatem homicidij iusti,

cum non sit peccati pœna. communis opinio hac dist. & Sco. dist. 33. q. 2. tenet oppositum.

CONCLVSIO.

Irregularitas per qualecunq; homicidium contracta medio Baptismo tollitur. Ratio est, quia in Primitiua Ecclesia nullus homicida, quemadmodū bigamus, à sacris ordinibus explodebatur. Cuius institutionis causa erat, quia horror homicidij; non autem indecentia bigamiæ in repræsentando, & significando vnionē Christi cū Ecclesia, per Baptismū purgabatur.

Sũma Angel verb. irregularitas.

QVAESTIO DE MATRIMONIO CONDITIONATO.

Hac quæst. 28. dist. Magistri exponitur.

S. Th. q. 47. ar. 5. reliqui d. 18 D. Bona. art. 1. q. 3. Ric. art. 2. q. 2. Scot d. 29 q. 1. Dur. qō. 2. distinct. 28.

Art. Vnicus. An contractus Matrimonialis sub conditione factus, conditione non existente, valeat?

CONCLVSIO.

Conditionibus de præsenti, aut de futuro cum verbis de præsenti iam existentibus statim valet Matrimonium: vt si dicat, accipio te in meam, si patri meo placet, vel placuerit. Patet conclusio à simili de alijs contractibus Iuris Ciuilis: vt definitur in l. Itaq; ff. de conditionibus, & demonstrationibus.

CONCLVSIO.

Quando verbo de præsenti conditio de futuro in se necessaria apponitur, statim est verum Matrimonium. Vt si quis dicat, accipio te in meam, si cœlum nunquam digito tetigeris, vel aliquid simile, quod naturali necessitate venturum est, adiungatur. Ratio est, quia cum istæ conditiones necessario veturæ sint, in suis causis adimpletæ esse censentur. Hæc est S. Thom. hac dist. contra glossam in cap. per tuas de conditionibus appositis.

Art. 3. qō. 3.

APPEN. Hinc, si quis contraheret dicens contraho tecum, si pater meus est moriturus, statim Matrimonium esset validum.

Difficultas. Quid si conditio de præsenti, vel de præterito per verbum de futuro in contractu matrimoniali ponatur?

V. g. si dicat aliquis; accipiam te in meam, si Imperator olim vicit Turcos.

CONCLVSIO.

In tali casu non erit Matrimonium, sed vera sponsalia. Quia Matrimonium fit per verba de præsenti. Hic autem solum fit Matrimonij de futuro promissio.

CONCLVSIO.

Si in contractu dies, sub conditione necessaria, siue contingenti

genti proponatur, non statim verũ Matrimonium, sed sponsalia efficiuntur: vt si dicat, contraham tecum, quando pater meus morietur. Nam etsi conditio sit necessario futura, consensus tamen non est de præsenti, sed in diem signatam.

Diffic. Quando conditio contingens de futuro verbo de præsenti apposita impletur, estne nouus consensus necessario præstandus? D.Bo.d.28.arti.2.Dur.dist.28.& 29.q.1.

V.g. contraho tecum, si dederis mihi centum &c. Iurisperiti in cap. de illis. De conditionibus appositis tenent, nõ esse necessarium tunc nouum consensum, quibus ex Theologis solus Paluda. adhæsit. Oppositam sententiam cæteri DD. Theologi hac dist. & sequenti defendunt. d.29.ar.5.q.2.

CONCLVSIO.

Quotiescunque conditio de futuro apponitur, quãuis consensus verbo de præsenti explicatur, semper tamen est de futuro, & talis contractus non est Matrimonium, etiam conditione adimpleta: cum nouus consensus per verba de præsenti exprimendus sit. Ratio est, quia nullum sacramentum, quale est Matrimonium, potest sub conditione confici, neque enim minister potest sacramenti effectum suspendere; quare, vt fiat sacramentum, necessarius esset nouus consensus.

Diffic. An conditio habilitatis posita, quando personæ sunt inhabiles ad contrahendum, faciat sponsalia?

V.g. si consanguinei intra quartum gradum hac conditione, scilicet, si Papa dispensauerit, contrahant. Adrianus duas opiniones in materia de Matrimonio refert, opinio Adriani est affirmans. Communis autem opinio negans. Syluest. verbo Matrimonium 3. §. 9. affert peculiarem Galderini opinionem asserentis, adueniente dispensatione non esse necessariũ de nouo contrahere.

CONCLVSIO.

Contractus præcedens dispensationem Rom. Pont. in casu posito non facit vera sponsalia; ita vt adueniente dispensatione, aliquis illorum titulo sponsalitij cũ alio Matrimoniũ cõtrahere teneatur. Ratio est, quia si affinitas sequens sponsalia dissoluit illa, vt in cap. superueniens de sponsalibus definitum est, multo magis profecto præcedens consanguinitas illa dissoluit. multo namque minus impedit sponsalia subsequens affinitas, quam præcedens consanguinitas.

CONCLVSIO.

Tenetur nihilominus ex lege iustitiæ vnus consanguineus, altero volente, Matrimonium adueniente dispensatione contrahere.

 trahere.

trahere. Propterea quod, promiſsio in materia graui qualis eſt Matrimonij materia, obligat in ſcientia. Aliter enim grauiſsima iniuria ille, cui facta eſt promiſsio, afficeretur.

Ric. d. 28. art. 2. quæſt. 2.

Diffic. An conditio impoßibilis reddat Matrimonium nullum?

Exempli cauſa, contraho tecum ſi cœlum digito tetigeris, aut quid ſimile præſtiteris, textus eſt expreſſus cap. finali. de conditionibus appoſitis. Vbi conditiones turpes, aut impoſsibiles Matrimonio appoſitas pro non adiectis habendas eſſe, definitur. Circa cuius textus intelligentiam eſt grauis inter DD. Theologos diſceptatio. Canoniſtæ primum intelligunt textum abſque vllo diſcrimine rationis, vel euentus. Palud. diſt. 29. art. 5. tenet Matrimonium non eſſe validum in foro conſcientiæ, quia conditio impoſsibilis potius diſſenſum, quá conſenſum indicat. Adrianus in 4. in materia de Matrimonio dubio 7. exponit, Matrimonium eſſe verum, quando contrahentes ignoranter putant conditionem eſſe poſsibilem, ſecus vero, ſi impoſsibilem credant. Alij, quorum nomina non expreſsit Magiſter Soto d. 29. qō. 2. art. 1. 4. affirmant, Eccleſiam abſolutè tenere, tales contrahentes eſſe veros coniuges, etiam abſque conſenſu.

CONCLVSIO.

Abſolute fatendum eſt, conditionem impoſsibilem verbis de præſenti appoſitam non annullare Matrimonium. Probatur per c. finale in principio citatum, talis enim conditio eſt habenda pro non appoſita, præſertim, ſi ſtatim prolatis prædictis verbis conſenſus ſigna ſequantur, vt ſi faciat, quod cæteri ſponſi facere conſueuerunt. Hæc enim eſt vera illius textus interpretatio.

DD. diſt. 28. et 29. Canoniſtæ ca. finali de cō ditio. appoſitis Ric. vbi ſupra.

Difficultas. An conditiones contrariæ ſubſtantiæ Matrimonij, illud annullent?

Animaduerte primum, tria eſſe bona Matrimonij, ſcilicet bonum fidei, bonum prolis, & ſacramenti. erit autem contractus contra huiuſmodi bona, ſi quis contrahat hac conditione, vt dicat, contraho tecum, ſi generationem prolis euites, vel donec inueniā aliam honore, & facultatibus digniorem. Prima conditio, eſt contra bonum prolis, ſecunda contra bonum perpetuitatis, ſcilicet, ſacramenti vel tertio, ſi dicat contraho tecum, ſi pro quæſtu adulterium commiſeris. Quod eſt contra bonum fidei matrimonialis.

CONCLVSIO.

Contractus matrimonialis, in quo vna ex prædictis conditionib⁹ ponitur, redditur nullus. expreſſè definita eſt à Greg. 9. in

9. in cap. fi. modo citato, Est enim Matrimonium obligatio mutua ad bonum prolis, & bonum fidei, & bonum perpetuitatis, & qui conditionē aliquam ex dictis apponit, voluntatē obligandi se ad hæc tria minimè habet. Atq; ita non efficitur Matrimonium, quod solo animo obligandi se verbis expressis contahitur.

Diffic. An conditiones possibiles, & turpes reddant nullum Matrimonij contractum, quando non sunt contra illius substantiam? *Ric. vbi supr.*

V. G. si quis dicat, Accipio te in meam, si furtum, homicidium, vel quid simile commiseris.

CONCLVSIO.

Talis conditio turpis est habenda pro non adiecta. Definita est in cap. finali de conditionibus appositis. Et est explicandus textus, vt supra diximus: ita vt aliunde sint inuestigāda signa consensus vel dissensus, & non ex conditione vt supra dictum est.

CONCLVSIO.

Aliter definiendū est circa hunc casum in foro cōscientiæ, aliter verò in foro exteriori. Nam si pœnitens confiteatur se non habuisse intentionem cōtrahendi, nisi adimpleta conditione turpi; tunc Matrimonium nullum esse propter defectū consénsus iudicabatur, eritque compellendus, vt adimpleta conditione Matrimonium contrahat. Nam etsi conditio fuerit turpis, res tamen promissa est honesta, & ex consequēti adimplenda.

Dif. Quid si dicat cōtraho tecum si mecū prius cōcubueris?

CONCLVSIO.

Hæc conditio potest esse honesta intelligēdo illam de virginitate ex affectu maritali, ita vt habeat animum cognoscēdi illam tanquam vxorem, & non tanquam concubinam, & tunc cumprimum illam cognoscit, per copulam consequentem verum efficitur Matrimonium. Quod si fuerit turpis conditio, in foro exteriori pro non adiecta habetur; nisi probetur dissensus ex parte viri. Hæc concl. olim fuit vera, quando sponsalia de futuro per copulam subsequentem efficiebatur Matrimonium. At verò nunc Matrimonium est nullum, nisi contrahatur præsentibus testibus, & cum solemnitate à Conc. Trid. definita Sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonij. *Adr. est in materia. de sponsalib9 et Glossa de sponsa duorum.*

Diffic. An hæc conditio; si te Virginem inuenero sit turpis, ita Vt pro non adiecta habeatur? *Ric. vbi supr. et Adria. q. 6. de sponsalib9.*

Respondeo per tres propositiones.

PROPOSITIO.

Si exploratio virginitatis est faciēda per aspectum matronarum, conditio erit licita, vt supra diximus.

PROPOSITIO.

Si per congressum virilem, turpis est, & in foro exteriori pro non apposita habetur, & judicabitur, ac si esset consensus absolutus: nisi aliunde dissensus probetur.

PROPOSITIO.

In foro conscientiæ standum est conditioni adimpletæ: impleta enim conditione tenebitur, qui illam posuit, Matrimonium contrahere. Nam etsi conditio fuerit turpis, res tamen promissa honesta est, scilicet, Matrimonium, quemadmodū tenetur reddere cētū, qui illa promisit, vt homo interficeretur adimpleta conditione, atq; etiam, qui promisit pretiū meretrici. Quia adimplere promissum, honestum est.

Adr. dub. 12. in hac materia, Soto dist. 29. in fine.

Diffic. An valet Matrimoniū, quando cōditio est negatiua?

CONCLVSIO.

Si negatio est exceptiua, includit affirmationem, & ex cōsequenti erunt sponsalia: vt si quis dicat, non ducā aliam præter te, idem enim est ac si diceret, ducam te, quia exceptiua in rigore dialectico includit affirmationem.

CONCLVSIO.

Si negatio est conditionalis, tunc non erunt sponsalia, vt si dicat, non ducam aliam nisi te. Nam idem est ac si dicatur; Si non duxero te nullam aliam ducam: erit autem sensus ex præcedentibus, & sequentibus colligendus.

CONCLVSIO.

Si autem fuerit conditio de futuro, & negatiua, sponsalia erunt nulla: quia pura negatio est dissensus, & ad Matrimonium consensus desideratur, vt si quis dicat, nunquam aliam à te vxorem ducam.

QVAESTIO DE CONSENSV LIBERO ET COACTO.

Hac quæst. dist. 29. Magistri declaratur.

Alex. Alē. 2. p. q. 28. m. 2. ar. 2. §. 2. S. Th. q. 47. ar. 3. D. Bon. et reliqui hac d. ar. 1. Ri. q. 1. ar. 2. Scot. q. 1. Dur. q. 1. & 2.

Art. An metu cadente in constantem virum Matrimonij contractus annulletur?

Metum cadentem in constantem virum esse, qui potest virum studiosum cogere, vt iure faciat, quod cessante metu non fecisset. Qui est quadruplex vel mortis, vel perpetuæ seruitutis vel perpetui carceris, vel amissionis status.

CONCLVSIO.

Matrimonium contractum metu cadente in constantem virum, est nullum. Definita est in cap. cum locum. Et in cap. veniens

veniens, de sponsalibus.

CONCLVSIO.

Metus cadens citra virum constantem in foro exteriori matrimonium non irritat. Ratio est, quia iura canonica hactenus solum declararunt, matrimonium metu cadente in cõstantem virum contractum, esse nullum.

Difficultas, Eritne tale Matrimonium nullum iure Diuino, & naturali, an Ecclesiastico tantum?

Variæ sunt opiniones. Prima Ric. quem sequuti sunt Paluda. & alij, qui tenent iure tantum Ecclesiastico fieri inualidũ. Altera opinio D. Bona. & Scot. asserentium esse nullum iure naturali, & diuino, & Ecclesiam de nouo nihil in hoc casu instituisse, sed solum quod iure naturali, & diuino institutum erat, explicasse. Tertia opinio refertur à Sylu. verbo matrimonium 8. §. 11. tenens tale matrimonium esse validum secundum ius diuinum: rescindi tamen ab Ecclesia per actionẽ, quæ datur his, qui talẽ metum patiuntur. Hæc opinio est erronea. Nam si esset validum secundum ius naturæ, & diuinum, non posset aliquo modo ab Ecclesia rescindi. vt constat Matth. 19 quos Deus coniunxit, homo non separet. *vbi supra. S. Tho. Et.*

CONCLVSIO.

Matrimonium metu cadente in constantem virum contractum non est irritum ex iure tantum positiuo, eo quod Ecclesia personas ad sic contrahendum illegitimauit. Ratio est, quia matrimonium metu contractum ratificantur per solam libertatem superuenientem ex pacifica cohabitatione cõtrahentium: etiamsi nouus consensus non interueniat. At vero matrimonium inter personas illegitimas nunquam ratum effici citur per solam libertatem, & personarum legitimationẽ, quin nouus consensus superueniat; vt constat ex L. Oratio. ff. de sponsalibus. Quare non fuit matrimoniũ nullũ, quia personæ fuerũt illegitimæ alioqui enim esset nouus cõsensus necessari⁹

CONCLVSIO.

Est tamen nullum ex iure naturali, & diuino propter defectum libertatis in illo, qui metu ad contrahendum compellitur. Constat exemplo Sacræ Scripturæ. Nam seruo Abrahæ petenti Rebeccam responderunt parentes illius, vocemus puellã, & quæramus voluntatẽ eius. Quamobrẽ lege naturæ, quæ sola tũc vigebat, libertas in matrimoniali contractu exigitur. Vnde tale matrimoniũ propter defectũ libertatis iure naturæ in foro conscientiæ erit nullum, quia per iniustitiã nullus in conscientia obligatur.

Diffic. Annullatne Matrimonium omnis metus cadens in virum constantem?

CON-

CONCLVSIO.

Matrimonium metu ab intrinseco illato contractum, est verum. Ratio est, quia talis metus non est causa Matrimonii, sed occasio, & ita libere Matrimonium, contrahitur. Nõ enim ab alio, sed à seipso ad contrahendum inducitur.

APPEN. Hinc, si quis ab inimicis obsessus in virum alicuius fœminæ se offerat, vt obsidionem auferat, Matrimonium valebit. Fuit enim liber consensus, cum non ab alio, sed à seipso sit ad contrahendum inductus.

APPEN. Hinc, si quis metu naufragii promittat aliquam paupereculam in vxorem ducere, vel de facto titulo charitatis cum illa contrahat, erit verum Matrimonium. Quia non ab alio, sed à seipso inducitur. Et de similibus erit similiter iudicandum.

CONCLVSIO.

Matrimonium contractum metu ab extrinseco, non intentione inducendi ad Matrimonium, erit validum. Vt si quis ad patibulum ducendus dicat; se velle ducere meretricem in vxorem, vt mortem euadat: quemadmodum in aliquibus prouinciis statutum est. Ratio est, quia metus ille non est causa, sed occasio Matrimonii, neque hac intentione ad patibulum ducitur. Atque ita libere contrahit, cum non ab alio, sed à seipso inducatur.

CONCLVSIO.

Quotiescunque metus iustè, aut iniustè hac intentione infertur, vt aliquis ad contrahendum inducatur Matrimonium erit nullum. Ratio est, quia metus in hoc casu est causa Matrimonii, & violentus; quia tollit liberũ cõsensum, qui de essentia Matrimonii est.

APPEN. Si homini depræhenso in adulterio aliquis mortem cõminetur, nisi cum alia contrahat, Matrimonium erit nullũ quia talis metus est causa Matrimonii, tollitq. libertatem, secus nisi adulter sponte. vt mortem vitet, ad contrahendum se offerat: vt ex 2. concl. constat. Ita definitum est in l. nec timorẽ, & in l. ista quidem. ff. quod metus causa &c.

APPEN. Hinc, si iudex latroni suspendẽdo pœnæ remissionem promittat hac conditione, vt aliquam in vxorem ducat, tale Matrimonium erit nullum; & de similibus simile est iudicium.

Difficultas. An Matrimonium metu graui contractum, & iuramento firmatum, sit perinde irritum, ac si sine iuramento contrahatur?

Ricar. distinct. 29. art. 2. q. 3. duas refert opiniones. Vnam affirmantem, & alteram negantem, quam ipse sequitur.

CON-

CONCLVSIO.

Matrimonium metu graui contractum, & iuramento firmatum, ipso viro nullum esse censetur. Patet. Quia cum votū solemne emissum per metum grauem sit ipso iure nullum, vt in cap. Primo quod metus causa definitur. Matrimonium profecto erit etiam nullum. Quando enim non fit proximo iniuria, nullum quo ad Deum est inter votum, & iuramentum discrimen.

Difficultas. An quando metu graui ad contrahendum, & consummandum Matrimonium aliquis compellitur, sit verum Matrimonium?

CONCLVSIO.

In hoc casu cognoscens mulierem non affectu maritali. M peccat, & verum Matrimonium non conficitur. Quod autem peccet; Patet, quia fornicatur cum non sua, nullus enim metus à peccato excusat. Deinde, quod non sit Matrimonium constat. Quoniam Matrimonium à principio metu cōtractū non ratificatur, nisi per subsequentem Matrimonij vsum. Et ille non vsu matrimoniali, sed fornicario accessit.

Hinc, si affectu maritali ad mulierem accederet, verum efficeretur Matrimonium. Ratio est, quia liberè tunc præstat matrimonialem vsum. Vir enim, qui est causa efficiēs cōgressum, vt experientia testatur, non potest ad illum compelli: quemadmodum mulier, quæ passiue tantum se habet quæ ligari, & cognosci potest. APPEN.

Difficultas. An Matrimonium, quod antea erat nullū, per subsequentem liberam cohabitationem, aut Matrimonialem vsum effici validum possit?

CONCLVSIO.

Matrimonium metu contractum per liberam cohabitationem superuenientem, quæ est vsus matrimonialis, verum & validum efficitur. Ratio est, à simili, quia contractus ciuilis qui fuit nullus ob defectum libertatis, verus efficitur adueniēte libero vsu rei permutatæ, vt si liberè æquo vtatur, qui metu compulsus illum emit tum etiam, quia causa annullans Matrimonium erat solus defectus libertatis, & cessante causa cessat effectus.

Art. II. De compulsione per imperium.

Absoluetur duabus difficultatibus positis.

Difficultas. An pater possit filium ad contrahendum Matrimonium compellere?

CONCLVSIO. Communis est

Quando non est necessarium ad aliquem finem, vt filius contrahat

contrahat matrimonium: non tenetur parenti coniugium præcipienti obedire, est enim libertas ad contrahendum de lege naturali, quæ non potest paterno imperio tolli. Et est definita in cap.2. & cap. Accessit: de desponsatione impuberũ, & per legem non cogitur. de ritu nuptiarum.

APPEN. Hinc puella desponsata per parentes ante pubertatem, postea reclamandi facultatem habet, ita expresse definitur in Cap. Accessit citato.

CONCLVSIO.

D.Bona. Si matrimonium filij est patri aut Reipublicę, aut ad aliquẽ bonum finem necessarium; poterit pater non metu mortis, vel alia qualis violentia, sed simplici solum iussione filium ad matrimonium compellere. Et filius si non contraxerit, mortaliter peccabit, vt si matrimonium expediat patri ad vitandas inimicitias, vel ad extirpandas hæreses, vel ad totius regni pacem. Patet ex lege charitatis, quæ singulos obligat, non vt quæ sua sunt, sed aliorum quærant. præsertim si fuerit persona publica, aut princeps.

Diffic. Potestne Princeps, vel iudex aliquando subditũ metu mortis, siue carceris, ad contrahendum compellere?

CONCLVSIO.

Quando subditus tenetur aliquo iure contrahere, aut desponsauit sibi aliquam, aut quia virginem violauit, quam ducere, vel dotare tenetur, poterit Iudex siue Princeps illum ad matrimonium compellere. Citra hos autem, & similis euentus compellere potest neminem. Hic enim compulsus, siue metus est legitimus, quia fit à iudice habente authoritatem compellẽdi, neque tollit libertatem, eã enim prius subditus quãdo commisit delictum, amisit. Quoniam voluntarie, ac libere se ad pœnam obligauit.

QVAESTIO DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

Hac qõ. dist.30. magistri aperitur.

Art. I. An error in persona, vel in conditione verum Matrimonium impediat?

ERror in persona matrimonij contractum impedit. Ratio est, quia causa efficiens matrimonium est consensus, & facultas contrahendi cum certa, & determinata persona & qui errat in persona non habet voluntatem contrahendi cum illa, vt si pro filia Ioannis filia Petri apponatur. Atque ita deficiente consensu matrimonium est nullum.

CONCLVSIO. Error

Error circa conditionem Matrimonij contractum impedit, vt si mulier nubat seruo, quẽ liberũ esse arbitrabatur. Patet, quia seruus est impotẽs ad soluendum debitum, cùm possit à Domino impediri. Et Matrimonium nihil aliud est, quàm obligatio perpetua reddendi debitum, si petatur. Quamobrem cùm seruus non possit reddere debitum, Matrimonium erit nullum.

Art. II. An error in bonis, & in qualitate Matrimonium impediat?

CONCLVSIO.

Error in bonis fortunæ, aut in qualitatibus coniugum Matrimonium haud impedit, vt si quis ducat pauperem existimans esse diuitem, quamuis aliter eam non duceret. Ratio est, quia iste error non est circa essentialia Matrimonij sed, circa accidentalia, qui quidem non impedit contractum, quẽadmodum error circa essentialia Matrimonij, vt circa materiam, vel circa obligationem, id est, potentiam obligandi se. De ratione enim contractus est consensus circa essentialia, & non circa accidentalia quemadmodum & in reliquis contractibus.

Hinc, si quis contrahat cum corrupta existimans virginem esse erit verum Matrimonium. Nam accidit contractui integritas vxoris, vel corruptio.

Art. III. An inter Sanctissimam Virginem & Beatissimũ Ioseph fuerit verum Matrimonium?

CONCLVSIO.

Sanctissima Virgo antequam nuberet Sancto Iosepho votũ continentiæ emiserat, vt constat Luc. 1. Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? id est, non possum cognoscere, quoniam continentiam promisi.

CONCLVSIO.

Matrimonium ratum Sacratissimæ Virginis verum & perfectum fuit, Nam apud B. Matth. Ioseph, coniunx vocatur.

CONCLVSIO.

Expediens fuit multas ob causas, vt Sanctissima Maria viro nuberet. eas omnes reperies apud D. Ambro. Luc. 1. & apud S. Tho. loco citato.

Diffic. Habueritne in lege veteri praeceptum contrahendi Matrimonium omnes potentes illud contrahere?

Duæ sunt opiniones. Prima S. Tho. d. 30. & in 3. p. q. modo citata affirmans. Secunda negans Sco. d. 30. q. 2. art. 1. quem tacito autore sequitur Soto eadem d. q. 2. art. 1. ad vltimum, scilicet non fuisse tunc vniuersale præceptum contrahendi.

CON-

CONCLVSIO.

Patriarchæ, vtpote Abraham, Isaac & Iacob fortassis præceptum contrahendi Matrimonij habuerunt, vt Dei populus qui ab illis exordium sumpsit, exiguusque tunc erat, multiplicaretur; quo quidē multiplicato nullus tali præcepto obligabatur. Patet exemplis sanctorū veteris legis. Elisæus enim, Hieremias, Isaias in perpetuo cælibatu authore D. Hieronymo vixerunt, & D. Ioan. Baptista ad illud præceptum fuisset obligatus cum ante mortem Christi nullum præceptum legale fuisset reuocatum.

De bonis Matrimonij fidei, scilicet, prolis, & sacramenti?

Hanc qō. tractat Magister 31. dist. absoluetur aliquot difficultatibus expositis.

Diffic. Indigetne Matrimonium aliqua excusatione?

Aliis nominibus hæc difficultas à Ric. & Duran. ab aliis proponitur.

CONCLVSIO.

Matrimonij onera triplici bonorum genere excusantur, siue recompensantur. Non enim est facienda iactura nisi propter maioris lucri spem. Vnde Matrimonium, quod maximā secum affert corporis iacturam spe maioris lucri, scilicet, propagationis generis humani, & quia sacramentū est, cōtrahitur.

CONCLVSIO.

APPEN. In statu naturæ integræ Matrimonium his bonis non erat excusandum. Ratio est, quia tunc nulla fuissent Matrimonij onera, quæ in pœnam peccati successerunt.

Hinc, Matrimonium Sanctissimæ, & immaculatæ Virginis Mariæ fuit ex se appetibile. Caruit enim ærumnis, quibus cætera matrimonia abundant. Quia neque in conceptu impudicitiam, nec in partu dolorem habuit.

Diffic. Quanam sunt Matrimonij bona?

Hæc difficultas varie à DD. explanatur.

CONCLVSIO.

Tria sunt matrimonij essentialia bona, sine quibus consistere haud potest. Vt pote indissolubilitas, obligatioque prolem creandi, & mutuam seruandi fidem. Definita est in Can. omne. 27. qō. 7. lege cap. finale, De conditionibus appositis.

Dubium. Quod istorum bonorum est dignius, & magis ad Matrimonij essentiam pertinens?

Nota primum indissolubilitatem, siue vinculum indissolubile vocari bonum sacramenti, obligationem procreandi prolem, & religiose educandi, bonum prolis appellari, & mutuam obli-

obligationem seruandi fidem, fidei bonum nuncupari, scilicet, vt nullus coniugum alii admisceatur.

CONCLVSIO.

Indissolubilitas cæteris bonis præstat, & magis de essentia Matrimonij est. Nam est forma Matrimonij quatenus significat vinculum indissolubile, & indiuiduam vitæ consuetudinem. Tunc enim non definitur per alia bona, nisi per sacramentum, diciturq; excellentius, ea ratione, quia supremi beneficij, nempe Incarnationis Verbi Diuini est signum.

Difficultas. Secluso fine prolis, & fidei; actus coniugalis estne licitus?

D. Bona. & S. Tho. tres sunt opiniones, quarum prima tenet, delectationem esse mortale peccatum. Secunda esse veniale. Tertia nullum esse peccatum coniunctionem carnalẽ coniugum propter explendam libidinem. D. Bona. opinatur coniugalem actum semper esse veniale, quamuis intentio sit recta, si tamen delectatio interueniat, non autem si coniunx fastidiat delectationem, ita vt illam non admittat, sed patiatur tantum, cum non possit illi resistere. Nam erit tunc actus meritorius.

CONCLVSIO.

Accedere ad propriam vxorem, vel ad proprium virum delectationis tantum causa, non est mortale peccatum. Quia mortale est transgressio legis, & talis accessus nulla lege prohibetur.

CONCLVSIO.

Accedere ad coniugem solo animo explendi libidinem, ita vt delectationem quærat, veniale peccatum est. Quia est actus inutilis, eius enim finis, vtpote libido nullius vtilitatis est, estq; omnino otiosus, & non potest in Deum referri, cùm non referatur in finem honestum, scilicet, in procreationem liberorum, vel ad vitandam fornicationem, vel ad debiti solutionem.

CONCLVSIO.

Quando aliquis accedit sine debito, quamuis sponte delectationem admittat, neq; venialiter peccat. Quia finis huius actus est honestus, & rectus, & operatio bonitatem, vel malitiam à fine sortitur. Et quia illam vitare non potest. Est enim naturalis, vt delectatio in cibo, & somno.

Diffic. An accedens ad propriam sola causa vitandi fornicationem cum non sua venialiter peccet?

Duæ sunt opiniones: Prima D. Bon. & B. Tho. hac d. & Mag. c. 1. sequẽtis distinctionis, & sequuntur D. Augustinum,

& Hieronymum, qui opinantur, omnem concubitum coniugalem esse peccatum, nisi vel causa procreandi prolem, vel reddendi debitum, fiat. Sco. verò distinctione 26. & Ric. art. 3. q. 1. huius distinctio. & Dur. q. vltima. Caie. in summa, verbo Matrimonium cap. de vsu Matrimonij. Et Syluester verbo Debitum coniugale. 6. oppositum tenent, scilicet, tam reddere, quàm exigere debitum causa vitandi fornicationem in se, aut in alio nullum esse peccatum.

CONCLVSIO.

Nullum est peccatum debitum coniugale exigere solùm propter vitandam in se ipso cum non sua fornicationem. Matrimonium enim non solùm est in officium, verùmetiam in remedium, etsi est actus charitatis exigere debitum propter vitandam in alio fornicationem, multò magis erit propter vitandam in se ipso. Ordine namque charitatis potius nobis, quàm aliis subuenire tenemur.

CONCLVSIO.

Quando debitum petitur, non ad vitandum adulterium, sed ad delectationem tantum, & animo explendi libidinem, venialiter peccatur. D. August. & cæterorum est, vt constat ex superiori difficultate.

Dubium. Quando abusus actus Matrimonialis erit mortale peccatum?

Respondeo duabus propositionibus.

PROPOSITIO.

Quando est contra naturam, & quando ex seminis effusione prolis generatio impeditur. M. peccatur. Patet ad Rom. 1. de feminis Gentilium, quæ cum proprijs viris inquit Paul. mutauerunt vsum in eum, qui est cõtra naturam, & quia finis principalis Matrimonij, vtpote prolis generatio, impeditur.

PROPOSITIO.

Amplexus, & oscula inter coniuges quando honestè, & sine periculo pollutionis fiunt non sunt peccata sin minus, vtrobiq; peccatur.

DD. dist. 32

QVÆSTIO DE OBLIGATIONE SOLVENDI DEBITVM.

D. Bon. art. 1. quæst. 1. Ric. art 1. q. 2. Dur. q. 1. Sco. ibidem.

Hæc quæst. dist. 32. Mag. explanatur.

Articulus 1. An Vir Vxori, & Vxor Viro, debitum reddere teneatur?

CONCLVSIO.

Mortale peccatum ex genere est coniugale debitũ negare. B. Paul. est dicentis; Vir debitum vxori reddat, & vxor viro.

Qui

Qui enim negat alteri coniugum copulam, alienum obsequium inuito Domino retinet.

CONCLVSIO.

Vir vxori interpretatiuè, & per insinuationem debitum petenti reddere tenetur. Ratio est, quia vxores præ rubore non aliter petere consueuerunt.

CONCLVSIO.

Vnus coniugum non reddendo alteri debitũ à mortali excusabitur, vel quando remisse petitur, vel quando rogatus iuri suo cedit. Ratio à simili est de alijs debitis ciuilibus, quæ quando remisse petuntur, vel quando facile à creditore dilatio solutionis impetratur inuito domino nõ retinentur. Quia cum facile cedat iuri suo, non dicetur esse inuitus.

Diffic. Tenebiturne coniunx sanus leproso reddere debitum?

D. Bon. vbi supra art. 2. q. 1. Ric. ar. 1. qõ. 1.

Tres sunt opiniones. Prima cuiusdam Cardinalis, quam citat Sylu. tenentis partem affirmantem, atque etiam ad reddẽdum debitum coniugi leproso, & ad cohabitandum intra eandem domum, & aliorum. Secunda est D. Bona S. Thom. Ric. & Sco. scilicet, teneri ad reddendum debitum, non tamen ad cohabitandum cum ea. Tertia est Dur. & Palud. & Caiet. asserentium excusari à redditione debiti coniugem sanum, quando ex coucubitu infectionis lepræ periculum timetur.

CONCLVSIO.

Coniunx sanus non tenetur coniugi leproso debitum reddere, siue præcesserit, siue subsequuta fuerit læpra post contractum Matrimonium. Nam si coniunx sanus non tenetur reddere debitum coniugi infirmo illud petenti, quando infirmitatis augmentum timetur; neque tenebitur quando propriam infirmitatem timet, vt ex ordine charitatis constat. Etc.

Diffic. Vxor tempore menstrui excusabiturne à debiti coniugalis solutione?

Duæ sunt opiniones. Prima D. Bona. & S. Tho. scilicet, petentes debitum tunc temporis peccare mortaliter, reddentes vero minime. Secunda est Sco. eadem distinctione affirmantis vtrunque coniugum peccare petendo & reddendo debitum menstrui tempore, nisi timeatur fornicatio in petente. Idem tenet glossa super Can. ad eius dist. 5. & Ric. hac. dist. art. 4. q. 1. Caiet. & Paludanus venialiter peccare asserunt. Syluest. sequitur Sco. in muliere; si tunc exigat. Ver. debitum coniugale §. 6.

Caiet. in summa.

CONCLVSIO.

Tempore menstrui tam petere, quam reddere debitum, est

M. quia fit proli grauissima iniuria. Ratio est, quia vt debitor non tenetur creditori debitum reddere, neque creditor petere, quando timetur abusus in malum corporale proprium, vel proximi: ita, hic neque debitum coniugale erit petendum vel reddendum, quando proli generandæ corporale nocumentum timetur, Deinde quia in lege veteri vterq; pœna capitis puniebatur. Quæ quidem pœna, nisi pro transgressione ex genere Mortali, non imponebatur. *Leuit. 18.*

Respondent aduersarij illam legem ea parte, qua cæremonialis erat, pœna capitis transgressores punisse, & iam cessasse. Imo erat iudicialis, & licet quantum ad pœnam capitis cessauerit, nihilominus tamen accedere ad menstruatam erat M. ex genere, vt acerbissima pœna tunc imposita indicabat.

Tandem confirmatur authoritate D. Hieronymi cap. 44. super Isaiam, vbi locum illum; Omnes iustitiæ nostræ sicut pānus menstruatæ, Declarans, ait, tunc, id est, tempore menstrui debent viri à mulieribus abstinere. Quoniam cōcipiuntur filij membris damnati, cæci, claudi, leprosi, vt quia parentes non erubuerunt in conclaui cōmisceri eorum peccata pateant omnib⁹, & apertius in paruulis redarguantur, hæc essent coniugatis proponenda, vt tunc à coniugio abstinerent. Sed in contrarium cum Sco. argūr. Coniunx tenetur leproso etiā cum detrimento prolis generandæ debitum reddere, ergo similiter in præsentia. Sequela negatur, quia ex sententia Scot. nullum fit proli leprosę detrimentum. Quando aliter generari non posset, minus enim malū est prolem esse lepra infectam, quàm si simpliciter in rerū natura non esset, etsi leprosis esset perpetuo illicitum commisceri; proles nunquam generaretur, & ita erit licitum. Tempore autem mēstrui nequaquam, quia posset postea, quam citissime sana generari, atque tunc, si leprosa generaretur, maxima iniuria afficeretur. Et idem quod de lepra, est dicendum de fluxu sanguinis perpetuo.

Difficultas. An vir ratione peregrinationis à solutione debiti excusari possit?

CONCLVSIO.

Si leuis est causa, minime excusatur, agit enim contra fidem Matrimonij, qua ad soluendum debitum obligatur. *APPEN.*

Hinc, omnes coniugati sine legitima causa diutius ab vxoribus absentes sunt in statu damnationis. Quia inuito Domino alienum retinent. *Scot. q. 1. d. 3. 8 Ric art. 2. q 1. d. 32 D. Bona. d. 32. ar. 1. q. 1. Art. 2. q. 1.*

Diffic. An possit vnus coniugum à solutione debiti liberari altero inuito continentiam vouendo?

Ricar.

Ricar. hac dist. opinatur coniugum posse emittere votum de nunquam petendo debitum. D. Tho. & Duran. eadem distinctione oppositum tenent.

CONCLVSIO.

Neuter coniugum potest votum emittere nõ reddendi debitum, si petatur. Esset enim votum illud actus iniustitiæ, quia voueret alienum, cum non sit sui corporis Dominus, & peccaret vouendo, atque etiam adimplendo votum.

CONCLVSIO.

Votum non petendi debitum, si fiat à viro minime valet, nam esset contra bonum prolis, nunquam enim generaretur. Vxores namque præ nimio rubore tunc rarissime debitum petere auderent.

CONCLVSIO.

Votum de non petendo debitum in fœminis valet, quia non esset contra bonum prolis, viri siquidem petere, & accipere debitum vxoribus renitentibus solent.

CONCLVSIO.

Quandocunque alteri coniugum periculum fornicandi cũ aliena, vel pollutionis cum seipso imminet, qui votum non petendi emisit, exigere tenetur. Dummodo petendo debitum, alterum à peccato liberandum speret. Ratio est, quia hoc ad fidei bonum pertinet, facit ad hoc cap. quidam. de conuersione coniugatorum.

Angeli & Verbo Matrimonio 3. §. 6.

CONCLVSIO.

Si post Matrimonium ratum, alteri coniugum sit cordi religionem ingredi, non tenetur petenti debitum reddere. Ratio est, quia in iure, duorum mensium spatia dantur.

Diffic. Quo tempore non licet debitum petere?

Non licet in diebus magnorum festorum debitum petere. Definita est in Can. Quotiescunque 23. q. 4. vbi ita habetur. Quotiescunq; natalis Domini, aut reliquæ festivitates aduenerint, est ab vxoribus proprijs abstinendum.

Dubium. Estne hoc Ecclesiæ præceptum, an consilium?

Duæ sunt opiniones S. Tho. hac dist. opinatur esse veniale quocunque die festo, aut Ieiunij debitum petere. Caiet. in summa, verbo Matrimonium cap. 2. putat nullum esse peccatum vti Matrimonio hisce diebus citra Ecclesiæ contemptum. Scot. hac dist. dicit nullum esse mortale, quamuis de veniali nihil dicat.

CONCLVSIO.

Hæc opinio videtur rationi esse maxime cõsona. Ratio est, quia coniunx sine iniuria Ecclesiæ petit, quod sibi debetur.

Dubium. Quando coniugatus est communicaturus, licebitne petere debitum?

Caieta. in summa, verbo Communio cap.1. putat esse veniale, die, quo præcessit nocturna pollutio, aut debiti solutio, communicare, nisi esset scandalum tunc communionem, vel celebrationem differre. Scot. vero dicit non esse mortale.

CONCLVSIO.

Non est peccatum etiam veniale diebus festis, vel ieiuniorum, vel communionis debitum, omnibus tamen circunstantijs concurrentibus, exigere. Patet. Primo quia actus coniugalis si debitis circunstantijs fiat, est non modo licitus, sed etiam meritorius. Deinde non est contra aliquod præceptũ, erit tamen consulendum, vt præfatis diebus abstineant à carnis delectatione.

Dubium. Licebitne quando Ecclesia nondum impartita est coniugibus benedictionem?

CONCLVSIO.

Caieta. Verbo Matrimonium cap.2.

Petitio vel commixtio sexus erit tunc venialis. Ratio est, quia minus reuerenter sine benedictione Ecclesiæ coniunguntur.

Diffic. Licetne in loco sacro debitum petere?

Ric. art. 3. q. 1. reliqui vbi supra.

Ricar. & Sco. tenent esse mortale, quando coniuges possunt exire ab Ecclesia ad dormiendum, quod si multo tempore in Ecclesia interclusi teneantur tempore belli, tunc opinatur Maio. licere sine peccato vti actu coniugali. Sylue. vero existimat licere, si tamen in viro corruptela timeatur. Tandé Caiet. affirmat coniuges tunc propter loci penuriam obligari ad continentiam, quemadmodum propter longam alterius absentiam obligantur.

In summa verbo Matrimonium cap. 2. & alibi.

CONCLVSIO.

Mortale peccatum est ad vxorem in loco sacro publicè, ita, vt ab aliquibus possit intelligi, accedere. Ratio est, quia violatur templũ, & fit ciuibus iniuria, quo minus in propria Ecclesia diuina celebrari, & illis inter esse possint.

CONCLVSIO.

Si ita occulte hoc fiat, vt à nullo intelligi possit, non erit mortale. Ratio est, quia huiusmodi actu Ecclesia minime violatur. Vt Summistæ in materia de violatione Ecclesiæ docent.

APPEN.

Hinc in Ecclesiæ habitaculis, vt in turri, aut cemiterijs, non erit mortale. Quia DD. per locum sacrum, solam Ecclesiam consecratam, aut benedictam intelligunt.

QVAE-

Hac q. 33. d. Mag. exponitur, in qua quæritur, An liceat viris pluribus vxoribus ligari, ita, vt illis debitum coniugale reddere teneantur. DD. hac ea. d.

Art. I. Quo iure bigamia vtroque viuente est prohibita?

DVæ sunt opiniones. Prima. Dur. hac. d. q. 1. asserentis, non fuisse ante aduentum Christi lege aliqua prohibitũ plures habere vxores, dũmodo secunda ex consẽsu primæ, & sequentis ex consensu præcedentium haberentur. Altera opinio est communis Bon. Tho. Ric. Sco. hac dist. *Alexan. Alen. in 4. par. m. 2. artic. 4.*

CONCLVSIO.

Matrimonium, quatenus est in officium, non est aliqua ratione contra legem naturalem, aliquas habere vxores. Ratio est, quia plurirate vxorum natura hominis consequitur suum finem, scilicet, speciei humanæ multiplicationem, & conseruationem.

CONCLVSIO.

Si Matrimonium, vt est in remedium, consideretur; plures simul habere vxores erit contra legem naturalem: nisi prima suo iuri cedat. Nam fieret primæ vxori iniuria, cum vir quoties voluerit ab illa debitum petere, & quoties ipsa voluerit, debitum reddere non posset. Sunt enim secundum iustitiam commutatiuam in solutione debiti æquales. Secunda pars est quoque manifesta quoniam volenti, & consentienti nulla fit iniuria.

CONCLVSIO.

Si Matrimonium, vt est mutuum vtriusque coniugis obsequium consideretur, plures simul habere vxores est contra legem naturalem. Quæ in omnibus actionibus pacem & tranquillitatem quærendam præcipit. Ratio est, quia in certissimo periculo inimicitiarum, plures habens vxores constitueretur. Insatiabili enim odio præ nimio zelo, & inuidia se inuicem vxores prosequerentur. Vt constat exemplo Sacræ Scripturæ inter Sarram alioquin sanctam, & Agar, & inter Liam & Rachelem. Deinde quia illud est de lege naturæ, quod naturæ author in principio instituit. Non enim dixit Deus; erunt tres, sed duo in carna vna.

CONCLVSIO.

Plures habere vxores, est etiam contra vnionem inter Christum, & Ecclesiam quam Matrimonium significat, vt constat ex his, quæ de bigamia diximus.

Difficultas. Quo iure poterant veteris legis patres plures habere vxores?

Ric.art.1.q.1. Alexan. Alen. 3.p.qō 48. pist.inct.33.

Duæ sunt opiniones. Prima Abulensis Matth. 19. à q. 30. vſque ad 34. & Dur. q. 1. huius diſt. qui opinatur, ante aduentum Christi, ſecluſa diſpenſatione fuiſſe lege naturali antiquis patribus licitam polygamiam. Oppoſita opinio eſt cõmunis Bona. Tho. Ric. Scot. & aliorum affirmantium, fuiſſe licitam ſolum ex diuina diſpenſatione.

CONCLVSIO.

Tempore legis naturæ, & Moſaycæ, aliqui ex patribus licite plures habuerunt vxores. Patet exemplo Abrahæ, Iacob, & aliorum, qui fuerunt iuſti, & ad Heb. 11. inter Sanctos veteris teſtamenti, à D. Paul. recenſentur.

CONCLVSIO.

Hoc autem fuit licitum illis, ex peculiari diuina diſpenſatione intrinſecus per reuelationem facta. Definita eſt expreſſè in cap. Gaudemus De Diuortijs, & cum lex prohibens vxorum pluralitatem eſſet mentalis, & non ſcripta, eius diſpenſatio fuit quoque per reuelationem facta.

Diffic. Omnes, qui tempore legis ſcriptæ plures duxerunt vxores habueruntne reuelationem?

Sco. opinatur licuiſſe plures habere vxores illis tantum, quibus facta fuit reuelatio. Contraria opinio eſt Paludani.

CONCLVSIO.

Ante aduentum Chriſti Ieſu poterant Iſraelitę, qui non habuerunt reuelationem plures habere vxores. Ratio eſt, quia quod exemplo præſertim ſanctorum fit, iure fieri putamus. Patriarchæ autem, & Dauid plures vxores habuerunt.

Diffic. Poterant etiam Gentiles licite plures habere vxores?

CONCLVSIO.

Nequaquam fuit illis integrum. Ratio eſt, quia deerat cauſa diſpenſandi cum illis, ſcilicet, populi fidelis augmentum.

APPEN.

Hinc, à peccato exemplo Iudæorum minime excuſabantur. Nam qui alterius exemplo à peccatis excuſantur, illum tanquam iuſtum, & fidelem venerantur. Gentiles vero populum Iſraeliticum non ita colebant.

Contra Sotum & Paludanũ eſt.

Difficultas. Ceſſauitne talis diſpenſatio?

Ab aduentu Chriſti Ieſu diſpenſatio habendi plures vxores ceſſauit. Definita eſt in c. Gaude. vbi Innocentius ex loco Matth. 19. qui dimiſerit vxorem, niſi per fornicationem, & aliam duxerit, mechatur ita colligit, dimiſſa vxore non licet aliam ducere, multo minus igitur licebit; eadem vxore retẽta.

Diffic. Poteritne Eccleſia in hoc diſpenſare?

Duran.

Dura. refert vnam opinionẽ, quæ partem affirmantẽ tenet.

CONCLVSIO.

Ecclesia authoritatem dispensandi in polygamia minimè habet. Nam est contra ius diuinum immediatum, vt Matth. 19. constat, atq; ita cùm sit inferior in hoc Papa, dispensare non poterit &c.

Diffic. An in aliquo saltem euentu sit licitum vxori habere plures viros?

CONCLVSIO.

Nunquam etiam per dispensationem diuinam vni vxori licuit plures habere viros. Est enim contra principalem Matrimonij finem, nempe prolis bonum, multitudo siquidem virorum prolis bonũ impedit, vt in meretricibus patet. Quid? quod cùm vir sit caput mulieris, teste B. Paulo, esset monstrũ si vnum corpus multa haberet capita.

Art. II. An inseparabilitas Matrimonij, vsq; adeo sit inuiolabilis de lege naturæ, vt per leges ciuiles ante aduentum Christi non potuerit in aliquo casu reuocari?

D. Bona. art. 3. q̃o. 1. d. 2. Ric. ar. 3. q. 1. S. Th. 1. 2. q. 100. ar. 8. Dur. q. 3.

Duæ sunt opiniones: Prima Dur. & Abulẽsis super Matth. 19. q. 45. asserentium licitum fuisse repudium inter gentes, dummodo educationi liberorum cõsuleretur. Cõtraria opinio fuit S. Tho. & Ric. hac dist.

CONCLVSIO.

Matrimonij inseparabilitas ita est de iure naturę vt lex humana in hoc dispensare haud possit. Quia educatio filiorum est de iure naturæ. Et si coniuges diuiderentur, post discessũ non curarent prolem, & constat Matth. 19. dicente Christo, Moyses ad duritiẽ cordis vestri permisit libellum repudii, ab initio non fuit sic, id est, in statu legis naturæ ante legẽ scriptam. Vnde solus naturæ author in hoc dispensare potest.

CONCLVSIO.

Deus potest dispensare in perpetuitate Matrimonij, ita vt quoad vinculum dissoluantur. Constat exemplo sacræ scripturæ Gen. 21. vbi Deus dispensauit cum Abraham, vt repudiaret Agar cum filio suo, non enim est indissolubilitas de lege naturæ primo modo, ut sunt præcepta de fine, vt de charitate &c. Sed secundo modo, id est, de medijs charitatis, vt de educatione liberorum, quæ melius perpetuitate Matrimonij perficitur: facta autem tali dispensatione, quomodo filij essent educandi Deus institueret.

Diffic. An ante aduentum Christi fuerit licitum Iudæis libellũ repudij vxoribus dare, & ad secundas nuptias

 per so-

per solutionem priorum nuptiarum transire?

D. Bona. art. 3. q. 12. Ric. ar. 3. Sco. q. 3. Dur. eadem quæst.

Communis opinio Bon. Tho. Ricar. & Dur. hac dist. defendit Iudeos, ita vxores repudiantes mortaliter peccasse, & Matrimonium, quoad vinculum non fuisse solutum. Non tamen in foro exteriori lege puniebãtur. Vt maiora mala cauerent, scilicet, vxoricidium, vel quid simile. Secunda opinio Albu. super Matth. 19. q. 46. & 51. qui tuetur licitum fuisse libellum repudij, & eo Matrimonij vinculum dissolui. Tertia est Sco. q. 3. qui vtramq; partem amplectitur.

CONCLVSIO.

Ante aduentum Christi Iesu Iudæi legitimam ob causam proprias vxores repudiantes, & alias ducentes minimè peccabant. Quia ante Christi Iesu aduentum nulla erat lex scripta de perpetuitate Matrimonij. Et erat de libello repudij. Et vbi non est legis transgresio; non est peccatum. Quemadmodum non peccabant ante aduentum Christi Iesu habendo plures vxores. Quamuis non haberent de hoc legem permissiuam, sed tantum exempla sanctorum, deinde erat priuilegium illis concessum.

APPEN. Hinc legitima tantum causa interueniente per libellum repudij Matrimonij vinculum dissoluebatur: vt patet expressè Deutero. 24. vbi legitur, Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inueneri gratiã ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribit libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua &c.

CONCLVSIO.

Erat autem legitima dandi libellum repudij causa. Quãdo vxor delictum contra bonum fidei commiserat, vel quando impedimentum aliquod contra bonũ prolis, vt lepra, & sterilitas superueniebat Quia per adulteriũ proles incerta fiebat; & per lepram infecta generabatur. Hæ igitur erant causæ, & multæ aliæ, quæ bonum prolis impediebant.

APPEN. Hinc colligitur, non solùm fuisse licitũ repudium propter vitandum vxoricidium. Verùmetiam ob bonum prolis, quãdo mulier erat odiosa propter aliquam fæditatem, vt malum prolis euitaretur. Quod sequutum fuisset, si vir mulierem suam adulteram, vel exosam interfecisset. Cæterum in forma libelli non exprimebantur repudij causæ, ne mulieres infamarentur.

QVÆSTIO DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

DD. dist. 34. Hac quæst. dist. 34. Magistri enodatur.

Art. I. Poteftne Matrimonium impediri?

CON-

CONCLVSIO.

Matrimonium potest impediri, quo minus sit verus contractus. Ratio est, quia quamuis Ecclesia non possit impedire sacramenta. Propterea quod posita materia, & forma & intentione ministri sufficientis, non virtute ab Ecclesia data, sed à Christo gratiam operantur. Nihilominus tamen cũ possit quemlibet contractum legitima, & rationabili causa interueniente impedire, poterit etiam contractum matrimonialem, Nam Matrimonialis contractus, contractus est.

Dubium. Quæ nam sint matrimonij impedimenta?

Respondeo varia, Quædam, quæ dirimunt Matrimonium contractum, nullumq. esse efficiunt. Quædam vero, quæ impediunt contrahendum, contractum tamen minime dirimũt. Et de singulis sunt singulæ difficultates proponendæ.

Diffic. Dirimitne frigiditas Matrimonium contractum?

CONCLVSIO.

Quando frigiditas, seu impotentia alterius coniugis perpetua est: Matrimonium est nullum. Et qui impotentiam sciens contrahit, peccat. Definita est in cap. Consultatione de frigidis, & maleficiatis, non enim qui ita frigidus est, poterit reddere debitum, si petatur. Quod est contra Matrimonij definitionem. APPEN.

Hinc, Matrimonium cum Eunuchis contractum, est nullũ. Non enim possunt seminare, cum perpetua laborent impotentia. Panormi est in cap. quod sedem. eodem Tit. contra Sylue. verbo Matrimonium 8. §. 16. APPEN.

Hinc matrimonium cum sene naturaliter impotente ad seminandum est quoque nullum.

Hinc, quando vir præ instrumenti improportionem non potest naturaliter cum muliere congredi, Matrimonium est etiam nullum. Quia solutio debiti intelligitur intra vas, quam non potest talis præstare. Idem est iudicium de muliere adeo arcta, vt ei de sententia medicorum subueniri non possit, est enim solutio debiti illi impossibilis. APPEN.

Hinc, si Eunuchus seminauerit, Matrimonium erit validũ, etiamsi semen ad generationem sit insufficiens. Quia per semen coniuges vna caro efficiuntur, & sunt ad reddendum debitum potentes. Quod solum est de essentia Matrimonij, Nam quod sit sterilis, nihil refert. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando impedimentum perpetuum sequitur post Matrimonium ratũ, & ante eius cõsummationem, nõ illud dissoluit;

Matri-

matrimonium enim ratum ex diuina institutione,nõ nisi per
Scot.liberatur ingressum religionis,soluitur. Communis est opinio contra quandam glossam Iuris Canonici, quam refert, & confutat Scot.hac dist. vnde falso glossæ opinio fuit Scot. imposita à Soto.

CONCLVSIO.

Quando impotentia est temporalis, propterea quod potest illi per artem medicorum sine mortis periculo subueniri, matrimonium est validum. Definita est expresse ab Alexan.III. in cap. ex literis, & ab Innocentio III. in Cap. fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis.

APPEN. Hinc, si viro ante cõgressum, vel præ nimio calore, vel præ imbecillitate, & frigiditate non potenti reddere debitum possit per artem remedium adhiberi, matrimonium erit verum.

APPEN. Hinc fœmina arcta tenebitur incisionem pati, vt apta ad cõgressum reddatur. Quicunque enim ad aliquod obsequium obligatur, simul etiam ad omnem actionem, & siue passionẽ obligatur. Quæ naturaliter, sine mortis tamen periculo, ad tale obsequium præstandum desideratur. Etiamsi ex incisione infirmitas aliqua timeatur. Oppositum tenet Soto, quando timetur infirmitas. Cuius opinio est contra cap. Ex literis citatũ vbi Alexan. Papa solũ mortis periculum exceptum voluit.

Dubium. Qua ratione impotentia temporalis, vel perpetua dignoscetur esse?

CONCLVSIO.

Nota.

Si potest aliter, quam per cohabitationem vtriusque cõiugis cognosci: statim sunt iudicio Ecclesiæ separandi. Si vero non nisi simul cohabitando, expectandum est triennium, in quo debent actui coniugali fideliter operam dare. Quo finito si matrimonium non fuerit consummatum, vtroq. vel altero tantum petente, separandi sunt. Definita est verbo ad verbum à Celestino. III. in cap. laudabile eodem titulo.

Dubium. Quomodo mulier poterit viri impotentiam probare, postquam cum illo per triennium dormierit?

CONCLVSIO.

Si est integra, & iudicio matronarum non est arcta, sed ad copulam idonea, constabit tunc virum esse frigidum. Ratio est, quia non potuit tunc matrimonium consummare.

CONCLVSIO.

Si mulier fuerit corrupta, & vir Eunuchus, constat nõ esse matrimonium consummatum. Quia non sunt effecti vna caro, cum vir non potuerit seminare, quamuis illam corruperit.

Dubium. Quid si vir non Eunuchus, sed integer?

CONCLVSIO.

Si ambo diuortium petunt, ne fraudulenter petere videantur, introducendi sunt. 7. testes, aut propinqui, aut vicini, qui iurent de crudelitate illos per triennium bona fide coniugio operam dedisse, separandiq. sunt.

Dubium. Quid si alter tantum diuortium petat?

CONCLVSIO.

Si vxor petat per integritatem sui corporis, vel aliunde impotentiam viri non probauerit; viro credendum est. Si autem vir petat causas impotentiæ mulieris, scilicet, esse arctam, & cognosci non posse, adhibitis matronis ostendere debet, iuxta quarum sententiam separandi sunt, viroq. vt aliam ducat, facultas concedēda est. Hæc conclusio colligitur ex Cap. 1. & Cap. Laudabile. Et Cap. fraternitatis. De frigidis, & maleficiatis.

Quid si facta per Ecclesiam separatione. Qui definitus est impotens, fiat per aliquam causam naturalem potens, & si mulier arcta aliquo modo reseretur, aut qui erat frigidus habeat cum alia liberos, eritne tunc Matrimonium reualidandum? *Ric. art. 3. q. 1. & 2. Scot. q. 1.*

CONCLVSIO.

Reparandum est semper primum Matrimonium, ita vt vxor reserata priori viro, & vir frigidus veritate comperta, vxori restituatur. Definita est expresse cap. fraternitatis. Nam quotiescunq; naturaliter fuerit remota impotentia, coniuges ad mutuo cohabitandum sunt compellendi, Nam secundum Matrimonium tunc fuit nullum.

LIMITATIO.

Intelligenda est Conclusio dummodo à priori viro possit cognosci. Nam si semper est frigidus vir, aut instrumentum vxori improportionatum habeat, cui non potest naturaliter remedium adhiberi, non erit illi restituenda. Nam matrimonium fuit nullum.

Dubium. Quid, si impotentia perpetua per miraculum motorum dimoueatur?

CONCLVSIO.

Primum Matrimonium non erit tunc reparandum. Nam cum impotentia esset perpetua impotens, non potuit se ad impossibile obligare. Atque ita prior contractus matrimonialis fuit nullus.

Dubium. Si neuter coniugum separationem petat, quamuis alter sit impotens, poteruntne simul cohabitare?

CONCLVSIO.

Neu-

Neutro reclamante ſimul cohabitare poterunt. Definita eſt in cap. laudabile, vbi legitur. Si ambo conſentiant ſimul eſſe, vir eam, etſi non vt vxorem, habeat vt ſororem.

Dubium. Poteruntne ſe inuicem amplexari, & oſculari?

CONCLVSIO.

Si impotentia coniugalis iudicio medicorum, & matronarum eſt perpetua, cui per cauſas naturales ſubueniri nõ poteſt Mortaliter peccant amplexus, & mutua oſcula ſibi reddentes. Quia tales tactus ſunt illiciti, niſi fiant inter Matrimonio cõiunctos, & tali exiſtente impotentia non poſſunt vſu veri Matrimonij coniungi.

CONCLVSIO.

Si impotentia non fuerit perpetua, eiq. poſſit per cauſas naturales remedium adhiberi, coniuges tunc ſimul habitare poſſunt tamquam vir & vxor, & non vt frater & ſoror, quamuis impedimentum coeundi, non remoueatur. Ratio eſt, quia impotentia, quæ per cauſas naturales remoueri poteſt, non irritat Matrimonium, vt ex ſuperioribus conſtat.

APPEN. Hinc mulier, quæ nupſit Eunucho, & libidinoſe ſe mutuo oſculantur, & amplexantur, ſunt in ſtatu damnationis, niſi quo ad thorum ſeparentur. Non enim inter illos eſt verum Matrimonium. Quia Eunucho viuente ſi alteri nupſerit, erit verum Matrimonium.

APPEN. Hinc, vir habens mulierem arctam, quæ per inciſionem ſine periculo reſerari poteſt, non vult tamen iuri ſuo cedens, poterit illam ſine mortali libidinoſe tangere. Nam ſunt veri cõiuges cum impedimentum ſit temporale.

S. Tho. hac diſtinct. 34. *Diffic. Si vir vxorem Virginem habeat, quam non poteſt reſerare, poteſt tamen ad corruptam accedere, tenebiturne virgo, per artem, vt ſit viro, cui ſemel nupſit, apta; aperiri?*

CONCLVSIO.

Si vir cum corruptis ſuam expertus eſt potentiam, quia ex illis liberos habuit, vxor virgo reſerari debet. Vt ei apta reddatur, ſi enim mulier arcta tenetur ſine mortis periculo pati inciſionem quanto magis virgo, cum maius impedimentum ſit arctitudo, quam virginitas.

APPEN. Hinc, ſi potentia viri non fuerit cum corruptis manifeſta, virgo non tenebitur reſerari, Ratio eſt, quia vir fortaſſis eſt frigidæ naturæ. Quod quidem, ſi ſemel fuerit reſerata, per artem medicinæ probari non poterit.

Art. II. An maleficium, vt frigiditas, impediat, & dirimat Matrimonium?

CON-

CONCLVSIO.

Maleficium perpetuum impedit, & dirimit Matrimonium Definita est Cap. finali de frigidis,& maleficiatis. Quæ impotentia per artem diaboli efficitur.

CONCLVSIO.

Maleficium temporale non impedit Matrimonium contrahendum. Patet ex definitione Matrimonij, quia sic impeditus, sublato impedimento, potest debitum reddere.

Dubium. Quomodo probari poterit, sitne perpetuum, annon?

CONCLVSIO.

Si coniuges per continuum triennium habitauerint, bonaq. fide coniugali copulæ operam dederint, & se cognoscere non potuerint, hoc qui non solum per proprium iuramẽtum, verumetiam per septem propinquorum iurantium de fidelitate, probauerint; maleficium esse perpetuum dignoscetur. Sẽtentiaque nullitatis proferenda, & danda vtrique nubendi cũ alio facultas erit. Definita est in Cap. Finali, de frigidis,& maleficiatis, & in Can. si per Sortiarias 33.q. 1. nam cum maleficiatis non sit respectu omnium, sed vnius tantum impeditus, non erit profecto, ne cum aliis contrahat, prohibendus.

Dubium. Quomodo maleficium erit auferendum?

CONCLVSIO.

Vno quatuor modorum poterit remoueri, vel remediis spiritualibus, vt ieiuniis, orationibus, peccatorum contritione vt Deus opera diaboli dissoluat. Quod quidem remedium in Can. Si per sortiarias, collocatur, vel 2. per medicamenta contraria, quibus plerumq. maleficium soluitur. Vel 3 per destructionem signi, quo durante paciscitur diabolus cũ magi coniugem futurum esse maleficiatum, vt magi decipiantur credentes in illo signo, quod vocatur maleficium, virtutẽ aliquam esse, cum nulla sit. Vel 4. potest per aliud maleficium destrui. Vt si magus per inuocationem dœmonis signũ destruit ex his quatuor modis duo priores, vt constat, meritorij sunt, non modo liciti; & tertius item, quando Magus rogatus sine inuocatione dœmonum signum destrueret, quemadmodum Sco. rectè docet, esletq. meritorium, illum ad hoc inducere, nunquam tamen erit licitum opera diaboli vti ad maleficium auferendum vt constat ex Canone. Qui Saluatore 26. qõ.2. Oppositum tamen tenet. Summa Angelica verbo superstitio §.13. Dicit enim; non esse mortale, vti opera magi, ad dissoluendum maleficium, qui paratus est inuocare diabolum ad alias actiones præstandas.

Dist. præsenti & Caietan. qõ.2. quol:beto 1.

Eiusdem opinionis est Anreolus dist.

Diffic.

Diffic. An destructo maleficio, Matrimonium authoritate Ecclesiæ solutum, sit reparandum?

S.Bona.art.2. q.2.d.34, Art 3 qō. 1. & 2. Scot.q.1.

Duæ sunt opiniones. Prima dicit non esse reparandum. Constat ex textu, in capite si per sortiarias 33.q.2. Quæ est etiam Sco. Contraria opinio est Ric. & censetur communis.

CONCLVSIO.

Maleficij destructio per solam habilitatem maleficiati non potest Ecclesiæ cõstare. Patet quia maleficiatus respectu vni, non censetur talis respectu omnium, & ita poterit esse habilis ad secundam, & non ad primam, & ita est vera Sco. opinio & Abulensis, super Matth. cap. 19. quæst. 90.

CONCLVSIO.

Quandocunque Ecclesiæ constiterit, maleficium esse sublatum. Primum Matrimonium erit reparandum. Patet, quia maleficium temporale veritatem primi Matrimonij nõ abstulit. Vt ex superiribus constat.

Ric.art.4.q.1 D.Bona.art.3 quæst.1.

Art. III. Furiosi, & amentes possuntne contrahere Matrimonium?

CONCLVSIO.

Perpetuo amentes sunt inhabiles ad matrimonium contrahendum. Etsi contrahant, matrimonium erit nullum. Ratio est, quia consensus liber est de ratione matrimonij, & tales amentes libertate omnino carent.

CONCLVSIO.

Valebit tamen matrimonium ante talém amentiam cõtractum. Quia solemne votum dirimit dumtaxat matrimonium. Amentes, qui habent lucida interualla, tempore, quo ratione vtuntur, matrimonium contrahere possunt. Ratio est, quia possunt præstare liberum consensum, qui ad matrimonium sufficit.

Diffic. Si amentia superueniat Matrimonio contracto, coniunx sanus tenebiturne reddere, & exigere ab amente debitum?

CONCLVSIO.

Poterit quidem sine peccato. Quia sanus petendo vtitur iure suo, & reddendo amentem à pollutionis periculo liberat.

DD.eadem.d. & Alex. Alē 3.p.qō.46. to tom.2. R.icart.1.q.1. Dur.q.1.S.Th.

QVAESTIO DE DIVORTIO CAVSA ADVLTERII.

Hac qō. d.35. magistri explanatur.

Art. I. An Vir quo ad thorum Vxorem adulteram dimittere possit?

CONCLVSIO.

Integrum est illum quo ad thorum dimittere. Definita est à Chri-

Christo Iesu Math. 19. dicente. Qui dimiserit vxorem &c. frangenti enim fidem fides non debetur eidem.

Diffic. Poteritne à Viro propter crimen contra naturam dimitti?

Duæ sunt opiniones: Prima negans Glossæ in cap. Omnes 32. q. 7. & Innocentij in cap. Marirus. De aduletrijs, & D. Panormitani eodem cap. Contraria opinio est Ric. B. Thom. Bona. & Palu. & Sylue. verbo Diuortium.

CONCLVSIO.

Vir potest vxorem contra naturam fornicantem dimittere quia propter fornicationem, vt ex prima conclusione constat licet illam dimittere, & nomine fornicationis in Can. Meretrices 32. qō. 4. omnis illicitus coitus intelligitur.

Hinc propter tactus impudicos, & seminationem extra vas non licet vxorem dimittere. Quia non est fornicatio, neque adulterium. Nisi quando sit congressus in vas naturale, aut contra naturam. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando vir etiam adulterium commisit non potest vxoré dimittere. Definita est in Can. 1. 32. q. 6. & in Cap. intellexi-mus, & in cap. finali. de adulteriis. Paria enim delicta mutua compensatione tolluntur.

Idem iudicium est de muliere, quæ pluries adulterium cōmisit. Nam vt causa dimittendi vxorem est sola fidei coniugalis fractio, similiter & recompensationis causa erit fractio fidei in utroq; coniuge parum enim refert sintne adulteria vtriusq; paria, an non, cùm vterq; fidem fregerit. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando vxor non sponte, sed per violentiam adulterium commisit, non est dimittenda, Definita est in Cano. Itane & in Can. proposito 32. qō. 5. & ad maiorem explicationem lege Can. Omnes. 32. q. 7. Nam vbi non est culpa, pœna esse non debet.

CONCLVSIO.

Quando vxor bona fide existimans maritum mortuum, nupsit secundo, à primo dimitti non potest. Definita est in Can. cùm per bellicam. 34. q. 2.

CONCLVSIO.

Quando aliquis sub specie mariti illam cognouit, dimittēda non erit. Ita definitur Can. in lectum 34. q. 2. & est Conci. Triburien.

CONCLVSIO.

Neque dimittenda est, quando maritus tradidit adultero

vxorem. Definita est in cap. Discretionem, de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ.

CONCLVSIO.

Neq; dimittenda est, si maritus adulterij conscius illã cognouit, visus enim est tunc noxam dimittere. Definitur ita in Cano. si quis vxorem 32.q.5. quod si postea adulterium commisit, propter adulterium à reconciliatione commissum, illã repellere poterit. Verùm si post separationẽ, illam quoquo modo cognoscat; iniuriam remittere censetur.

CONCLVSIO.

Quãdo repudiata fuerit vxor ante Baptismum, si ambo ad fidem cõuertantur, licet fuerit à secundo viro ante Baptismũ cognita: priori nihilominus erit reconcilianda. ita definitur in cap. Gaudemus. De diuortijs.

Ric. ar. 1. q. 2. Albulẽ. super Matth. ca. 19. q. 71. Dur. & D. Bon. eadem d. ar. 1. q. 2. S. Tho. q̃. vnica art. 2.

Dubium. An vir ex præcepto vxorem dimittere teneatur.

CONCLVSIO.

Quãdo vxor non perseuerat in crimine, eam dimittere non tenetur, nam verba Christi. Qui dimiserit vxorem. &c. nõ insinuant præceptum, sed permissionem, vt Glo. 1. ad Cor. 7. docet, eam enim tunc retinendo omnis ratio scandali cessat.

CONCLVSIO.

Quando maritus nullo modo potest vitare suspicionem participationis in crimine, illam retinẽdo, relinquere tenetur. Ratio est, quia tenetur vitare scandalum. Vide literã Magistri.

CONCLVSIO.

Si eam aliter corrigere non potest, tenetur illam etiam dimittere. Quia ex præcepto correctionis fraternæ obligatur ad illam corrigendam, & cùm aliter non possit corrigi quàm per diuortium, ei subuenire hoc modo tenebitur. Definita est in concilio Arelatensi, & habetur in cano. Si vir de adulterijs & stupro.

CONCLVSIO.

Quando potest maritus vxorem retinendo suspicionem remouere, poterit incorrigibilem retinere præsertim, si dimissa futura est deterior. Ratio est, quia cessat omnis ratio scandali dati, & iuri suo cedere potest. Nam facultas dimittendi vxorem adulteram in fauorem viri concessa est.

DD. vbi supr.

Diffic. Poteritne vir vxorem adulteram propria authoritate dimittere?

CONCLVSIO.

Potest, in quoad thorum, vir vxorem dimittere in pœnam perfidiæ coniugalis, dummodo sit certus de adulterio, aut verisimis coniecturis illud suspicetur. Aliter non potest petẽ debitum

debitum denegare. Esset enim iniustitia coniugali debito, ex leuissimis, & incertis coniecturis vxorem priuare.

CONCLVSIO.

Non potest vir quoad habitationem ab vxore adultera recedere. Nisi per iudicis sententiam. Quia nullus est in causa propria iudex, & accusator. Et ideo authoritate Iudicis debet fieri separatio.

LIMITATIO.

Hæc conclusio intelligitur, quando ex tali separatione scãdalum orietur, vel vxor reclamauerit.

Hinc, cessante scandalo, & vxoris reclamatione, poterit sine scrupulo conscientiæ, etiam ad Indos migrare. Quæ omnia tandiu vim habent, quamdiu vir post separationem caste vixerit. Nam si adulterium commiserit, & ius suum amittit, & vxorem sibi reconciliare tenetur, quod est à confessoribus maxime notandum. APPEN.

CONCLVSIO.

Si crimen vxoris fuerit notorium, poterit coniunx innocẽs ab vxore adultera propria authoritate separari. Ita definitum est in cap. significasti. De diuortijs.

Diffic. Potestne similiter vxor virum adulterum dimitere?

Caieta. Matth. 19. falsus est, affirmans, solis viris tale priuilegium fuisse concessum. Cõmunis autem opinio Ric. Bona. Tho. tenet oppositum. Vbi supra.

CONCLVSIO.

Vxor quoad thorum virum adulterum dimittere, eique debitum negare potest. Definita est in Cano. Christiana, & ex Concilio Mileuitano Cano. placuit. 32. q. 5. vxor nihilominus propter honestatem debet cedere iuri suo, vt virum à cõcubina detineat.

CONCLVSIO.

Ius ciuile nõ concedit actionem vxorib⁹ in viro adulteros, vt quoad habitationem separẽtur. Bene tamen ius Canonicũ. Quia authoritate Iudicis Ecclesiastici à cohabitatione viri adulteri recedere potest.

Diffic. An poßit vir dimissa vxore adultera, aliam ducere?

Communis est DD. sententia.

CONCLVSIO.

Facto per fornicationem diuortio, neutri coniugum ad secundas nuptias transire licet. Patet Matth. 19. Qui dimiserit vxorem nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mæchatur.

Vbi Christus Iesus duo præcepit. Primum, ne Christiani dimittant vxores dantes eis libellum repudij, vt Iudæi faciebāt. Secundo, ne illis repudiatis, alias ducant. Huius loci variæ sunt expositiones. Verum Catholica sententia est; exceptiuā (nisi) solum esse prioris præcepti, & non secundi. Quemadmodum B. Paul. docet dicens, his qui Matrimonio coniuncti sunt præcipio, non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vxorem ne dimittat.

1. Cor. 7.

CONCLVSIO.

Castro. verbo nuptia. hære. 5

Hæc veritas Catholica, scilicet; Matrimonium quoad vinculum per diuortium propter fornicationem factum nō tolli; est ab Ecclesia definita à temporibus Apostolorum, vt D. Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei docet. Et in Concilio Mileuita. 32. q. 7. Cano. Placuit. Et in Concil. Eliber. Cano. fidelis. Et in Conc. Flor. his verbis. Quamuis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non inde aliud Matrimonium contrahere fas est; cum Matrimonij vinculum legitimè contractum perpetuum est.

APPEN.

Hæresis.

Caie. Caute legendus & Erasmus.

Hinc, confutatus manet error Erasmi in annotationibus Matth. 19. & in paraphrasi 1. ad Cor. 7. affirmantis: per adulterium vxoris Matrimonium quoad vinculum ita dissolui; vt liceat vtrique coniugum ad secundas nuptias transuolare; atque etiam Caiet. super Matth. 19. qui illam docuit dicens, saluasem per Ecclesiæ definitione, quæ hactenus (inquit) non apparet.

D. Bona. art. 1. quæst. 1.
Ric. art. 3. q. 2
Dur. q. 2.

Art. II. An vir teneatur reconciliare sibi vxorem adulteram?

CONCLVSIO.

Potest, non tamen tenetur. Patet ex B. Paulo dicente; maneat innupta, aut suo viro reconcilietur. Quod est intelligendum, dummodo cesset omnis scandali suspicio. Alioqui enim non poterit. Nam iudicaretur adulterij patronus.

Diffic. Tenebiturne coniunx repudiatus redire si innocens petat?

CONCLVSIO.

Tenetur profectò. Ratio est, quia innocens ius petendi debitum nunquam amittit. Atque ita tenebitur nocens debitum reddere, etiamsi votū continentiæ emiserit, si tamē fuerit votū simplex, quia per diuortiū cōceditur repudiato facultas ingrediēdi religionē, à qua professione facta extrahi nō potest.

S. Tho. q. vnica ar. 6. D. Bona. art. 1. q. 1.

Diffic. Facto diuortio, si innocens adulterium committat tenebiturne nocentem sibi reconciliare?

S. Thom.

S. Thom. in foro conſcientiæ dicit teneri, Canoniſtæ oppoſitum tenent in capit. ex literis.

CONCLVSIO.

In foro exteriori proculdubio tenebitur, ſi repudiatus hoc petat. Ita enim definitum eſt in Cap. ex literis. de diuortijs.

CONCLVSIO.

In foro conſcienriæ etiam ad hoc obligatur, quoniam ipſe tenetur quoque ſeruare fidem coniugij. Quamobrem ſi adulterium commiſerit; erit etiam in conſcientia recompenſationi locus. *Nota cõfeſſor.*

Difficultas. An vir occultè adulter vxorem adulteram repudiando peccet?

CONCLVSIO.

Peccat quidem, nam amiſit ius repudiandi, vt ex ſuperioribus conſtat, & confirmatur ex B. Paulo dicente; Qui dicit nõ mæchandum, mæcharis. *ad Rom. cap. 2*

Art. III. Quæ crimina Matrimonium contrahendum dirimunt?

CONCLVSIO.

Solum homicidium vnius coniugis ab altero coniuge machinatum, Matrimonium dirimit contrahendum, vt ſi dicat Titius Bertæ, occidamus meam vxorem, &c. & ſequatur homicidium ab vtroque machinatum, non poterit inter illos Matrimonium contrahi. Definita eſt in cap. laudabile, de cõuerſione infidelium. Vbi Celeſtinus III. Papa præcepit, ne Saraceni ad fidem conuerſi ducerent vxores Chriſtianas, quarum ſuggeſtione viros illorum occiderunt, quas ſi duxiſſent, vt ſepararentur, mandauit.

Hinc, ſi Saraceni tantum occidiſſent viros ſine vxorum conſilio, & machinatione, tale homicidium non eſſet impedimentum contrahendi cum vxoribus occiſorum. Solũ enim homicidium commune dirimit Matrimonium contrahendũ. APPEN.

CONCLVSIO.

Homicidium adulterio mixtum dirimit quoq; Matrimoniũ v. g. ſi Matthæus cognouiſſet Catherinam vxorem Bernardi, & ipſa ſciente, vel ignorante Matthæus poſtea occidiſſet Bernardum virum ſuum, vel propriã vxorem, inter illos nõ poſſet eſſe Matrimonium. Definita eſt in Cano. Si quis viuẽte 31. qõ. 1. & in cap. ſuper hoc. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluerat per adulterium. Differt autem hæc concluſio à prima, quod in prima ſolum homicidium commune ſine adulterio ſufficit, in ſecunda vero homicidium ex vna parte, adulterio commixtum ſine amborum conſenſu.

Dubium. Quid si homicidium sit commissum sine intentione contrahendi cum participante, vt in prima conclusione, vel cum participante in adulterio, vt in secunda conclusione?

Verbo Matrimonium 8.§.9

Ric. vbi supra

Caietan. verbo Matrimo. §.5.

Duæ sunt opiniones. Prima Syluest. dicentis homicidium commune, vel mixtum adulterio nunquam impedire Matrimonium contrahendum. Nisi à delinquentibus animo contrahendi committatur. Secunda & opposita est Ric. & Caiet.

CONCLVSIO.

In vtroque casu Matrimonium impeditur. Quamuis non adsit contrahendi intentio. Nam Canones citati de his sine distinctione loquuntur, & ita sine distinctione erunt interpretrandi vt ex cap. laudabile constat.

CONCLVSIO.

Quando interuenit adulterium cum fidei datione, vel cum Matrimonio de præsenti, deinceps Matrimonium consistere non potest. Definita est cap. 1. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium. V. g. Petrus coniugatus commisit adulterium cum Berta coniugata, vel soluta, aut è cõuerso, & contraxit cum illa sponsalia, dicens; mortua propria vxore ego ducam te, vel per verba de præsenti cum illa contraxit tunc mortua Petri vxore non poterit Bertam ducere.

Dubium. Quid si sola simplex promissio iuramento firmata, aut non firmata ex vna tantum parte interueniat?

Duplex est opinio, quidam, vt refert Ric. asserunt minime impediri, alij vero oppositum tenent.

CONCLVSIO.

Promissio ex vna parte sufficit, vt mortuo coniuge innocẽte, adulteri inter se contrahere nõ possint. Simplex enim promissio sponsalibus æquipollet.

Quid si vnus adulter alterum coniugatum esse ignoret?

CONCLVSIO.

Bene poterit Matrimonium contrahi. Definita est expressè cap. 1. & in cap. veniens, de eo qui duxit in Matrimonium &c. debet enim esse malitia exparte vtriusque scilicet, vt ambo intelligãt crimen commissum esse adulterium, & non simplicem fornicationem.

Dubium. An solum adulterium sine fidei datione, & sine homicidio impediat Matrimonium post mortem coniugis innocentis?

CON-

CONCLVSIO.

Non impedit Matrimonium contrahendum. expresè definita est per Innocentium III. in cap. significasti. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium. Nam Canones, qui in oppositum adducuntur non de puro adulterio, sed de adulterio cum morte coniugis, vel fidei datione mixto loquuntur.

Dubium. Sola fidei datio, vel Matrimonium viuente priori coniuge sine adulterio, aut homicidio impeditne Matrimonium?

CONCLVSIO.

Nequaquam impedit, dūmodo, nec ante, nec post fidei dationem adulterium sequatur. Definita est in cap. finali de eo, qui duxit in Matrimonium &c.

QVAESTIO DE ERRORE CONDITIONIS SERVILIS.

De hac qō. disputat Magister 36. distinctione & ibidem DD.

Art. I. Quando quis duxit ancillam, credens esse liberam, cognita seruitute erit validum Matrimonium? S. Bona. art. I. q. 2. S. Tho. qō. vnica ar I. Ricar. art. I. q. I. Dur. et Sco. q. I

CONCLVSIO.

SI coniunx liber cum serua ignoranter ignorantia inuincibili contrahat Matrimonium est nullum. Expresè ita definitur in cap. Deposuit; & in cap. ad nostram. De coniugio seruorum. Impedit namque seruitus debiti redditionem. Quia seruus potest à Domino impediri, ne debitum reddat, & prolem educare possit. Notanter dicitur; si ignoranter &c. Quia si vterque fuit seruus, erit validum Matrimonium. Error enim æqualis conditionis non vitiat contractum. Vt Ric. & Sco. docent. Idem est iudicium de errore melioris conditionis, qui non vitiat contractum vt si quis contrahat cum libera; existimas esse ancillam.

Dubium. Estne hoc impedimentum de iure naturæ, vt frigiditas, & arctitudo. An de iure Canonico tantum, vt consanguinitas?

Ricar. & Palu. de iure Canonico tantum, esse opinantur.

CONCLVSIO.

Matrimonium à libero cum ancilla ignoranter contractū ante Canonicam institutionem fuit iure naturæ irritum. Quia iure naturæ error circa essentialia cōtractus contractum irritat, quia est involūtarius. Et quādo liber ignorāter contrahit.

 cum

cum serua, errat circa essentialia contractus. neque enim potest seruus reddere debitum quoties petatur.

CONCLVSIO.

Si seruitute cognita coniunx liber carnaliter seruā cognouerit, Matrimonium erit validum. Definita est expressè in Cap. Proposuisti, & in Cap. Ad nostram. citatis.

APPEN. Hinc, si scienter libera cum seruo coniuge contraxerit: Matrimonium erit validum. Volenti enim, & consentienti non fit iniuria.

CONCLVSIO.

Si Dominus libertatem seruo concedat; vt cum libera cōtrahat, vel econuerso seruus liber manet, & Matrimonium tenet. Definita in quadam authentica. Quæ à Glossa in cap. Ad nostram, allegatio refertur. Tunc enim Matrimonium est inter liberos. Quia, vt dicit Panor. in dicto cap. si ancilla Domino sciente, & non contradicente contraxerit cum libero, illam manumittere videtur.

CONCLVSIO.

Si Titius contraxerit ignoranter cum Berta ancilla, & post aliquot dies Dominus Bertæ manumiserit illam. Non erit tūc verum Matrimonium. Propterea quod defuit consensus. Nam præteritus fuit nullus, & nouus non habetur.

ERROR. Hinc neque valebit etiamsi eam secreto manumissam carnaliter cognouerit. Quia primus consensus fuit nullus, & adhuc ignorantia perseuerat. Hæc est Glossæ Cano. si quis 29. q. 2. contra Palud. hac distinctione.

CONCLVSIO.

Si liber cum serua, vel econuerso contraxerit, & detecta seruitute voluerit Matrimonium per nouum consensum ratū habere, coniunx seruus tunc consentire minime tenetur. Ratio est, quia præteritum Matrimonium fuit nullum, & requiritur nouus consensus, quem seruus præstare non tenetur, cum cōtrahendi, vel non contrahendi potestatem habeat.

Dubium. Si vir ignoranter contrahens cum ancilla, tanto illam amore prosequitur, vt si tempore contractus seruitutem agnosceret, eam nihilominus duceret, cognita seruitute valebit?

Dist. 35. art. 1. Soto partem negantem tenet. Ric. hac distinctione oppositum asserit.

CONCLVSIO.

Tunc Matrimonium valeret, Ratio est, quia talis contractus non est nullus, eo quod ius Canonicum personas illegitimet, vt supra diximus. Sed quia interuenit error circa essentialia.

tialia quo impeditur consensus, & cum in casu posito, si seruitus esset nota, consensus non esset impeditus, nullus censetur fuisse error, atq; ita Matrimonium valebit.

Art. II. Possuntne duo serui, inuitis Dominis Matrimonium contrahere?

CONCLVSIO.

Possunt inuito Domino Matrimonium contrahere. Definita est en Can. omnibus 29.q.2. & in cap.1. de coniugio seruorum, nam circa redditionē debiti, cùm sit actio ex naturæ inclinatione fluens, nec pretio æstimabilis seruus sui iuris est.

CONCLVSIO.

Poterit tamen Dominus in locis semotissimis seruum vendere, ne debitum soluere valeat. Ratio est, quia per tale Matrimoniū ius Domini non est extenuatum, & ita, vt ante Matrimonium, sic post illud vendere poterit. Tenebitur tamen quoties potuerit petenti reddere: quando à Domino propter alia obsequia ratione seruitutis exhibēdà non impeditur. Hęc est Sco. contra Ric. & S. Tho. hac distinctione.

CONCLVSIO.

Si seruus cum ancilla Domino volēte contraxerit, non poterit tunc Dominus impedire, quo minus seruus cum vxore singulis noctibus dormiat. Quia concedendo seruo, vt vxorem ducat; visus est cedere iuri suo ad hoc, vt non possit petitionem debiti impedire. Quod si concesserit, vt cum libera contrahat, censetur illum manumittere, vt in principio huius quæstionis declaratum est. *Ricardi est*

Art. III. Poteſtne vir vxore inuita se in seruitutem redigere?

CONCLVSIO.

Nequaquam potest. Definita est in Concil. Triburiensi, & refertur in Can. Perlatum 39.q.2.

CONCLVSIO.

Alienatio in seruitutem nulla ratione in præiudicium vxoris valet, neq; debet fieri separatio quoad thorum, ita vt si eodem tempore vxor, & Dominus postularent obsequia potius teneatur vir Domino soluere obsequium: quia secunda obligatio non valet in præiudicium prioris. Quandoquidem vxor habet iam ius acquisitum super virum, neque inde serua efficitur. Vt ex Concilio citato constat. Nam etsi sint vna caro quoad copulam; non sunt tamen quoad alias actiones.

Dubium. Filius ex serua & libero natus, cuius parentis conditionem sequitur? *Ric. hac dist.*

CONCLVSIO.

Partus quoad seruitutem, matris, & non patris conditionem sequitur, vt natus ex patre seruo & matre libera, est liber, & ex patre libero & matre serua, est seruus. Definita est in cap. 1. de natis ex libero ventre.

CONCLVSIO.

Quoad homo, & immunitates, natus ex patre libero, sequitur patris conditionem. Experimento hæc pássim comprobatur. Ricar. affirmat in quibusdã prouincijs sequi parẽtis deterioris cõditionẽ, quantum ad immunitatem, & seruitutẽ.

S. Tho. eõ.

Art. IIII. An ante pubertatem legitimum Matrimonium contrahi possit?

CONCLVSIO.

Matrimoniũ ante duodecim annos in fœmina, & quatuordecim in viro est nullum. Definita est in cap. Attestationes, de desponsatione impuberum.

CONCLVSIO.

Tunc dicitur vir impleuisse annos pubertatis, quando attigit decimum tertium annum cum dimidio, & fœmina vndecimum cum dimidio, expleto tamen. Definita est in cap. continebatur. eodem titulo.

CONCLVSIO.

Quando ante pubertatem malitia, id est, concupiscentia supplet ætatem quoad coeundi potentiam & prudentiam, atq; discretionẽ, tũc Matrimoniũ, si fuerit consummatũ, erit validũ. Ita definitur in cap. de illis. El. 2. & in cap. finali. Eodẽ titulo.

Hinc si vir decem annorum consummauerit Matrimonium cum puella pubere, aut impubere, erit verum inter illos Matrimonium. Quia malitia supplet ætatem,

QVAESTIO DE IMPEDIMENTO ORDINIS.

Hæc quæstio à Magistro dist. 37. proponitur DD. ibi.

Art. I. An potuerit Ecclesia definire, vt in sacris constituti sint ad Matrimonium inhabiles, vel an perpetuus cœlibatus Sacerdotium Ecclesiæ expediat?

Syluest. verbo Matri. 5. §. 7. Cast. ver. sacerdotiũ. Hær. 4. Clitouaeus de continẽtia Sacerdotali. Sot. li. 7. de iust. et iur. qõ. 8. Ric. ar. 1. q. 1. Dur. q. 1. S. Bon. ar. 1. qõ. 3.

CONCLVSIO.

Svmmoperè Ecclesiæ Catholicæ expedit, vt eius ministri in sacris cõstituti perpetuũ obseruẽt cœlibatum; debent enim pro populo orare, & peccata populi lugere, & patres pauperũ esse, & præ cæteris honorari, quę õnia matrimoniali vsu interueniẽte, non possẽt, vt decet, exerceri. Cõstat 1. ad Cor. 7. & experientia rei familiaris demõstrat. Et tandẽ si essent cõiugati, vilesceret eorũ persona, & doctrina, nõ enim in maiori honore, & pretio, quam cæteri populares haberẽtur.

CON-

CONCLVSIO.

Hæreticum est affirmare licite posse Sacerdotes latinos vxores ducere. Quia definitionibus multorum vniuersalium Conciliorum aduersatur, in quibus Sacerdotum latinorum coniugia damnantur. Et illegitimi ad nuptias redduntur. Vt constat ex Concilio Niceno, & Arelatẽsi, vt refertur in Cano. Assumi,& Cano. Præterea. EtCano. Diaconus d.28.&est definita cap.1.& 2. qui clerici Matrimoniũ cõtrahere possint.

Diffic. Cælibatus Sacerdotũ incepitne à primitiua Ecclesia?

CONCLVSIO.

Apostolorum temporibus multi coniugati ad Sacerdotiũ, & Episcopatum assumebantur. Definita est in cano. si quis d.32. dicit enim B.Paul. Episcopus sit vnius vxoris vir.

CONCLVSIO.

Nunquam licuit, vt aliquis post receptum sacrum ordinẽ, Matrimonium contraheret. Hæc conclusio expresse habetur in Canone.27. Apostolorũ,& est definita in Cõcilio Neocæsariensi. Vbi dicitur. Si presbyter vxorem duxerit; ab ordine deponi debere statuimus. Lege can. Syracusana dist 28.

Diffic. Quo tempore cæpit Sacerdotalis continentia?

Duæ sunt opiniones extremæ. Prima est Clithouei, quæ sequenti conclusione continetur.

CONCLVSIO.

In primitiua Ecclesia coniugati, qui ad sacros ordines promouebãtur, Matrimonio cõtracto vtebãtur. Mortuis tamẽ vxoribus ad secũdas nuptias migrare nõ poterãt. Definita est in Can.6. Apostolorũ,& in Can. cum igitur 35.q.1. vbi habetur Catholica Ecclesia post instituta, quædã consilia perfectionis addidit, scilicet de cõtinẽtia ministrorũ, vnde sequitur in primitiua Ecclesia licuisse Sacerdotibus; vti Matrimonio antea cõtracto. Cõtraria opinio est Soti asserẽtis; quãdo cõiugat' ad sacros ordines assumebatur fieri diuortiũ inter ipsum, & vxorẽ quo ad habitationẽ,& thorũ. Non autẽ quo ad vinculum. *Vbi supra.*

Consuetndinem primitiuæ Ecclesiæ Græci modo retinent.

Diffic. In sacris ordinibus cõstitutus estne inhabilis ad Mat.

CONCLVSIO.

Est quidem inhabilis. Definita est in cap.1. & 2. Qui Clerici, vel vouentes Matrimonium centrahere possint, atque etiam in multis textibus. d.28.& 31.

CONCLVSIO.

Qui in aliquo sacrorũ ordinũ constitutus contraheret, ipso facto esset excõmunicatus, & Matrimoniũ esset nullum. Definita est in Clemẽtina vnica. De cõsanguinitate & affinitate.

Diffic. Quo iure tale Matrimonium esset nullum?

Tres

Tres sunt opiniones. Prima opinio est D. Tho. & Ric. hac dist. scilicet, apud Græcos Matrimonium fuisse nullum ratione ordinis, & voti solemnis continentiæ. Secunda est D. Bon. Dur. & Sco. asserentium esse nullum, solum propter Ecclesiæ institutionem, quæ illos illegitimat sicut intra quartum gradum consanguinitatis contrahentes inhabilitat. Tertia opinio Maioris tenet iure diuino esse nullum.

Art. 1. q. 1.

CONCLVSIO.

Non sunt inhabiles ratione voti. Ratio Sco. est, quia si quis tempore receptionis sacrorum ordinum non haberet intentionem promittendi continentiam, & Matrimonium contraheret, esset nullum Matrimonium non ratione voti, quia nullum emisit votum.

CONCLVSIO.

Neque erit nullum iure diuino. Ratio est, quia frequenter Roman. Pont. cum Subdiaconis dispensat. Quæ quidẽ dispensatio esset nulla, si quis iure diuino contrahere prohibetur.

CONCLVSIO.

Solum est nullum propter Ecclesiæ institutionem. Nam si non iure naturæ, nec diuino, nec ratione voti; erit profecto ex institutione Ecclesiæ dumtaxat nullum.

Diffic. An sicut Matrimonium nullum, & impeditur per sacros ordines, ita econuerso Sacer ordo per Matrimonium impediatur?

CONCLVSIO.

Coniugatus sacros ordines recipiẽdo peccat, nihilominus tamen characterem recipit. Definita est in cap. coniugatus de conuersione coniugatorum vbi dicitur coniugatum posse ad sacros ordines promoueri, continentiam profitente vxore.

Art. 11. De impedimento criminis, quod impedit Matrimonium, non tamen dirimit contractum?

Sunt autem sequentia. Primum, interdictum Ecclesiasticũ vt si Curatus, & Episcopus rationabilem ob causam prohiberent ne fierent sponsalia, quin seruaretur certa solemnitas, de qua re est titulus in decretalibus de matrimonio contra interdictum Ecclesiæ: Quod quidam impedimentum olim non dirimebat Matrimonium, nunc autem post Concil. Trid. sunt nulla & irrita; si non seruetur forma in concilio præscripta. Et ita erit hoc impedimentum inter impedimenta dirimentia connumerandum.

Secundum, est simplex votum continentiæ, de quo distinctione proxima.

Tertium, sponsalitium, & impedit secundum iustitiam Matrimonium cum alia. Quia fit iniuria priori sponsæ frangendo illi fidem.

Quartum est, Catechismus, vt qui tenet aliquam ad Catechismum ante Baptismum, prohibetur cum illa contrahere.

Quintum, incestus cum cõsanguineis vxoris, nã vxore mortua priuantur facultate amplius cum alia contrahendi.

Sextum, vxoricidium.

Septimum, raptus alienæ sponsæ.

Octauum, Eleuatio proprij filij de fonte Baptismi, de quo supra.

Nonum, Præsbytericidium.

Decimum, solemnis pœnitentia,

Vndecimum, coniugiũ scienter cum moniali contractum.

Inter hæc impedimenta primo omisso, duo sequentia, votum, scilicet, & desponsatio trãsgressores ad mortale obligãt. Reliqua vero citra contemptum minime, & fortassis iam nõ sunt in vsu. Vt Caiet. in summa existimat, verbo Matrimonium cap. 1.

Diffic. Potestne in aliquo casu vir sine peccato intersmere vxorem adulteram?

CONCLVSIO.

Vir authoritate propria vxorem adulteram etiam in adulterio deprehensam interficiens mortaliter peccat. Nemini enim licet authoritate propria vindictam sumere, vt author est D. Paul. docens; potestatem superiorem legitimum, scilicet, prælatum, siue iudicem esse Dei ministrum, & vindicem in irã ei, qui male agit. *Ad Rom. 13.*

CONCLVSIO.

Interim ens vxorem in adulterio deprehẽsam in foro exteriori, tanquam homicida non punitur, secus vero, si extra adulterium, etiamsi ipsa sit adulterij rea. Constat per legem Gracchus. Cod. ad legem Iuliam. de adulteriis. Nihilominus mortaliter peccat. Quia lex ciuilis solum ignoscit Marito occidenti vxorem in adulterio deprehensam, & non concedit facultatem interficiendi authoritate propria. Quoniam est cõtra legem naturæ.

CONCLVSIO.

Non tamen peccabit, si Iudicis authoritate illam occidat. Est enim tunc Iustitiæ minister, sicut carnifex, qui occidens latronem

Cap.2. Cap.22. latronem Iudicis authoritate non peccat. Sunt enim huiusmodi leges, quemadmodum & leges, quæ in Leuitico, & in Deut. habentur, quibus adultera lapidari præcipiebatur. Vnde possent modo habere vim, si illas lex ciuilis restauraret. Alia est opinio tenens; virum sic vxorem occidentē peccare. Sco est. dist. 15. quæst. 3.

Art. An votum Matrimonium impediat?

Hoc ar. d. 38 Mag. explicatur, in qua differit de voto cuius disputationem in secunda parte huius operis inuenies explicabitur autem Articulus quantum ad ea, quæ ad præsens negocium faciunt, propositis aliquot difficultatibus.

Diffic. An votum simplex continentiæ, Matrimonium præcedens impediat, & dirimat Matrimonium contrahendum?

D.Bo.ar.1.q1 Solum dissident authores in explicanda causa, ob quam votum solemne dirimat Matrimonium contractum, & nō simplex votum.

S.Thom.2.2.q 87.ar.7.Alex Alen.2.par.q 166.Ricar.ar. 7.qō.1. & 2. Communis ferè doctorum sententia D.Bona.Thom.Dur. & aliorum tenet, hanc esse causam. Quia per votum simplex solum promittit homo Deo sui corporis continentiam. At vero per solemne votum, & promittit, & seipsum perpetuo obsequio Dei tanquam mancipium tradit, vnde permutando corpus cum vxore, non valebit permutatio.

APPEN. Ex hac opinione sequitur, Rom. Pont. nō posse dispensare, vt religiosus sit ad Matrimoniū habilis. Quia quæ semel Deo dicata sunt, ad humanos vsus transferri non possunt.

2.2.quæst.88. artic.7. Opinio Sco. de præsenti, cui adhæsit Caiet. & Paluda. defendit solam Ecclesiæ institutionē esse causam. Quia Ecclesia illegitimauit solemniter vouentes quominus contrahere possent. Quia solemniter vouentes alieni iuris, nempe Ecclesiæ efficiuntur, at verò vouentes simpliciter sunt sui iuris, & ita ad contrahendum non censentur inhabiles.

APPEN. Hinc de sententia Scot. poterit Papa dispensare in voto solemni ad contrahendum, cum inhabilitas ex sola Ecclesiæ institutione oriatur.

CONCLVSIO.

Qui post votum simplex continentiæ, vel religionis, siue ordinis sacri Matrimonium, vel sponsalia contrahit; Mortaliter peccat. Definira est in cap. Si nupserit virgo, dist. 27. & in cap. Rursus, qui Clerici, vel vouentes. Nam vouentibus virginitatem, vt author est B. Hieronymus apud Magistrū non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.

Dubium

Dubium. Quid si non contrahat animo consummandi Matrimonium?

Duæ sunt opiniones. Prima. D.Tho. & Ric. quos sequitur Syluest. & Soto, & alij Thomistæ, qui tenent mortaliter peccare, etiamsi non animo consummandi Matrimoniũ, sed intrandi religionem contrahatur. Contraria opinio est Scoti, quem sequuntur Angelus, & alij. *Syluester verbo Matrimo. 7. reliqui hæc dixi.*

CONCLVSIO.

Si non animo consummãdi Matrimonium cõtrahat, mortaliter non peccat, & confirmatur multis rationibus. Prima, qui sine voto continentiæ, vel cum illo sine consummatione copulæ, religionem ingreditur, non peccat, ergo neque qui hoc modo contrahit, peccabit. Nam quando actus non est peccatum, neque volitio actus peccatum erit. Secunda, quia non irrogatur, iniuria alteri coniugi cum possit ad secundas nuptias transire. Tertia, quia iura hoc prohibentia loquuntur de Matrimonioi ntentione consummandi contracto. Tũc enim. votum violatur, scilicet per consummationem, & non aliter Quarta, quia votum non per Matrimonium, sed per consummationem violatur. Vt constat exemplo immaculatæ Virginis Mariæ, & Beatissimi Ioseph, qui Matrimonium contrahendo contra votum minime egerunt. Quinta, quia qui iurauit sponsalia, & postea vouit religionem, tenetur ratione iuramenti animo ingrediendi religionem contrahere, vt non sit voti, & iuramanti reus, ergo similiter potuit habere hanc intentionem, etiamsi non habeat contrahendi obligationem.

Dubium. Tenebiturne ante consummationem sub reatu peccati mortalis ingredi religionem?

CONCLVSIO.

Post votum simplex continentiæ, religionis, aut ordinis sacri tenetur Matrimonium contrahens ante consummationem religionem ingredi alioqui mortaliter peccabit. Quia aliter non potest mortale peccatum vitare, quam religionem intrando. Homo enim vt fugiat mortale peccatum mortem subire, quando aliter peccatum impediri non potest tenetur. Hæc est Sylue. contra Soto, qui de solo voto religionis, & non de aliis hoc concedit. *Vbi supra §. 5 q. 1. art. 1.*

LIMITATIO.

Limitanda est Conclusio, nisi vterq. voueat continentiã vel

vir sacros recipiat consensu vxoris, & ipsa con tinentiam voueat. Tunc enim qui habet votum continentiæ, siue ordinis sacri non tenebitur ingredi religionem.

CONCLVSIO.

Matrimonium contractum ab eo, qui votum simplex cōtinentiæ, religionis, vel ordinis sacri emisit, est verum & validum. Definita est in cap. meminimus. Et cap. rursus qui Clerici, vel vouentes.

Diffic. Simpliciter vouentes possuntne reddere debitum?

Et est Host. Cardin. super cap. rursus. Glos. in cap. finali. 27. q. 1. duas citat opiniones, quarum prima tenet. prima vice peccare mor. deinde vero nunquam neque mortaliter, neque venialiter, petendo, siue reddendo peccare. Hæc tamen opinio non tenetur. Cōtraria opinio est Glossæ, & communis.

CONCLVSIO.

Habens votum simplex continentiæ, debitum petere non potest, reddere tamen tenetur. Definita est in cap. quidem & cap. placet de conuersione coniugatorum.

Dubium. Quid si vterq. habeat votum continentiæ?

CONCLVSIO.

Vterque peccabit petendo ab alio, reddendo autem, neuter. Probata fuit supra in quæst. de redditione debiti.

Dubium. Quid si vir habeat votum continentiæ, & vxor debitum potere non audeat, poterit intelligens vxoris animum exigere debitum, potius soluendi, quam petendi intentione?

Respondeo, varia huic rei adhiberi possunt remedia. Primum petat vir dispensationem à Papa, si est facilis aditus ad illum, sin minus ab Episcopo Diœcesano, vt Summistæ affirmant. Secundum non est necessarium, vt vxor expresse debitum petat satis, inquam, est insinuatio per nutus. Tūc enim vir, qui hoc nouit reddere tenebitur, quod est intelligendum, quando alter coniugum habet simplex continentiæ votum. Nam si habeat religionis, aut sacri ordinis votū, petendo debitū nullatenus peccat, propterea quod, vt non tenetur per tale votum ad paupertatem, & ad obedientiam, ita neque ad continentiam. Sed de his in quæst. de voto latius.

Soto de iust. & iure lib. 7. q. 2. artic. 3.

Dubium. Votum solemne continentiæ impedit ne, & dirimit Matrimonium?

CONCLVSIO.

Tale votum tam religionis, quam ordinis sacri matrimonium dirimit. De fide est, & definita in cap. vnico. de voto in 6.

Difficultas. Poteſtne Papa diſpenſare vt habens votum ſolemne monachalis continentiæ Matrimonium contrahat?

De hac difficultate latius in qō. de voto. Duæ autem ſunt opiniones: Prima, Alex. Alen. in 3. p. in materia de voto, & B. Tho. 22. q. 88. ar. 11. & D. Bona. & aliorum, qui negant. Ric. autem Scotus, & Dur. & alij affirmant. *Ric. ar. 9. Dur. & Scot. q. 2. lege Sylu. verbo votum. 4. qō. 5.*

CONCLVSIO.

Quando Eccleſiæ vtilitati maximè conueniret, vt religioſus aliquis Matrimonium contraheret, Rom. Pont. tunc cum eo diſpenſare poſſet. Conſtat exemplo Cæleſtini III. Qui diſpenſauit cum Conſtantia ſanctimoniali Regis Rogerij filia, vt cum Imperatore Henrico VI. contraheret. Exemplo alterius Pont. qui (vt refert Palud.) diſpenſauit cum quodā monacho filio Regis Aragoniæ Ramyro nomine. Propterea quod bonum particulare bono totius Eccleſiæ præferre eſſet cōtra charitatem. Nam ſi toti Eccleſiæ cōueniret, quæ Deo dicata ſunt, ad humanos vſus transferre liceret.

Dubium. Poteritne fieri diſpenſatio propter bonum peculiare vouentis?

Rica. & Dur. partem affirmantem tenent. Alij verò negātem defendunt.

CONCLVSIO.

Nequaquam Rom. Pont. poterit diſpenſare, Propterea quod nulla neceſsitas, ſiue vrgens cauſa apparet, ob quam neceſſariè ſit à Rom. Pont. tunc in voto ſolemni diſpenſandum. Exempla enim, quæ hactenus propoſita fuerūt, ad bonum totius Eccleſiæ pertinebant.

Art. III. An vtroq; coniuge viuente, poſſit alter ad ſecundas nuptias tranſire?

De hac re diſputat Magiſter hoc loco, & ſupra diſſeruimus & tractatur hic articulus ab Adria. in materia de Matrimonio in 4. in q. de ſecundis nuptijs, & abſoluetur articulus aliquot dubijs propoſitis.

Dubium. Quanta requiritur certitudo de morte viri abſentis, vt vxor ſine peccato ad ſecundas nuptias tranſire poſſit?

CONCLVSIO.

Si vxor non fuerit per certum nuntium, aut per certam aliā probationem de morte viri conſcia; ad ſecundas nuptias trāſire haud poterit. Definita eſt expreſsè in capite in præſentia de ſponſalibus, & in cap. Dominus. De ſecundis nuptijs.

APPEN. Hinc, si adsunt testes deponentes virum fuisse bellum ingressum, & illo finito nunquam apparuisse, poterit tunc Matrimonium contrahere.

Dubium. Quid si hac certitudine habita, & Matrimonio contracto vir redeat?

Reddenda est illi, quia primum Matrimonium non fuit solutum. Definita est in Cano. Per bellicam, & Can. Si virgo 34. quæstione 2.

Dubium. Quid si vir mortuus est, tamen mala fide cum secundo contraxit fingens se habere probationem de eius morte, valebitne Matrimonium?

CONCLVSIO.

Si vxor nullam habebat mortis viri probabilitatem, ita vt crederet Matrimonium non habere vim, tunc non fuit validum Matrimonium. Ratio est, quia non habuit consensum qui ad essentiam Matrimonij pertinet.

CONCLVSIO.

Si dubia erat, & consensum habuit: Matrimonium fuit validum, sed contrahendo peccauit. Definita est in cap. Dominus. citato. peccauit autem, quia contra conscientiam egit.

Dubium. Valente tunc Matrimonio, poteritne petere, & reddere debitum?

CONCLVSIO.

Si vir & vxor tempore cõtractus dubij fuerunt, neuter exigere, aut reddere debitum poterit. Ratio est, quia petendo, & reddendo agerent contra conscientiam.

CONCLVSIO.

Si vxor tantùm fuit dubia, tenebitur viro debitum reddere, exigere tamen non poterit. Definita est in dicto cap. Dominus. Ratio est, quia vir habet bonam fidem, & est in possessione, vxor autem ageret contra conscientiam. Adrianus affirmat vxore tantum dubia, neutrum posse debitum exigere. Cæterum melior conditio est posfidentis quando bona fide est ingressus possessionem, vt in Concl. posita.

qo. 4 de præscriptione.

Dubium. Quid si bona fide contraxit, & postea dubitet, sitne vxor sua, an non?

CONCLVSIO.

Si ante dubitationem debitum exigere potest. Ratio est, quia bona fide contraxit, & est in possessione, & posfidentis conditio melior est. Non enim magis certus est esse suam, quàm non suam.

Magister cautè legendus. Est autem Magister cautè legendus hoc loco qui asseruit coniugem consciam vitæ prioris viri compulsam ab Ecclesia vt cum

vt cum secundo viuat, posse tũc reddere debitum, non tamen exigere. Quod est falsum, nam tunc fornicatur reddendo, & potius tenetur mortem subire, quam debitum reddere. Neq; excusatur per Ecclesiæ sententiam, quæ tunc secundum allegata, & probata iudicat.

Dubium. Vxor stante dubitatione poterit debitum exigere?

Soto respondit posse, quia est in possessione, sicut vir. Nihilominus si ipsa tempore contractus erat dubia, semper est in mala fide, quantum ad petitionem debiti, atque ita dubitatione durante petere non poterit. Si vero tempore cõtractus habuit bonam fidem; tunc vera est Soti opinio.

QVÆS. DE IMPEDIMENTO, QVOD CVLTVS DISPARITAS NOMINATVR.

Alexan. Alẽ. in 3. p. qõ. 48. m. 3. D. Bona. art. 2. q. 1. Sco. q. 1. & Thom. q. vnica artic. 1. & sequentibus Duran. qõ. 1.

Hæc quõ. dist. Magistri 39. declaratur.

Art. 1. An infidelis sit ad contrahendum cum fideli inhabilis?

CONCLVSIO.

Fidelis baptizatus ad contrahendum cum infideli iure tãtum Ecclesiastico est inhabilis. Communis est Theologorum, & iuris vtriusque peritorum sententia. Non enim iure naturali est inhabilis quia Ioseph Patriarcha fidelis contraxit cum Egyptiaca infideli, tempore quo lex naturalis vigebat neq; iure Diuino, quia Moyses contraxit cum Aethiopissa & in Euangelio nullibi tale præceptum legitur. Locus enim B. Paul. vbi dicitur; nolite ducere iugum cum infidelibus, non est præceptum diuinum, sed consilium Euangelicũ. Quare erit inhabilis iure tantum Ecclesiastico. Nam Ecclesia à temporibus Apostolorum hanc consuetudinem seruat. Infidelis namque cum non sit baptizatus, non est sacramenti Matrimonij capax.

Gen. 41. num. 2.

Dubium. Eritne saltem sacramentum ex parte fidelis?

CONCLVSIO.

Nequaquam erit. Ratio est, quia consensus, & verba infidelis cum non sit baptizatus, non possunt esse materia, & forma respectu consensus fidelis, atq; ita deficiente materia, & forma, non poterit esse sacramentum.

Dubium. Valebuntne saltem sponsalia sub conditione, vtpote si coniunx infidelis ad fidem reuertatur?

DD. vbi supra.

CONCLVSIO.

Sponsalia sub hac conditione sunt illegitima. Constat ex

 lege

lege oratio, ff. de sponsalibus. Vbi expresse definitur inhabiles ad Matrimonium, esse etiam ad sponsalia ineptos. Cæterum titulo promissionis, & iustitiæ iure naturæ fidelis, si conditione posita non adimpleret promissum, præsertim iuramento firmatum, peccaret.

oppositum tenet Soto.

CONCLVSIO.

Fidelis cum hæretico contrahens, peccat cõtrahendo, Matrimonium tamen tenet. Nam cum malum prolis, & coniugis Catholici peruersio timeatur, dubium non est quin peccet, & cum vterque sit baptizatus, & nullus istorum sit ad contrahẽdum cum alio per Ecclesiam prohibitus, valebit Matrimonium, Nam Concilium Calcedon. non irritat Matrimonium, sed prohibet tantum.

CONCLVSIO.

In lege veteri non erat Iudæis fidelibus prohibitum cũ infidelibus contrahere, nisi cum Cananeis, & alijs terræ promissionis infidelibus dumtaxat, vt constat multis Sacræ Scripturæ exemplis. Esther enim Assuero, qui erat gentilis, nupsit.

Est. cap. 2.

Art. 11. An coniunx fidelis possit simul cum coniuge infideli habitare?

CONCLVSIO.

Iuxta legem coniugij coniunx ad fidem conuersus non tenetur cum infideli habitare, quãuis sine iniuria creatoris possit, neque olim in primitiua Ecclesia tenebatur. Imo statim quoad habitationem dissoluebatur, licet non quoad vinculũ, nisi post aliquod tempus. Hæc est de fide, & habetur apud D. Paul. dicentem, dico ego, & non Dominus, si quis frater habet vxorem infidelem, & hęc consentit habitare cum illo, nõ dimittat illam. Quare cum hoc sit D. Paul. consilium, ideo enim ait; dico ego, & non Dominus, non tenebitur coniunx fidelis habitare cum infideli sub reatu peccati mortalis. Hoc enim distat consilium à præcepto; quod præceptum obligat ad mortale transgressorem. Vltima pars conclusionis statim patebit.

1. Cor. 7.

CONCLVSIO.

Ex lege charitatis tenetur conuersus coniunx cum infideli habitare, si habet certissimam spem conuertendi illum. Ratio est, quia præcepto dilectionis, & correctionis tenetur quantum in se est, fratrem suum lucrari.

Matth. 18.

Dubium. In hac Ecclesia poteritne conuersus cum infideli coniuge, sine iniuria tamen creatoris habitare?

CONCLVSIO. Quamuis

Quamuis Eccleſia, quæ modo eſt, conuerſum ex Iudæis cũ infideli coniuge habitare non patiatur. Vt Conc. Tolet. 4. conſtat. Et refertur Can. Iudæi 28. q. 1. nihilominus tamen, ſi conuerſio infidelis expectaretur, vel vt apud Indos, ſcandalum timeretur, quia terrerentur à fide, eo quod poſt conuerſionem alterius coniugis ſtatim diuortium fieret, poſſent tunc cohabitare, dummodo creatoris contumelia non timeretur. Ratio eſt, quia conſilium Apoſtolicum non eſt aliquo modo reuocatum. Nam intelligitur quando periculum ſubuerſionis proximi, vel creatoris iniuria non imminebat. Vt in caſu huius concluſionis. Hoc aut fieri deberet præcedenti Archiepiſcopi facultate, & examinatione.

CONCLVSIO.

Qui nunc inter infideles apud Turcas conuerteretur, ſtatim ad Eccleſiam catholicam migrare tenetur. Soto defendit poſſe latenter cum vxore manere, & non teneri ad ſeipſum prodendum. Concluſio tamen conſtat ex B. Pau. dicente; corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Deinde ſi ille ceræmonias infidelium exercet, eſt in ſtatu damnationis. Quia tenetur exterius Chriſtum confiteri, & infidelitatem abnegare, ſi autem non exercet illas compelletur per miniſtros Iuſtitiæ. Tuncque potius eſſet illi mors ſubeunda, quam infidelium ceremonijs vacandum, atque ita, aut recedere, aut ſe prodere teneretur. art. 3. huius d. Ad Rom. c. 10.

Dubium. Si infideles conuertantur, ſintque conſanguinei in gradu prohibito, poterúntne tunc ſimul cohabitare?

CONCLVSIO.

Si ille conſanguinitatis gradus eſt lege tantum Canonica prohibitus, Matrimonium non diſſoluit. Ita definitur in cap. Gaudemus, de diuortijs. Nam ad leges Eccleſiaſticas ante Baptiſmum non tenebantur. De his enim. quæ foris ſunt, nihil ad nos. Diſſoluetur autem Matrimonium, ſi gradus lege naturæ prohibeatur, vt inter aſcendentes, & deſcendentes, fratreſque & ſorores. De gradibus vero iure diuino prohibitis inferius agetur.

Dubium. Si infidelis habeat plures vxores, & omnes conuertantur, velintque cum eo habitare, quam illarum tenebitur retinere?

CONCLVSIO.

Sola prior erit vxor, quamuis ante Baptiſmum fuerit repudiata, ita Definitum eſt in cap. Gaudemus. Et Ratio eſt, quia lege naturæ Polygamia prohibetur, & ſecundum illam legem, repudium non diſſoluit Matrimonium.

Dub. Altero coniugum ad fidem conuerso, & apud Christianos viuente, apud quem debent filij nondum ratione vtentes manere?

CONCLVSIO.

Apud conuersum, licet si vxor. Definita est in Can. de Iudæis 45. dist. & cap. de conuersione infidelium, si autem filius ratione vtatur, erit iudicio suo relinquendus, & intelligetur non vti ratione, si proposita fide, in neutram partem inclinetur.

Diffic. Per conuersionem alterius coniugis ad fidem, etiam quoad vinculum dissoluitur Matrimonium, ita vt liceat vtrique in sua religione ad secundas nuptias transire?

CONCLVSIO.

Si infidelis voluerit cum fideli coniuge habitare sine iniuria tamen creatoris, tunc quamuis simul non habitent, non statim Matrimonium quoad vinculum dissoluetur. Ratio est, quia si (vt supra diximus) habitare possunt nõ statim dissoluitur Matrimonium, alioqui enim manere non possent, quia fornicarij essent.

CONCLVSIO.

Si infidelis omnino renuat cum fideli habitare, vel nolit sine iniuria creatoris, quia blasphemat Christum, vel conatur fidelem subuertere, vel odio in Ecclesiam Christianorũ maledicta ingerat, tunc Matrimonium inter illos dissoluetur, & vterque ad secundas nuptias migrare poterit. Expresse est definita in cap. Gaudemus, & in cap. Quanto. de diuortijs, & ita intelligetur. D. Paulo Quando ait si infidelis discedit, discedat &c.

APPEN. Caie. cauẽdus. Hinc caute legendus erit Caie. in comment. super Paulum in hunc locum affirmans. his verbis D. Pauli non infirmari coniugij solutionem. Quod est falsum, nam Scriptura Sacra non aliter est intelligenda, quam Ecclesia Rom. illam interpretatur, & hunc locum Ecclesia de separatione, quoad vinculum (vt ex cap. Quanto constat) declarat.

APPEN. Hinc colligitur, Matrimonij solutionem non authoritate Ecclesiæ, sed Christi Iesu, qui per os Pauli loquebatur, fieri. Non enim Ecclesia legitimum infidelium Matrimonium dissoluere posset, nisi Christus Dominus soluisset.

Dubium. Dissolueturne quam primum infidelis admonitus non vult conuerti, vel non vult habitare sine creatoris iniuria.

Art. 2. quæst. 3. (Sil. 2. q. 2.)

Opinio

Opinio Ric. est statim quoad vinculum dissolui, quādo infidelis cū infideli habitare renuit. Hæc opinio tribuitur Scoto, sed falso quia Sco. de hac re non disseruit. Opinio S. Tho. in sol. ad primum, & Palud. & Dur. est, non dissolui donec fidelis secundas nuptias contrahat. *Sco. lierbatur*

CONCLVSIO.

Non dissoluitur tunc Matrimonium quoad vinculum, nisi cumprimum fidelis ad secundas nuptias migrauerit. Definita est expressè in cap. Gaudemus.

Hinc, si infidelis antequam conuerteretur, contraheret, si postea contingat simul cum secunda vxore conuerti, erit priori vxori conuersæ tradendus, si illa nondum contraxerat. Quia primum Matrimonium non erat solutum. Hæc appendix aperte colligitur ex cap. citato. *APPEN.*

Dubium. Poteritne infidelis in sua secta aliam ducere, si fidelis ad secundas nuptias transierit?

CONCLVSIO.

Poterit quidem. propterea quod Matrimonium fuit iam solutum quoad vinculum, peccabit tamen mortaliter. quia tenebatur sequi fidelem, ne Matrimonium dissolueretur. *Ricar. est. ar. 2 quæst. 3.*

Dubium. Matrimonium infidelium per votum selemne religionis à coniuge primo conuerso emissum, dissolueturne?

CONCLVSIO.

Matrimonium in infidelitate confirmatum per tale votum dissoluitur, quia in hac parte idem censendū est de Matrimonio consummato infidelium, & de rato fidelium. *S. Th. hac. dist.*

CONCLVSIO.

Non tamen dissoluetur quoad vinculum, per sacri ordinis acceptionem. Ita definitū est in extrauaganti. Concertatione.

Diffic. An post lapsum alterius coniugis in hæresim, vel aliam apostasiam Matrimonium, quoad thorum, aut vinculum dissoluatur?

CONCLVSIO.

In tali casu Matrimoniū quoad vinculum nullo modo dissoluitur. Definita est in cap. Quanto de diuortijs. Et ratio est; quia vterque coniunx est baptizatus. *Iuris peritus. e citato & Theologi hac dist. et Soto d. 39. qō. vnica artic. 4o.*

CONCLVSIO.

Quando vnus coniugum post condemnationem hæresis Ecclesiæ reconciliatur facta separatione Iudicio Ecclesiæ, tūc coniunx innocēs ad religionem monachalem transire potest, vel cum reconciliato habitare tenetur. Definita est expreisè

in cap. finali. De conuersione coniugatorum & cap. de illa de diuortijs. Notanter dicitur (ad religionem monachalem) quia per ingressum religionis militaris Matrimonium, nec quoad vinculum, nec quoad thorum dissoluitur. Votum enim continentiæ ibi emissum non est de essentia religionis militaris, quemadmodum, est de essentia religionis monachalis.

Dubium. An vir innocens quando vxor fuerit hæretica & reconciliata, possit sacros ordines recipere. sicut potest monachalem intrare religionem?

Soto partem affirmantem tenet.

CONCLVSIO.

Nequaquam potest sacros ordines recipere. Ratio est, quia in dicto cap. finali solum conceditur ingressus ad monachalem religionem. Tum etiam, quia si non potest ingredi religionem militarem, propterea quod votum solemne continentiæ non est de illius essentia; ita neque est de essentia sacri ordinis.

Diffic. Per quodcunque aliud peccatum, præter hæresim, dissoluitur Matrimonium quoad thorum?

Nota primum, crimina coniugum, præter adulterium, in tria genera diuidi. Primi generis sunt, quæ nullo modo alteri coniugi nocent, vt si sit vnus fur, blasphemus, &c. ad 2. genus pertinent, quæ in detrimentum corporale coniugis innocentis sunt. Vt si vir sit crudelis in vxorem, aut vxor venefica, vel perdit Mariti substantiam, vel liberos interficit, quæ crimina, C. de repudijs recensentur. Tertij generis est vnum tantum crimen, scilicet, quando vnus coniunx conatur alium inducere in quoduis peccati genus, vt in homicidium, furtum &c.

CONCLVSIO.

Quando vnus coniugum est adulter, aut hæreticus, aut laborat criminibus secundi, vel tertij generis innocens tunc per iudicis sententiam ab illo quoad thorum separari potest. Definita est in cap. quæsiuit. de diuortijs & in cap. literas. De restitutione spoliatorum.

DD. dist. 39. D Bon. art. 1. q. 1.

Art. Vlt. An Matrimonium inter infideles sit verum, & legitimum?

CONCLVSIO.

Matrimonium inter infideles ita legitimum est, vt per solam conuersionem alterius cõiugis ad fidem dissolui non possit. Hæc est de fide, & habetur apud D. Paulum dicentẽ si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cũ illo, non dimittat illam, & est definit. in cap. Gaudemus & cap.

1. Cor. 7.

& cap. Quanto. De diuortijs. Quod enim eſt legis naturæ eſt omnibus licitum, & Matrimonium ex inclinatione, & iure naturali eſt.

CONCLVSIO.

Matrimonium Infidelium eſt legis naturæ ſacramentum, eſt enim ſignum vnionis inter Chriſtum, & Eccleſiam. Ita definitum eſt in cap. Gaudemus citato.

CONCLVSIO.

Non eſt autem nouæ legis ſacramentũ. Ratio eſt, quia cùm Infideles careant Baptiſmo, qui eſt ianua omniũ ſacrametorum non poſſunt eſſe Matrimonij, quatenus eſt nouæ legis ſacramentum; participes.

CONCLVSIO.

Matrimonium infidelium tria bona ſacramenti, ſcilicet, prolis, & fidei habet. De bono ſacramenti conſtat. De bono autem prolis, eſt etiam manifeſtum. Quia tale bonum eſt tantum obligatio ad procreãdam, & religiosè educandã prolem: quæ quidem obligatio eſt compoſsibilis cum actu, & propoſito faciendi oppoſitum. Et talem obligationem habent quoq; infideles coniugati, & tandem de bono fidei eſt quoq, perſpicuum; quia tenentur debitum ſoluere, & ab alieno concubitu cauere.

Diffic. Peccantne infideles in vſu Matrimoniali?

Solus Ricardus de hac re diſſerit, de cæteris autem infidelium actibus diſputant DD. *DD. d. q. 1. Ricar. art. 1. q. 3.*

CONCLVSIO.

Infidelis ad coniugem accedens cum intentione generandi prolem, & ſoluendi debitum, dummodo de illius educatione in cultu infidelitatis non cogitet; nullo modo peccat. Ratio eſt, quia cùm talis debiti ſolutio ſit opus moraliter bonum, (nam eſt actus iuſtitiæ) non erit peccatum.

QVÆSTIO DE IMPEDIMENTO CONSANGVINITATIS.

De hac quæſtione verba facit Magiſter 49. diſt.

Art. 1. Quidnam eſt conſanguinitas? Quid linea?

PROPOSITIO.

Conſanguinitas eſt aliquarum perſonarum vinculum, ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione cõtractum. Nam conſanguinitas idem eſt, quod communicatio in ſanguine, id eſt, habere eundem ſanguinem communem inter ſe, vt ſunt illi, qui ab eodem ſtipite, id eſt, patre generantur, vel immediatè vt fratres, vel mediatè vt nepotes eiuſdem aui &c. generantur, quæ quidem communicatio in

sanguine, est causa vinculi amicitiæ inter consanguineos.

PROPOSITIO.

Linea est congregatio, & collectio personarũ consanguinitate coniunctarum ab eodem stipite descendentium diuersos continens gradus, id est, ordo ille, qui est inter cõsanguineos, vt vnus sit pater, alter filius, tertius nepos &c. linea nominatur.

PROPOSITIO.

Linea aut est recta, vt quæ est inter ascendentes, & descendentes, vt inter patrem, filium, nepotem &c aut collateralis vt inter transuersales, fratrem, scilicet, & sororem, &c.

PROPOSITIO.

Collateralis linea, vel est æqualis, quæ inter æqualiter à stipite distantes reperitur, vt inter auum, & consobrinum, aut inæqualis, quæ est inter eos, qui à stipite inæqualiter distant.

Art. II. Quidnam est gradus, & quotuplex?

Respondeo per sequentes propositiones.

PROPOSITIO.

Gradus est determinata propinquitas personæ ad personã secundum consanguinitatem. V. G. pater respectu filij est in primo gradu id in prima propinquitate: respectu nepotis est in 2. gradu, id est, per vnum medium, scilicet, filium, respectu pronepotis, in 3. gradu, id est, per duo media. Hæc autem computatio est secundum ius canonicum. Nam ius ciuile inter fratrem, & sororem duos constituit gradus: vnum fratris ad sororem, & alium sororis ad fratrem.

PROPOSITIO.

In linea recta ascendentium tot sunt gradus, quot personæ vna minus, explendi causa. Pater, filius, nepos, & abnepos, sunt quinque personæ, & quatuor tantum gradus. Ratio est, quia tot sunt gradus, quot generationes, generatio verò minus quàm inter duos esse non potest: ergo tot erunt gradus, quot personæ, vna minus, quæ toti generationi præsupponitur, & stipes nominatur.

Hinc filius cum patre erit in primo gradu. cum nepote in secundo gradu &c.

PROPOSITIO.

In linea laterali eorum, qui à stipite æqualiter distant, quo gradu æqualiter transuersales à stipite separantur, eodem inter se distinguuntur v. g. frater, & soror distant à stipite in primo gradu, codemq; inter se differunt. Ratio est. quia distãtia vel propinquitas est solum ratione stipitis. Quare non magis inter se distant, quàm à stipite dissident.

PROP.

PROPOSITIO.

In linea laterali inæqualiter à stipite distantium computãdus est gradus à persona; quæ à stipite remotior est .v g. auunculus, & cõsobrinus, idest, fili' vel filia sororis distãt in 2. gradu, quia filia sororis distat à stipite in 2. gradu. Expressè definita est, in cap. vir, qui ab stipite. De cõsanguinitate, & affinitate.

Hinc in dispensationibus inæqualiter à stipite distantium remotioris descendentis à stipite est habenda ratio. APPEN.

PROPOSITIO.

Matrimonium inter consanguineos, si Papa non dispensauerit, est nullum.

Art. III. An iure diuino sint modo aliqui gradus prohibiti?

Lege Leuit. 18. vbi decem gradus prohibentur. lege Victoriam in relectio. de Matri. p. 2.

Duæ sunt opiniones. Prima omnium ferè antiquorum, qui affirmabant omnes gradus in Leuit. prohibitos, esse etiã nũc iure Diuino prohibitos. Hæc fuit. D. Bona. Tho. Ric. & Dur. quibus adhæsit Syluester affirmans Papam non posse dispensare in gradibus in Leuit. prohibitis. Idem quoque lutherani asserunt. Secunda opinio est Palud. dicentis, illos gradus non esse iure Diuino, sed naturali tantum prohibitos, & non omnes, sed aliquos dumtaxat. B. Antoni. & docuit illos gradus fuisse olim iure diuino prohibitos, quem sequuntur Victoria, & Caie. modo autem non esse iure diuino prohibitos dicunt.

Verb. Matri. 8. §. 6. & verbo Papa. §. 17.

3 p c. 14. ar. 1. 2. 2. p. 154. artic. 9.

CONCLVSIO.

Gradus qui in Leuit. prohibebantur, olim Matrimonium contrahendum impediebant. Non tamen omnes dirimebant vt affinitatis gradus, multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Quia licet prohibeantur, non tamen irritãtur. Quia illi tantum gradus Matrimonium nullum reddebãt qui lege naturali, vt in linea recta prohibebantur. Licitum namq. erat tunc accedere ad vxorem fratris defuncti absque liberis causa suscitandi semen.

CONCLVSIO.

Nullus gradus in Leui. prohibitus, modo in Euangelico prohibetur eo quod tunc prohibitus erat. Ratio est, quia lex vetus modo non obligat, quatenus lex vetus est sed vt ex parte confirmata in Euangelio. Sunt enim præcepta nonnulla iudicialia in Euangelico posita. Quale illud est de dormiente cum virgine, vt constat cap. 1. De adulteriis, atque etiam obligant aliqua legis veteris Euacuatæ præcepta, quatenus legis naturæ præcepta sunt.

Hinc,

APPEN. Hinc, si Papa dispensarit in aliquo gradu in Leuit. prohibito, dispensaret quidem, quatenus sunt lege naturali, vel Euágelica prohibiti.

DD. vbi supra

Difficultas. Prohibenturne iure naturali gradus in linea recta ascendentium, & descendentium, ita vt Papa in his dispensare non possit?

Hoc loco de gradibus consanguinitatis est agẽdum. Nam de gradibus affinitatis sequenti dist. agemus. Et quæritur primum de Matrimonio inter ascendentes, & descendentes, an prohibeatur vsque in infinitum, vel an gradus ita sit lege naturali prohibitus, vt in eo Papa dispensare non possit.

Sco. q. 1. Ricar. ar. vnico q. 4. 2. 2. q. 154. ar. 9. et in opusculo ad regẽ Angliæ lege picteriam vbi supra.

Opinio Sco. Ric. & Iurisconsultorum tenet; talem prohibitionem in infinitum durare, ita vt si Adam, vel Noe resurgeret, cum qua contraheret, non haberet. Caiet. arbitratur solum primum gradum in linea recta esse iure naturali prohibitum. Vnde sequitur posse papam dispensare, vt auus ducat neptem, & Auia nepoti nubat.

CONCLVSIO.

Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, etiamsi nulla lex scripta illud irritaret, esset iure naturali nullum. Nam talis contractus est contra ius naturæ, quia est contra pudorem, & honorem, quem filius iure naturæ parentibus adhibere tenetur. Et contractus contra ius naturæ est ipso iure nullus. Vnde B. Paul. auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes. Ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.

Hac. d. art. 3.

Dubium. Quid si in mundo non esset nisi pater, & vnica filia, vel plures?

Caiet. vbi supra negat. Soto affirmat.

CONCLVSIO.

Tunc illas ducere in vxores tenetur. Ratio est, quia plus tenetur homo diligere Rempublicã, quam parentes. Plus enim eam diligere tenetur, quam seipsum atque ita pro salute Reipub. & totius vniuersi tunc pater filias ducere. & mater filiis nubere teneretur.

Dub. Contractus Matrimonialis in 2. gradu lineæ rectæ, & sequẽtibus in infinitũ prohibiturne iure naturali an Ecclesiastico?

CONCLVSIO.

Matrimonium inter auum, & neptẽ iure naturali prohibetur, & est per leges humanas indispensabile. Ratio est, quia eadem obligatio reperitur inter neptes & Auos & inter filios & parentes, eademq. fere est sanguinis communio & eandem teue-

reuerētiam Neptes Auis, quam parentibus exhibere tenētur. Hæc est contra Caieta. affirmantem esse dispensabile huiusmodi Matrimonium.

CONCLVSIO.

In linea recta Matrimonium in infinitum non censetur esse prohibitum. Ratio est, quia sanguinis communio est caussa prohibitionis, & cum magis communicent transuersales in quinto gradu, quam descendentes cum ascendentibus in 6. gradu, & illi non prohibeantur, neque isti prohibendi sunt.

Hinc, poterit Papa dispensare inter proauum & proneptem &c. APPEN.

Hinc, si Adam modo viueret vxorem ducere posset. Nam minus vinculum consanguinitatis est inter nos, & Adam, quā inter Gallos, & Hispanos, qui contrahere non prohibentur. APPEN.

Diffic. An liceat Matrimonium contrahere in linea transuersali æquali, & inæquali?

Ric. art. vnico q. 2. D. Bona. ibidem.

V.g. An contractus inter fratrem, & sororem, & inter consobrinum, & sororem patris, & inter auunculum & consobrinam sit licitus.

Duæ sunt opiniones. Prima D.Bona. Ric & Dur. asserentium in primo gradu lineæ collateralis Matrimonium esse iure diuino nullum. Caie. Tho. de Argentina tenent, tale matrimonium esse solum contra ius canonicum, & ita Papā in hoc gradu dispensare posse. Addit Thomas matrimonium infidelium cum propriis sororibus non esse soluendum si ad fidē conuertantur. Scot. vero talia matrimonia in primo gradu laterali, lege naturali prohibita esse, affirmat.

Caie. vbi sup. S.Tho. Tho. de Argē hac dist. Instituta de iure naturali in principio.

CONCLVSIO.

Matrimonium inter fratrem, & sororem est iure naturali nullum, seruatur enim apud omnes gentes, & adhoc natura ipsa, seclusa lege scripta, homines inclinat. Vnde Pharao impossibile esse credit Sarran vxorem fuisse Abrahæ. Quia dixit suam esse sororem. vide caput. Gaudemus.

CONCLVSIO.

Matrimonium in secundo gradu consanguinitatis in linea laterali, & inæquali non est iure diuino prohibitum. Hæc cōclusio est contra D.Bon. Ric. & Duran. & Syluest. & contra glossam in cap. Literas. De restitutione spoliatorum. Qui tenent gradus in Leuit. prohibitos, inter quos sunt isti iure diuino prohiberi, ita vt non possit Papa in eis dispensare. Et ratio conclusionis est, quia lex vetus vniuersa fuit per mortem Christi reuocata. Nam translato Sacerdotio secundū ritum Aaron per mortē Christi in Sacerdotium secundum ordinem Mel-

Melchisedech; necesse fuit, vt legis translatio fieret, quia si nũc obligat, est, vel quia habet legis humanæ vim, vt propter causas supra signatas.

CONCLVSIO.

Neque est iure naturali prohibitum, constat exemplis sanctorum, quos sacra scriptura in gradu, de quo est modo Difficultas ante legem scriptam contraxisse docet, legitur enim Gē. c. 11. Thare genuisse Abram, Nachor & Aram, & Nachor duxisse consobrinā suam filiā Arā. Et Abrā Sarrā filiam eiusdem Arā. Quare cū hi viri Sancti nō tenerētur nisi ad obseruantiā legis naturalis; quā de facto obseruabāt, perspicuū profecto est iure naturali, tale Matrimoniū non fuisse prohibitū.

CONCLVSIO.

Est autem iure dumtaxat positiuo Ecclesiastico prohibitū. Patet à sufficienti diuisione. Etiam, quia Ecclesia sine cōtrouersia in his gradibus dispensare consueuit.

S. Tho. q. vnica art. 4 d. 4

Diffic. Potestne Ecclesia modo aliquos gradus prohibere?

Ecclesia potestatem habet inhabilitandi aliquos, quominus intra certum gradum Matrimonium contrahere possint. Definita est expresse Sess. 24. Cano. 3. & 4. Concil. Trident.

CONCLVSIO.

Maximopere Ecclesiæ conuenit aliquos ad Matrimonium inhabilitare. Constat de Matrimonio Clandestino, quod est irritum per Concil. Trid. Sess. 34. c. 1. de reformatione Matrimonij. Nam vsu veniebat, vt aliquis duas haberet vxores. Primam clandestinam & veram, & secundam in facie Ecclesiæ adulterinam. Tum etiam, vt pax: & amicitia augerentur, si inter non consanguineos, vt fit, Matrimonium cōtraheretur.

CONCLVSIO.

Gradus per lineam collateralem æqualem, siue inæqualem sunt vsque ad quartum gradum prohibiti. Ita habetur in cap. non debet. de consanguinitate, & affinitate. Nam à quinto gradu consanguinei, vt extranei se habent.

Hæresis.

Hinc, confutatur hæresis Lutheranorum asserentium nullos esse gradus prohibitos, neque prohiberi posse.

Difficultas. Potestas ciuilis Regis, poterit, quemadmodum Ecclesia, aliquos inhabilitare, quo minus contrahant?

Victoria in relectione de Matrimonio non audet affirmare. Ric. & cæteri affirmant.

CONCLVSIO.

Potest

Potest quidem, & de facto, si contrahatur Matrimonium erit nullum. Constat ex toto titulo. ff. de adoptionibus vbi Matrimonium inter patrem adoptantem, & filiam adoptiuã irritatur. Quod ius canonicum tantum inter filium naturalem & filiam adoptiuam prohibet. Vt ex cap. I. de cognatione legalium colligitur.

CONCLVSIO.

Leges ciuiles connubia in aliquo gradu prohibentes Ecclesia contradicente, nullam vim habent. Ratio est, quia causa matrimonialis contractus quantum ad vinculi perpetuitatem à iure diuino pendet. Et ideo ciuilis potestas circa hunc contractum ab Ecclesiastica potestate dependet.

Hinc, si princeps Saracenorũ prohiberet, & irritaret Matrimonium intra secundum, & tertium gradum; si de facto contraheretur esset nullum habet enim potestas illa iurisdictionem in subditos dicente B. Paul. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. APPEN. Ad Rom. c. 13.

Hinc, si infideles in gradu ab infideli principe prohibito contraxerint, & ad fidem conuertantur, vel sunt separandi, vel de nouo contrahere tenentur. Ratio est, quia Matrimonium ante Baptismum propter inobedientiam contra suũ principem, fuit nullum. APPEN.

QVAESTIO DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS, QVO MATRIMONIVM IMPEDITVR, NE CONTRAHATVR, ET CONTRACTVM IRRITATVR.

Hac q̃o. d. 41. Magistri differitur. DD. ibid.

Art. I. Quid, & quotuplex est affinitas?

HIc arti. aliquot positis propositionibus cum D. Bonau. & Ricar. explicabitur.

PROPOSITIO.

Affinitas, est personarum propinquitas, ex carnali copula proueniens, omni parentela carens. Hæc est descriptio Affinitatis, quam illustro exemplo. Titius. v. g. duxit vxorem Bertam, vel illam illicitè cognouit. Ex tali matrimonio, seu copula cum consanguineis Bertæ affinitatem contraxit etiãsi alias consanguineus non esset. Si autem consanguineus erat, duplex impedimentum cum consanguineis vxoris habebit. Vnum consanguinitatis ex parte sua, alterum Affinitatis ex parte vxoris, quod ad impetrandas dispensationes est diligẽtissimè animaduertendum.

PROPO-

PROPOSITIO.

Triplex olim erat affinitatis genus, vt ex Cap. non debet. De Consanguinitate, & affinitate constat. Primum, quod est in vsu, esse dicitur, vt solus vir habens vxorem affinis omnibus consanguineis vxoris intra 4. gradum efficiatur, ita vt intra illum gradum, mortua vxore aliquam illius consanguineam ducere non possit. Atque eodem modo de vxore mortuo viro censendum est. Et hoc genus olim vsque ad septimum gradum extendebatur. Secundum est affinitas affinitatis, & tertium affinitas huius secundæ affinitatis. Verum secundũ, & tertium iam sunt reuocata.

PROPOSITIO.

Affinitas efficitur per copulam carnalem licitam, aut illicitam, naturalem tamen. Ita definitur in Cano. Extraordinaria 35. q. 3.

APPEN. Hinc, per nefandam copulam contra naturam cum muliere, & seminationem extra vas, non contrahitur. Quia affinitas efficitur per copulam, qua vir, & vxor vna caro esse dicuntur. Et per talem copulam, aut seminationem extra vas non commiscentur, nec vna caro efficiuntur.

PROPOSITIO.

Olim ante Concil. Trid. affinitas per copulam vsque ad 4. gradum efficiebatur. modo autem non contrahitur affinitas præcedens, & dirimens Matrimonium nisi vsque ad secundũ gradum tantum. Definita est expresse Sess. 24. cap. 4.

APPEN. Hinc, si Titius per fornicationem cognouerit Bertam solũ cum sorore Bertæ, id est (*Con su prima hermana, y no con prima, segunda, terçera &c.*) contrahere prohibetur. Quod est intelligendum de affinitate Matrimonium præcedente, nam si sequatur post Matrimonium, etiamsi cognouerit (*ala prima, secunda, o terçera de su muger,*) debitum exigere non poterit.

Diffic. Quinam sunt affinitatis effectus?

PROPOSITIO.

Effectus affinitatis præcedentis Matrimonium per copulam illicitam contractæ, est, vt in primo, & secundo gradu tantum impediat, & dirimat Matrimonium contrahendum, vt modo diximus.

PROPOSITIO.

Si autem per copulam licitam, scilicet, coniugalem, impedit Matrimonium vsque ad 4. gradum, ita vt mortua vxore non possit vir cum consanguinea illius vsque ad 4. gradum contrahere. Definita est in cap. non debet citato.

PROPOSITIO. Si affini-

Si affinitas post Matrimonium sequatur, coniunx, qui cum consanguinea, vel consanguineo alterius coiuit, in conscientia ante dispensationem petere non potest, reddere tamen tenetur. Definita est in cap. 1. & cap. Tuæ fraternitati, de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ.

Diffic. An seclusa lege positiua Ecclesia prohibente Matrimonium intra 4. affinitatis gradum, sit aliquis gradus affinitatis lege naturali tantum Matrimonium contrahendum dirimens, ita vt in eo Papa dispensare non possit, prohibitus?

V.g. inter ascendentès, & collateralis. & Primum nota inter ascendentes quatuor esse combinationes. Primam (*Entre el padrastro. y su anada.*) Secundam (*Entre la madrastra, y su anado.*) Tertiam inter socrum & generum, Et quartam inter socrum, & nurum.

Duæ sunt opiniones. Vna affirmans, quam Soto sine authore refert. Quæ tenet Papam posse dispensare &c. Altera est negans D. Bona. Ricar. & Paluda. qui affirmant omnes gradus cap. 18. Leuit. esse iure diuino prohibitos.

CONCLVSIO.

Affinitatis gradus positi inter ascendentes, & descendentes, ita lege naturali Matrimonium contrahendum dirimunt, vt in his Papa dispensare haud posit dicit enim B. Paul. Auditur inter vos fornicatio, qualis, neque inter gentes, ita, vt vxorem patris sui aliquis habeat? quare erit talis cõcubitus contra ius naturale, hinc Ruben à Patre Iacob maledictus fuit, propterea quod ad eius vxorem ascenderat. *1. ad. Cor. 5.* *Gen. 49.*

Dubium. De affinitate collaterali, An mulier possit successiue Papa dispensante duobus fratribus nubere?

Duæ sunt opiniones. Prima citata D. Bon. & Palud. negãs altera Neotericorum. *artic. 9. 1. 2. & 3.*

CONCLVSIO.

Vxorem fratris sine rationabili causa ducere, est contra ius naturæ, quod nullo modo nisi propter maius bonum violare licet. Ratio enim naturalis dictat, vt fratribus hunc honorem præstemus, ne scilicet, illorum turpitudinem reuelemus. Vt Leuit. 18. habetur.

CONCLVSIO.

Vxorem fratris propter rationabilẽ causam ducere. non est contra naturæ ius. Quia Leui. habetur licuisse tunc fratri viuenti ducere vxorem fratris sui Mortui, ad suscitandum semen. Nam, vt non est contra legem naturæ eundum virum

duas habere sorores in vxores, vt Iacob habuit Liam, & Rachelem neque erit contra ius naturæ eandem vxorem &c. Propterea quod idem gradus est, eundem virum duas sorores successiue habere, siue duos fratres eandem vxorē ducere.

APPEN. Hinc, Papa in his gradibus dispensare poterit. Quia non est contra legem naturæ, & multorum Pontificū exemplis constat. Nam Alexan. vi. cum quodam Rege Lusitaniæ dispensauit; vt vxorem fratris mortui duceret, & Iulius II. cū Henrico rege Angliç, vt duceret in vxorem Catherinam, quæ fratris sui vxor fuerat. Et Martinus v. vt refert. Sylue. similem concessit dispensationem.

D. Bona d. 42. art. 2. q. 1. 2. & 3.

Art. III. De impedimento publicæ honestatis?

Hoc impedimentum oritur ex sponsalibus aut ex Matrimonio tantum rato, scilicet, ex contractu ipso, non autem ex copula carnali, diciturque impedimentum publicæ honestatis, quia solum publica honestas prohibet; quominus vnus sponsus consanguineis alterius iungatur. Ita definitum est in cap. Ad audientiam de sponsalibus, & in cap. I. eodem titulo in 6.

CONCLVSIO.

Ex Matrimonio rato tantum impedimentum publicæ honestatis tale oritur; vt soluto Matrimonio per mortem, vel ingressum religionis alterius coniugis, in sæculo manens cum consanguineis illius intra quartum gradum contrahere non possit. Definita est in cap. I. & in cap. non debet &c.

Hæc dist. Hæc est Sco & Paluda. S. Tho. & Ricar. vocant hoc impedimentum affinitatis Panormitanus in cap. sponsam. De sponsalibus, tenet cum Scoto.

CONCLVSIO.

Ex veris, e ligitimis sponsalibus impedimentum publicę honestatis vsque ad primum gradum nascitur. V. g. Titius duxit Bertam in sponsam per verba de futura. Solutis sponsalibus solum erit Titius inhabilis ad contrahendum cum sorore Bertæ, non autem cum cæteris illius consanguineis. Ita definitum est in Concil. Trid. vbi supra ante Concilium vero vsque ad quartum gradum consanguinitatis extendebatur.

CONCLVSIO.

Hoc impedimentum olim ex quibuscunque sponsalibus etiam illegitimis proficiebatur, dummodo non essent illegitima ex defectu consensus, sed aliunde, scilicet, propter consanguinitatem, aut, impotentiam &c. Nunc vero ex legitimis, & veris tantum sponsalibus emanat. Definita est expresse cap. 3. in Conc. Trid. vbi supra.

CONCLVSIO. Prædicta

Prædicta impedimenta solum inter vnum coniugum, & consanguineos alterius coniugis, & nullo modo inter consanguineos ipsorum coniugum oriuntur. Hæc est expresse definita per Innocentium III. in cap. super his. De consanguinitate, & affinitate.

Hinc, pater & filius cum matre, & filia contrahere poterunt. APPEN.

Art. An Matrimonium inter consanguineos sit Ecclesiæ authoritate dirimendum?

V. G. Titius, & Berta consanguinei, aut affines bona fide contraxerunt simulq; 40. annos vixerunt, quibus transactis affinitatis notio superuenit, est modo quæstio, an sit hoc Matrimonium Ecclesiæ authoritate dirimendum.

CONCLVSIO.

Quam primum constiterit propter consanguinitatis, vel affinitatis impedimentum esse nullum Matrimonium authoritate Ecclesiæ erit dissoluendum. Definita est expresse in cap. Non debet. De consanguinitate, & affinitate.

Hinc, non poterit authoritate coniugum dissolui: alioqui enim daretur locus fraudibus: nam qui vellent separari statim consanguinitatem fingerent. APPEN.

Artic. De raptu.

CONCLVSIO.

Raptus est quando per violentiam, puellæ, aut eius patri factam, aliquis illam è domo patris rapit, quæ licet sponte raptorem sequatur, nunquam tamen Matrimonium valebit; donec in libertate extra raptoris potestatem constituatur. Definita est expresse in Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6.

Art. Vlt. An omnis, qui ex damnata copula nascitur illegitimus sit?

DD. dist. 4 Sta Thom. q. vnica ar. 3. quæstio. cap. 1 et sequẽtibus Ric. art. 2 q°. 2. Dura. quæst. 1.

CONCLVSIO.

Quando Matrimonium est nullum, & vterque parens est impedimenti conscius, filij illegitimi nascuntur. Si vero vterque, aut alter tantum impedimentum ignorat, legitimi nascuntur. Si tamen Matrimonium in facie Ecclesiæ, & non clandestine fuit contractum. Definita est expresse in cap. Ex tenore: qui filij sint legitimi & in cap. Cum inhibitio. De clandestina dispensatione.

Hinc, filij, qui ex parentibus ignorantibus ambobus, vel altero tantum impedimentum, nascuntur; poterunt in vtroque foro parentibus in bonis etiam vinculatis succedere. De reliquis autem filijs illegitimis quomodo possint hæredes APPEN.

 instituí,

instituí, & bona parentum retinere. Tractatu de Restitutione reperies.

QVÆSTIO DE COGNATIONE SPIRITVALI. ET LEGALI.

DD.dist.42.S. Tho.q.1.ar.1. & sequẽtibus Ric.art.1.q.1. Duran.q.1.

Art. An Cognatio spiritualis dirimat Matrimonium contrahendum?

Lege titulum de cognatione spirituali, & legali, & Conc. Trid. cap. 2. vbi supra.

CONCLVSIO.

Ad spiritualem cognationem, vt suscipientes, & ministri beaptizati sint, & non solum Cathecumeni, vel credentes, desideratur. Nam vt nemo potest aliũ carnaliter generare quin naturale esse habeat, ita neque potest esse aliquis spiritualis pater, quin spirituale esse per regenerationem spiritualem, scilicet, Baptismum habeat. Qui enim non est baptizatus, legi de cognatione spirituali non est subiectus.

CONCLVSIO.

Quando alter coniugum malitiose proprium filium baptizauit, vel tempore Baptismi, aut Confirmationis, tenuit, vt vxorem petitione debiti priuaret, vxor non priuatur, sed vir, qui tunc reddere tenetur. Secus autem si in extrema necessitate, quia nullus aderat, hoc fecerit. Definita est expresse in cap. Si vir. De cognatione spirituali.

CONCLVSIO.

Per Exorcismum, siue Catechismum cognatio spiritualis non contrahitur, quia per hæc, cum Baptismum præcedant, non fit regeneratio.

Art. Vlt. De cognatione spirituali?

CONCLVSIO.

D.Bona.d.42. art.1.q.2.

Adoptio à Catholicis ita definitur; legitima assumptio extraneæ personæ in filium, vel filiam nepotem, vel neptem, vel deinceps vnde ad veram adoptionem desideratur. Primum, vt persona adoptata sit extranea, secundo, vt fiat secundum legis conditiones, quæ diuiditur in adoptionem perfectam, & imperfectam, de qua re lege Ricar.

Hac dist.

CONCLVSIO.

Adoptio siue abrogatio, quæ est imperfecta adoptio Matrimonium contrahendum in triplici gradu dirimit, & primus vocatur paternitatis, & filiationis legalis. Secundus est fraternitatis legalis. Et terti⁹ affinitatis legalis appellatur, propter primum gradum inter adoptantem, & adoptatum, eiusque descen-

descendentes non potest esse Matrimonium, non enim Petrus adoptans Mariam potest illam, vel aliam eius filiam ducere. Propter secundum gradum adoptatus non potest ducere filiam adoptantis, quia est eius legalis soror. Propter tertium gradum Matrimonium non potest contrahi inter adoptantem, & filij adoptiui vxorem, quia est eius legalis nurus, neque inter adoptatum, & vxorem adoptantis, quia est legalis patris vxor.

CONCLVSIO.

Primus & secundus gradus cognationis legalis sunt præceptui, ita, vt cessante adoptione non posit in illis esse coniugium. secundus durat durante tantum adoptione, qua finita veluti, si repudietur aut vel si adoptans aut adoptiuus moriatur, poterit inter fratres legales contrahi Matrimonium. Ita definitum in cap. vno de cognatione legali.

CONCLVSIO.

Solus secundus gradus iure Canonico est prohibitus, reliqui autem iure Ciuili prohibentur. Suntque ab Eccesia per consuetudinem receptæ. Hæc est Ric.

Hinc, constat, Potestatem ciuilem posse aliquos ad Matrimonium inhabilitare, dummodo talis lex ab Ecclesia approbetur, vt supra diximus. APPEN.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

INDEX QVÆSTIONVM, ARticulorum, difficultatum, ac dubiorum, quæ in hac prima parte explicantur.

Quæst

Quæst. vlt. De ministro sacramentorum.

FLORES QVAESTIONVM SACRAMENTI BAPTISMI.

De essentialibus Baptismi.

Art.

FLORES QVAESTIONVM SACRAMENTI EVCHARISTIÆ.

Diffic.

Quæst.

Quæst. II. De suscipientibus Eucharistiam.

Quæst. III. De effectis Eucharistiæ.

Diffic.

Diffic.

FLORES QVAESTIONVM DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

FLORES QVAESTIONVM DE SACRAMENTO ORDINIS. 264

FLOREES THEOLOGICARVM QVAESTIONVM SACRAMENTI MATRIMONII.

Art.

Diffic.

Dubium.

Quæst. de impedimento consanguinitatis.

Finitur Index.

FLORES THEOLOGICARVM QVAESTIONVM, IN QVARTVM LIBRVM SENTENTIARVM.

COLLECTI A REVERENDO P. FRATRE Iosepho Angles Valentino, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, Prouinciæ Sancti Iacobi, & Sacro Sanctæ Theologiæ professore, & prælectore,

AD ILLVSTREM DOMINVM ANTONIVM *Perez, Catholicæ Maiestati à secretis status.*

Pars Secunda.



ANTVERPIAE.
In ædibus Petri Belleri, Sub Scuto Burgundiæ. M. D. LXXXI.

Cum gratia & Priuilegio.



OS DON FRANCISCVS PEREZ Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Calaritanus & Episcopus Vnionum, Prior Sancti Saturnini, Primas Sardiniæ; & Corsicæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vexillarius, & de cōsilio suæ Maiestatis. Cunctis inspecturis attestamur, & notum fa-
mus comparuisse coram nobis R. P. Sacræ Theologiæ
ofessorem Fratrem Iosephum Angles, & Seraphici San-
i Francisci Ordinis de Obseruantia in præsenti Sardi-
æ Regno Commissarium Generalem, & exhibuisse no-
s secūdam partem libri ab eo recollecti, æditi, & compo-
ti denominati Flores Theologicarum quæstionum, visi,
ecogniti, & approbati ab eruditissima vniuersitate Com-
lutensi de mandato Regij consilij Aragoniæ: & cum per-
nissu examinatorum librorum imprimendorum ab Illus.
D. Archiepiscopo Valentino deputatorum pro illo excu-
endo. Quæ omnia nobis aperta fuerunt per publicas litte-
as, & instrumenta in prima parte impressa. Quibus exi-
entibus fuit per nos commissa reuisio eiusdem libri R.
Antonio Montano in Sacra Pagina Magistro & Canonico
ostræ Primatialis Ecclesiæ Calaritanæ & habita ab eo re-
atione, licentiam concessimus ipsum imprimendi in præ-
enti Ciuitate; prout in nostris inde confectis literis plenius
ontinetur. Cumque postmodum per eundem R. P. Fra-
rem Iosephum Angles simili modo fuisset petita facultas
pro secūda eiusdem libri parte, & per nos commissa eidem
magistro Antonio Montano illius reuisio, nobisque retu-
lerit nihil in eadem secunda parte offendisse quod bonis
moribus, Sacræ Scripturæ, Oecumenicis Conciliis, aut Sa-
rosanctæ Romanæ Ecclesiæ præscriptum contraueniat,
quin potius conducibilem, atque vsui Reipublicæ Christia-
æ maximo futurum. Idcirco quibusuis Impressoribus, seu
Typrographis harum vigore concedimus, vt libere, & licite
ipsum librum euulgare, atque imprimere possint, & euul-
gatum, atque impressum distribuere obstaculis, & prohibi-
tionibus cessantibus quibuscunque. In quorum testimo-
nium præsentes nostra manu subscriptas, & sigillo robora-
tas per Notarium & Secretarium infrascriptum expedien.

decernimus Dat. Calari, in Palatio nostro Archiepiscopali, Die XXVIII. mensis Ianuarij, Anno à Nat. Domini. M. D. LXXVI.

F. Archiepiscopus Calaritanus.

Antonius Montanus Canonicus Calaritanus.

Illustris. & Reuerendissi. Dominus meus Archiepiscopus Calaritanus, mandauit mihi Augustino Sabater Not. & Secret.

Locus .*. Sigilli.

Registrata.

CONCORDANT IMPRESSA, CVM ORIGINALI.

Idem Antonius Montanus.

FLORES QVAESTIONIS DE CLAVIBVS.

QVAESTIO DE CLAVIBVS.

DD. De hac quęstione disputant dist. 18. & 19. Alexan. Alen. quęstione. 19. & 70. S. Tho. in additionibus à q. 17. vsque ad 22. Turrecrē. lib. 1. summæ Eccle. à cap. 93. vsque ad finem lib. & lib. 2. Victoria in duabus prælectionibus circa hanc materiam.

Art. I. An sint in Ecclesia claues regni cœlorum.

CONCLVSIO.



IN statu innocentiæ fuisset aliqua potestas spiritualis, si genus humanum in illo perseuerasset. Quia tunc fuisset Ecclesia multo perfectior & de ratione Ecclesiæ est, vt sint in ea diuersa officia: nam vt in triumphante quidam Angeli sunt alijs in potestate superiores. Ita in statu innocentiæ fuissent alij homines alijs superiores, alioqui enim nō esset Ecclesia.

Alexan. Alen. q. 79. m. 1. 2. & 3. S. Tho. q. 17. art. 1. 2. reliqui d. 18. D. Bon. ar. 1. q. 1. ad 2. Ric. ar. 1. q. 1 2. & 3.

CONCLVSIO.

In statu legis naturæ à lapsu primi parentis vsque ad legem scriptam fuit potestas spiritualis, habēt spiritualem iurisdictionem in subditos coërcendi, & amouendi illos à peccatis propter eorundem spirituale bonum. Hæc Cōclusio eadem ratione, qua proxima cōfirmatur. Fuit enim tunc Ecclesia iustorum Noe, scilicet, Abrahæ, Iacob, & cæterorū Patriarcharum, quos Ecclesia connumerat. Fuitque Sacerdotium Melchisedech.

CONCLVSIO.

Tempore legis scriptæ fuit potestas aliqua spiritualis, cui sub pœna mortalis peccati subditi obedire tenebantur. Cōstat Deut. 17. vbi de Sacerdotibus illius generis dicitur, qui

Deut. 17.

autem ſuperbierit volens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tẽpore miniſtrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur homo ille. Qua quidem pœna, niſi propter mortale peccatum, plectebatur nemo.

CONCLVSIO.

Clauis quid Non tamen in Lege naturali, vel ſcripta penes aliquam ſpiritualem poteſtatem claues regni cœlorum fuerunt. Clauis enim eſt poteſtas ligandi, atque ſoluendi, qua iudex Eccleſiaſticus dignos recipere, & indignos à regno cœlorum excludere debet, per quam quidem & peccata remittũtur, & gratia confertur, vt in Extrauag. de verb. ſignificatione conſtat. Qua poteſtate Sacerdotes veteris legis caruerunt, *Rom. 3.* vt. B. Pau. multis in locis author eſt, vt ad Rom, & ad Gal. *Galat. 2.* ex operibus legis non iuſtificatur &c. Et rurſus, ſi per legẽ *Hebr. 9.* Iuſtitia. &c. Et ad Hæbr. de ſacrificijs legis veteris loquens ait; ſanguis hircorum coinquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, ideſt, ab irregularitatibus contractis propter ceremoniarum tranſgreſſionem.

APPEN. Hinc colligitur; ſacrificia illa virtute propria regnũ cœlorũ non aperuiſſe, & per cõſequens Sacerdotes veteris legis claues regni cœlorum non habuiſſe. Remittebantur tamen tunc peccata virtute cõtritionis ſine ordine ad aliquod ſacramentum, ideſt, ſine ſacramento in re, vel in voto.

CONCLVSIO.

Chriſtus Ieſus Apoſtolis claues regni cœlorum dedit, illos q. totius orbis Epiſcopos inſtituit, & authoritatem abſoluendi quemlibet Chriſtianum virtute ſacramenti pœnitentiæ, & ligandi virtute excõmunicationis tradidit. Pat. *Ioan. 20.* Ioan. 20. ſicut miſit me pater, & ego mitto vos. Etc. Chriſtus autem miſſus eſt à patre non ſolum ad predicandum, verumetiam ad peccata authoritatiue remittenda; vt quando dixit paralytico: Remittuntur tibi peccata tua. Quare eodem modo miſit Apoſtolos, conferens illis tanquã iudicibus, & miniſtris poteſtatem remittendi peccata, &c.

CONCLVSIO.

Clauis poteſtas ad tria ſe extendit; nempe ad peccatorũ remiſſionem virtute pœnitentiæ faciendam, ad ligandum, & ſoluen-

& soluendum in foro exteriori, ad Diuinam Scripturam authoritatiue interpretandam. Et ratio est, quia clauiū potestas est aperiendi, & claudendi regnum cœlorum, quod quidem regnum trifariam sumitur. 1. pro Ecclesia triumphante. A diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur. 2. pro militante. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, &c. Et 3. Pro Scriptura Sacra. Auferetur à vobis regnum Dei, &c. Sicut D. Hie. exposuit, quamobrem potestas clauium extendet se ad aperiendum Ecclesiam triū-phantem virtute sacramenti pœnitentiæ, & ad claudendā militantem excommunicando, vel aperiendam ab excommunicatione absoluendo, & tandem ad obligandum homines ad certam diuinæ scripturæ intelligentiam. *Matth. 11.* *Matth. 20.* *Matth. 21.* *Matth. 21.*

Ex prima potestate sequitur, nullum esse peccatū, quod virtute pœnitentię remitti non possit, quia sine limitatione Apostolis dictum est; Quorum remiseritis peccata &c. Et rursus. Quæcunque ligaueritis &c. *Ioan. 20.*

Secundo sequitur; posse Ecclesiam instituere sacramentalia, quorum virtute venialia peccata remittantur: quia cū venialia peccata non sint ex præcepto confitenda, & Ecclesia omne genus peccati remittere possit; poterit profecto extra confessionem sacramentale aliquod instituere, quo authoritatiue ex opere operato venialia condonentur. APPEN. APPEN.

Ex potestate admittendi, & excludēdi ab Ecclesia militante colligitur; Posse Rom. Pont. condere leges obligantes transgressores virtute obedientiæ, vel excommunicationis ad gehennam. Dictum est enim Beato Petro; Tibi dabo claues regni cœlorum, idest, Ecclesiæ militantis. Quodcunque ligaueris super terram, &c. APPEN.

Inde etiam infertur; Posse Papam hac potestate sibi à Christo super totam Ecclesiam militantem tradita, idest, in foro exteriori dispensare in his etiam, quæ sunt iuris Diuini, vel potius, si mauis, ius ipsum declarare, aut interpretari, legitima tamen causa interueniente. Vt in voto, & alijs. APPEN.

Ex tertia potestate dependet posse Rom. Pont. Concilium congregare, & Concilium rite congregatum authoritatiue Diuinam Scripturam interpretari, & leges obligantes transgressores ad mortale peccatum condere posse. APPEN.

CONCLVSIO.

Eandem potestatem, quam Apostoli in Primitiua Ec-

clesia habuerunt, habet modo Rom. Pont. habebitque vsque ad sæculi consummationem.

Hæc Conclusio à Doctoribus probatur ex illo loco, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationē sæculi. Et ad Ephesios Beatus Paulus, de Ecclesia verba faciens, ait. Christum dedisse quosdam Apostolos, quosdam autē Prophetas, &c. in opus ministerij in ædificationem corporis Christi donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. vbi apertissime testatur, Ecclesiasticum ministerium vsque ad consummationem sæculi esse duraturum.

Matth. vlt. *Ephes.*

Hinc confutatur error Nouatianorum, & Lutheranorū affirmantium: claues Apostolis non fuisse datas ad remittenda peccata, sed ad prædicandum Euangelium.

Hæresis.

Diffic. I. Fueruntne Claues datæ Apostolis ante resurrectionem, an post?

Alexan. Alen. q. 79. toto. m. 6. 6. Scot. dist. 19 quest 1.

Tres sunt opiniones. Prima Armachani lib. 11 cap. 14. & 15. de Quæstionibus Armenorum asserentis, Claues fuisse Apostolis traditas multo ante Iesu mortem. Secūda, & opposita est communis, tenens post resurrectionē fuisse datas. Tertia est Magistri Victoria in relectione de Potestate Ecclesiæ, qui docet, diuersis temporibus traditas fuisse, quia diuersa est Ecclesiastica potestas. Nam potestatem in foro exteriori condendi leges, & ligandi per excommunicationem, & obedientiam, acceperunt quando omnibus simul dixit: Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram &c. Potestatem vero super corpus Christi verum, Quando dixit Iesus in Cœna, hoc facite in meā cōmemorationem. Et tandem potestatem remittendi peccata in foro conscientiæ post resurrectionem, quando Ioan. 20. dixit: Accipite Spiritum Sanctum, &c.

Ioan. 20. *Matth. 18.* *Luce. 22.* *Ioan. 20.*

CONCLVSIO.

Ex Euangelio minime constat ante resurrectionem in foro exteriori Apostolis fuisse traditas Claues. Nam locis in tertia opinione citatis solum pollicetur Christus se Claues traditurum, loquitur enim per verba futuri temporis.

Hinc apertissime colligitur Ecclesiam habere Claues, nā Deus

APPEN.

Deus verax est in promissionibus, ait enim Beatus Paulus: Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? absit. *Rom. 3.*

CONCLVSIO.

Apostoli potestatem cõsecrandi Eucharistiam in Cœna acceperunt dicente Christo; hoc facite in meam commemorationem. Ratio est, quia pronomen (hoc) demonstrat omnia, quæ Christus, tunc fecit, & cum ipse ibi consecrauerit, potestatem consecrandi proculdubio illis tradidit. *Luca. 22. 1. Cor. 11.*

CONCLVSIO.

Claues in vtroque foro fuerunt Apostolis traditæ, quando dixit Christus, Accipite Spiritum Sanctum &c. Ratio est, quoniam illis verbis, remissionem; & retentionẽ peccatorum sine limitatione, quantum ad vtrunque forum concessit. *Ioan. 20.*

Beato Matthiæ fuit concessa plena potestas quando fuit electus Apostolus, & B. Tho. quando erat absens, fueruntque alijs traditæ Ioan. 20. Hæc est opinio patris à Castro verb. Sacerdotium. Hæresi 1. *Ioan. 20.*

II. Diffi. An Apostoli habuerint immediate à Christo respectu omnium Christianorum, in vtroq; foro iurisdictionem, fuerintque Beato Petro in illa æquales? *Alexan. Alen. ibid. & m. 8.*

Tres sunt opiniones. Prima est Turrecrem. lib. 2. summæ Ecclesiasticæ cap. 765. Potestatem Episcopalem, quã ad excommunicandos subditos, ad Ecclesiam gubernandã accepit Beatus Petrus à Christo, eam ipse alijs communicauit, sicut & modo Papa Episcopis exteriorem iurisdictionem communicat. Secunda opinio, quam refert Caietan. tractatu de Authoritate Papæ, & Concilij, cap. 1. tenet; omnes Apostolos fuisse Beato Petro æquales in potestate quo ad vtrunque forum, & illam immediate à Christo Domino recepisse. Tertia opinio media est, & explicabitur conclusionibus positis.

CONCLVSIO.

B. Petrus, & cæteri Apostoli fuerunt Episcopi totius orbis à Christo Iesu constituti. Patet, quoniam quod Christus promisit B. Petro, idem omnino & cæteris Apostolis pollicitus est, & quod B. Petro contulit dicens; Pasce oues meas, idem omnino omnibus simul concessit dicens: Accipite Spiritum Sanctum &c.

CONCLVSIO.

Hæc authoritas alijs Apostolis collata non erat Ordinaria sed delegata, & hoc solum cæteri Aposti à B. Petro, differebant, quamuis esset illorum pastor. Ratio est, quia potestas ordinaria datur officio, & dignitati, & transit ad successores.

CONCLVSIO.

Si comparemus B. Petri & aliorum Apostolorũ potestem ad gubernationem omnium credentium; tantam alij Apostoli habuerunt potestatem, quantam B. Petrus habuit, ita quod poterant quemlibet Christianum totius orbis, sicut modo Rom. Pont. excommunicare, & in qualibet Ecclesia Episcopos, & Sacerdotes creare. Ratio est, quia omnis potestas B. Petro promissa & tradita, fuit etiam cæteris Apostolis collata, & hoc sine personarum, loci, vel fori discrimine.

Matth. 18.

CONCLVSIO.

Ioan. 20.

Si comparemus reliquos Apostolos B. Petro maiorẽ ille habuit potestatem. Ratio est, quia erat pastor omniũ Christianorũ. Vt constat Ioan. 20. Pasce oues meas &c. ita erat etiam Pastor aliorum Apostolorũ, & Sãctissimæ Virginis, & per consequens erat illorum Prælatus, & illis superior.

APPEN. Hinc sequitur prima differentia, potestas B. Petri, quia erat ordinaria, erat enim Christi Vicarius, & ita dicitur regiminis potestas, aliorum vero delegata, quæ exequutiua nominatur. Vnde 2. ad Corint. 5. Legatione pro Christo fungimur. Et ad Eph. Vlt. Legatione fungor &c.

2. Cor. 5.
Ephes. 6.

APPEN. Cæteri Apostoli solum habebant potestatem super alios Christianos, non super se inuicem: at vero B. Petrus habuit potestatem super omnes Apostolos.

APPEN. Potestas B. Petri quia ordinaria, trãsit ad omnes eius successores; quoniam habet potestatem super vniuersum orbem. Apostolorum autem successores, nempe Episcopi nõ habent similem potestantem, quia erat legata, & talis potestas finitur vel finita persona, vel ad placitum superioris legantis.

Tertia. Diffic. An Christus habuerit Clauem?

CONCLVSIO.

Habuit authoritatiue vt Deus, & excellẽtiæ vt homo habuit enim potestatem aperiendi, & claudendi regnum.

Quarta

Quarta Diffic. An claues sint penes Sacerdotes Euangelicos tantum?

Duæ sunt opiniones. Prima Gersonis in tractatu de Ecclesiastica potestate; & Almayn in tractatu de comparatione Papæ & Concilij cap. 6. affirmantium, potestatem iurisdictionis esse in tota Ecclesia, adhũc sensum; quod, vt olim reges, quando per electionem constituebantur, à toto regnõ eligente regiam potestatem accipiebant, ita nunc Papa accipit potestatem à Cardinalibus qui nomine totius Ecclesiæ illum eligunt, & ipse dat illam Episcopis, & aliis Sacerdotibus. Altera opinio est Turrecrem. lib. 2. cap. 71. & in sequentibus, & Caieta. de potestate Papæ; hi tenent Papã habere immediate potestatem à Christo, & non ab Ecclesia, quam ipse dat Episcopis, & alijs Sacerdotibus. Eligitur, inquiunt, à Cardinalibus nomine Episcoporum tantũ, & non totius Ecclesiæ. Christus autem sic à Cardinalibus electo dat potestatem in vtroque foro.

Alex. Alex. q. 79. m. 7. art. 2. S. Tho. q. 19. art. 2. Scot. d. 19. q. 1. Duran. d. 18. quæst. 1. Alexã. Alẽ. q. 79. m. 8. Ric. d. 29. a. 1. q. 1. & 2. S. Thom. q. 19. art. 1. 3. & 4. D. Bonauẽ. ar. 1. Scot. ead. d. & Dur. q. 4. ibid.

CONCLVSIO.

Hæreticum est affirmare characterem ordinis ad consecrãdum esse penes omnes Christianos. Definita est expresse in Conc. Trid. Sess. 7. Cano. 10.

CONCLVSIO.

Non est pœnes Ecclesiam potestas ligandi, atque soluendi, vel iurisdictionis potestas, ita vt Papa, & alij Pręlati iurisdictionem ab Ecclesia recipiant, sed immediate à Christo. Ratio est, quia Christus non dedit illam Ecclesiæ, sed Petro & alijs Apostolis. Vt patet Ioan. vlt. Pasce oues meas. Et alibi: Accipite Spiritum Sanctũ. Quare non erit hæc potestas nisi tantum pœnes Sacerdotes.

Ioan. vlt. Ioan. 20.

CONCLVSIO.

Papa habet authoritatem immediate à Christo in vtroq; foro. Ratio est, quia cũ non habeat illam ab Ecclesia, vt modo diximus, à Christo profecto habebit.

CONCLVSIO.

Episcopi autem, & alij Sacerdotes habent à Papa iurisdictionem. Nam vt supra diximus, potest Episcopos, & alios Sacerdotes deponere.

Contra hanc veritatem surrexit maledictus Lutherus dicẽs; oẽs Christianos esse Sacerdotes. Quam hæresim copiosissime confutat Pater à Castro verbo Sacerdotiũ. hæresi. 1.

Hæresis.

8. Tho. q. 19. arti. 3. D. Bon. d. 25. art. 1. qō. 1. ad 2. Reliqui dist. 19. Ric. q. 1. vbi supra.

V. Diffic. An Claues quoad iurisdictionem in foro exteriori possint in fœminis esse?

CONCLVSIO.

Nulla fœmina potest habere iurisdictionem spiritualem. Non enim potest excommunicare. Vt constat in cap. Dilecta. de maioritate, & obediētia. neque est capax potestatis absoluendi, & ligandi in foro conscientiæ; vt constat ex cap. Noua. de pœnitentijs, & remissionibus.

CONCLVSIO.

Non est iure Diuino prohibitum, ne fœmina possit habere iurisdictionem spiritualem in foro exteriori.

Hæc conclusio est Glossæ in cap. Dilecta citato, & Innocentij ibidem. Ratio est, quia laicus absque vllo ordine potest habere iurisdictionē spiritualem. Potest enim iure Ecclesiastico non Presbyteris competere, vt Episcopis nondū ordinatis.

CONCLVSIO.

Abbatissa potest suis præceptis moniales sibi subditas obligare, quemadmodum ciuilis potestas; ita vt ratione iniusticiæ, aut publici nocumenti, transgredientes eius præcepta venialiter, aut mortaliter, secundum quantitatē nocumenti peccent. V. g. si præ nimia literarum frequentia monialis aliqua in periculo peccandi constitueretur; præciperetque illę Abbatissa in virtute Sanctæ obedientiæ, ne literas scriberet, scribendo mortaliter peccaret. Ratio est, quia potestas politica ratione nocumenti obligat transgressores legum ad M. Propter inobedientiam. Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus; quia cum non prohibeantur iure Diuino habere spiritualem iurisdictionem, poterit Papa in hoc ex legitima causa dispensare.

Alexan. Alen. q. 80. m. 3. ar. 2. §. 1. S. Tho. q. 20. art. 1. Ric. d. 18. ar. 1. q. 4. et d. 19. art. 1. q. 3. D. Bona d. 19. art. 3. q. 1. & Dur. q. 2.

VI. Diffic. An quilibet Sacerdos virtute Clauium possit quemlibet pœnitentem absoluere?

CONCLVSIO.

Sacerdos non recipit in sua consecratione, potestatem iurisdictionis; ita vt quemlibet possit absoluere. Quia si hoc ratione characteris competeret, quamuis prohiberetur audire confessiones, si tamen de facto audiret, & absolueret, valeret absolutio; quemadmodum degradatus de facto cōsecraret; quia character Sacerdotalis est indelebilis. Et ita sequere-

sequeretur; Omnes Sacerdotes esse æquales Papæ in iurisdictione, & nō posse aliquem casum illis reseruari, Quæ omnia sunt erronea.

CONCLVSIO.

Sacerdos sua consecratione, ordinis tantum potestatem recipit. Ratio est, quia accipit characterem, qui est potestas spiritualis conficiendi corpus Christi, & administrandi sacramenta. est enim potestas ordinis potentia remota administrandi sacramentum pœnitentiæ, quæ reducitur ad actū per materiæ, idest, subditorum applicationem.

Circa hanc veritatem Catholicam, quæ est communis Theologorum sententia, errauit Armachanus in quæstionibus Armenorum, qui tenuit contra primam conclusionem; & Abulensis etiam; sed dixit ligari ab Ecclesia, ne possit illa in quemlibet vti. Vide Patrem de Castro lib. 2. de iusta Hæreticorum punitione cap. 21. ERROR.

Art. 11. An virtute clauium Sacerdos proprie dicatur culpam remittere, & gratiam conferre?

Alexan. Alen. q. 20. m. 1. S. Tho. q. 18. D. Bona. d. 18. toto art. 2. Ric. ar. 2. q. 1. Dur. q. 2. & Scot. d. 18.

Duæ sunt opiniones. Prima negans Magist. dist. 28. quē sequuti sunt antiqui DD. Alex. Bona. Ricar. Gabr. eadem distinct. Contraria opinio fuit Tho. Sco. eadem distinct. quos sequitur Adrianus quæst. 2. de Clauibus, scilicet, virtute huius sacramenti à Sacerdote ministerialiter gratiam conferri, & culpam remitti.

CONCLVSIO.

Contritus accedens ad sacramentum pœnitentiæ, verè & remissionem peccatorum, & gratiæ augmentum consequitur. Ratio est, quod sensus absolutionis est; Ego impendo, quantum est ex parte mea, conferoque tibi absolutionis sacramentum, per quod, nisi posueris obicem, tibi peccata remittentur, & de lege nō remittit Deus peccata, quin conferat gratiam.

CONCLVSIO.

Attritus cum ignorantia vincibili, vel culpabili, vel suæ attritionis conscius, virtute huius sacramenti peccatorū remissionem minime consequitur. Ratio est, quoniam est præceptum contritionis, à quo per ignorantiam culpabilem, vel quando est conscius suæ attritionis non excusatur, atque ita peccat mortaliter non habendo illam, & ex consequenti

ſequenti ponit obicem ſacramento, quamuis per illud peccata ſibi remittantur.

CONCLVSIO.

Attrito cum ignorantia inuincibili ſuæ attritionis cōfert Sacerdos miniſterialiter virtute huius ſacramenti primam gratiam. Patet ex Conc. Flor. dicente, effectum huius ſacramenti eſſe peccatorum remiſſionem. Quamobrem verè Sacerdos illud applicando remittit peccata, & ex conſequēti primam gratiam confert.

CONCLVSIO.

Solus Deus remittit peccata principaliter. Ratio eſt, quia ſolus virtute propria remittit, & ſolus eſt vitæ, & mortis Dominus. Cauſa enim principalis eſt, quæ virtute propria, & non aliena operatur.

Prima Diffic. An Sacerdos virtute clauium poſſit pœnam temporalem pro peccatis debitam remittere?

Alex. Alē. q. 83. m. 5. D. Bona. S. Tho. Ric. & Dur. vbi ſu.

Communis eſt Doctorum ſententia d. 18. eſt tamen opinio Durandi eadem diſt. virtute clauium remitti nō amplius, quam quartam partem pœnæ.

CONCLVSIO.

Virtute huius ſacramenti aliqua pars pœnæ pro iam dimiſſis ſoluēdæ ex opere operato remittitur. Ratio eſt, quia cum Sacerdos virtute clauium habeat poteſtatem ligandi ad pœnam, habebit etiam remittendi illam. Clauis enim ad ligandum, & ad ſoluendum ſe extendit.

CONCLVSIO.

Virtute clauium non omnis pœna in purgatorio infligenda, ſed minima remittitur. Patet, quia cum ex opere operato non detur niſi minima gratia; non remittetur profecto niſi minima pœna. Non enim eſt maior ratio de vno quam de alio.

CONCLVSIO.

Tanta poteſt eſſe contritio; vt omnis pœna temporalis remittatur. Per contritionem enim non ſolum pro pœna æterna, ſed etiam pro temporali ſatisfacimus.

II. Diffic. An Sacerdos virtute clauium poſſit pœnitentem compellere ad pœnitentiam acceptandam?

Tres ſunt opiniones. Prima Scot. diſt. 18. & 19. qui tenet non obligari, niſi ſemel illam acceptauerit, & Gabrielis d. 16. q. 2.

16.q.2.dub.1.& 5.Syluest.verbo confessio 1.parag.27.& 28. Secunda est Caiet.in tractatu de satisfactione q.2.dicentis,nec teneri ad illam acceptandam, nec acceptam adimplere. Tertia est D.Tho.& Ric.& Magistri dist. 16.& aliorum multorum,qui affirmant teneri ad acceptandam pœnitentiam sub pœna mortalis peccati.

Ric.d.16.ar. 1.q.5.D. [illegible] na.q.1. & [illegible] Tho.ar. [illegible] ubi supr.

CONCLVSIO.

Tenenda est Richard.& D.Tho.opinio. Ratio est, quia clauis non solum data est ad absoluendum,verumetiam ad ligandum pœnitentem, & cum pœnitens iudicio sacerdotis quoad absolutionem à peccatis subiiciatur, subiicietur quoque quantū ad ligationem ad aliquam pœnam.

III.Diffic. *An Sacerdos possit quamcunque pœnitentiam, quã voluerit pro suo arbitrio imponere?*

CONCLVSIO.

Non potest,neque debet. Ratio est,quia non oportet, vt pœnitens satisfaciat pro tota pœna debita per pœnitentiã à confessore iniunctam, alioqui enim frustra esset purgatorium.

Vnde si pœnitentia esset intolerabilis,pœnitens non teneturobedire.

APPEN[illegible]

Dubium. An Sacerdos debeat imponere aliquam pœnitentiam sub consilio?

V.g.dicens pœnitenti, si volueris poteris hæc, aut illa præstare in remissionem pœnæ debitæ pro peccatis.

CONCLVSIO.

Recte facit imponendo.Ratio est, quia talis pœnitentia propter consilium Sacerdotis est magis meritoria, quam si ex sola mera voluntate illam efficeret. Hoc S.Thom.approbat,Paludanus, Syluester, & alii faciendum esse admonent.

IIII.Diffic. *An Sacerdos virtute clauium possit per quamlibet pœnitentiam redimere, totam pœnam in purgatorio luendam?*

Alexã.Ale. q.80.m.3d art.1.& 2. S.Tho.q.18 art.vlt. Cano in re[illegible] lectione de pœnitentia prope finem. Syl. verbo confes.§.2[illegible]

Vera est Scoti opinio d.18.q.2.dicentis,iudicium Sacerdotis non consistere in aliquo indiuisibili, vt per eum tota pœna purgatorii remittatur. Sed habet quæstio latitudinẽ: vt in aliis contractibus. Nam si sacerdos imponat plures dies pœnitentiæ,quam sint à Deo taxati tota pœna purgatorii redimetur,atque etiam si pauciores, quia Deus pronior est ad miserandum,quam ad puniendum.

CON-

CONCLVSIO.

Aut Sacerdos imponit pœnitentiam intra latitudinē iustā, aut citra aut vltra; si primū, redimetur tota pœna purgatorij vt acutissime probāt rationes Scoti. Si secundū, nó tota pœna sed pro rata remittetur, residuum vero in purgatorio soluetur, quia quando clauis errat, non acceptatur in cœlo Sacerdotis sententia. Si tertium, quod relinquitur, thesauro indulgentiarum applicatur.

CONCLVSIO.

Optimum erit consilium si Sacerdos imponat pœnitenti; vt indulgentias aliquas lucretur. quia per illas pœna purgatorij redimetur.

V. Diffic. An vnus Sacerdos possit pœnitentiam ab alio impositam relaxare?

Vide Syluestr. verb. confessio §. vigesimo septimo Distinguendum est. Si pœnitentia fuerit iusta, superior audita confessione, in qua fuit talis pœnitentia iniuncta, poterit illam relaxare, non autē poterit Sacerdos æqualis, quia par in parem non habet imperium; Si vero fuerit iniusta poterit tunc, quicunque confessor relaxare illam, iterum audiendo confessionem. hæc de clauibus.

FLORES QVAESTIONIS DE INDVLGENTIIS.

Lege Alex. Alen. 4. parte q. 83. Caiet. in tractatu indulgentiarum. DD. d. 20. S. Tho. q. 25. 6. & 7. Adria. in 4. in materia de indulgentijs. Eckius in Enchiridio cap. 24. Summistæ verbo indulgentiæ, & Pater à Castro verbo Indulgētiæ. contra Hæreses.

Art. I. An Ecclesia habeat potestatem concedendi indulgentias?

CONCLVSIO.

D. Bona. ar. 1. q. 2. Ric. art. 3. Duran. q. 3

HAEreticum est asserere; Ecclesiam non posse indulgentias concedere. Definita est in multis Concilijs in Constantiensi cōtra Ioannē Vvicleff, in Laterānēsi; vbi præscribitur Abbatibus, & Episcopis modus elargiēdi indulgentias, & numerus dierū. Et habetur in cap. cū ex eo. De pœnitentijs & remissionibus, & in Concilio. Trident. Sess. 21. cap. 9. & Sess. 25. in decreto de indulgētijs.

Prima

Prima diffic. Quid est indulgentia?

Variæ sunt indulgentiæ definitiones; de sententia tamen communi ita definitur.

CONCLVSIO.

Remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccato actuali iam dimisso, concessa existenti in gratia, data à Prælato Ecclesiæ de thesauro Ecclesiæ propter rationabilem causam. Ex hac descriptione multæ colliguntur appendices.

Prima ex illa voce (remissio) infertur, indulgentiam non esse tantum condonationem thesauri Ecclesiæ (vt ait Syluest. verbo indulgentia §. 2.) sed esse pœnæ remissionem virtute illius thesauri. vnde in Extrauag. Vnigenitus. indulgentia remissio nominatur. APPEN.

Ex particula (pro actuali iam dimisso) sequitur; indulgentiam non concedi pro originali, cui solum respondet pœna damni; indulgentia enim remissio pœnæ sensus est. APPEN.

Ex particula (iam dimisso) colligitur; pro culpa indimissa neminem indulgētias lucrari: quia illi debetur pœna æterna, quæ per indulgentias non remittitur. APPEN.

Ex particula (existenti in gratia) sequitur; indulgentiam non prodesse existenti in mortali, passio siquidem Christi, cuius virtute indulgentia conceditur, viuis membris, & non mortuis applicatur. APPEN.

Ex particula (à Prælato Ecclesiæ) colligitur, neminem à non suo Prælato posse consequi indulgentias. APPEN.

Ex particula (propter rationabilem causam) concluditur; indulgentiam absque causa concessam non valere quātum sonat, de qua re infra. APPEN.

Ex vltima particula (de thesauris Ecclesiæ) fit consequēs, indulgentiam esse quandam satisfactionem ex alienis operibus pœnalibus; vt si soluturo debitum Imperator, siue Rex tribueret ex ærario publico vnde posset soluere; ita Papa dispensat per indulgentias de Thesauro Ecclesiæ, vt Deo satisfaciamus. APPEN.

Secunda diffic. quantum valeant indulgentiæ?

Lege Alexandrum, Ric. Palud. vbi supra duas proponentes opiniones. Gloss. in cap. quod autem. de pœnitentiis, & rem. vbi quinque opiniones referuntur. Prima opinio dicit valere quoad Deum; non tamen quoad Ecclesiam vt leuius puniatur, id est indulgentia non liberat hominem à pœnitentia iniuncta, aut iniungenda, neque à totali pœna purgatorij; valent tamen; vt leuius illas obtinentes in purgato-

S. Th. q. 25. ar. 2. D. Bō. art. 1. q. 6. Ric. ar. 3. q. 1. 312. Dur. q 1est. 4.

purgatorio torqueantur. Secunda opinio, indulgentia non liberat nisi à residua pœnitentia, quando scilicet, peccatori secundum iudicium Dei non fuit sufficiens satisfactio imposita. Tertia opinio, scilicet, indulgentiæ valent ad remissionem pœnæ temporalis. Hac tamen lege; vt obtinens illam, tantam eleemosynam, totasque preces effundat, vt æquiualeant pœnitentiæ in hac vita, vel in purgatorio soluendæ.

Quarta opinio est, indulgentiæ solum valent ad relaxationem pœnitentię negligenter commissæ. Quinta opinio, Indulgentię tantum liberant à præcepto Ecclesiæ, non autem à pœna in purgatorio infligenda. Sexta opinio est Caieta. in tractatu ad Iulium Cardinalem, vbi ait; quod licet Papa possit concedere indulgentias, liberantes à pœnitentiis iniungendis, & à tali pœnitentia peccatorũ, tamen non liberabit nisi à pœnitentiis iniunctis peccatorũ, tam quoad Deum, quam quoad Ecclesiam. Vltima opinio est, Indulgentiæ tantum pœnæ temporalis relaxant, quantum fuit expresse per Indulgentias concessum; ita vt si annus concedatur, pœna in purgatorio luenda vnius anni remittatur. Innocentij est in cap. Quod autem & Adriani quomodo, de Indulgen. ibi. Sed potest vlterius. §. si quis dubitat.

CONCLVSIO.

Indulgẽtia non est absolutio à pœna luenda in purgatorio; sed est illius pœnæ recõpensatio. v.g. Ioannes erat in purgatorio per annũ passurus, & recõpensat illam pœnam per alienas passiones, Christi, scilicet, & sanctorum, quas Papa Thesauri Ecclesię dispẽsator illi per indulgẽtias applicat. Et ratio est; quia absolutio est gratuita remissio, & virtute indulgentiarum gratis pœna purgatorij non remittitur; vt constat, quemadmodum si quis satisfaciat creditori per alienam pecuniam quamobrem erit recompensatio, & noua absolutio.

CONCLVSIO.

Indulgentiæ tantum pœnæ temporalis relaxant, quantum fuit expresse per illas concessum. Hæc conclusio est definita, in Extrauagan. Vnigenitus vbi legitur Papã posse virtute thesauri Ecclesiæ, aut totalem, aut partialem pœnam temporalem pro peccatis luendam relaxare.

Tertia diffic. An qui consequitur indulgentias pœnitentiam iniunctam adimplere teneatur?

De hac disputat glosa in cap. Quod autem. de pœn. & remiss.

remiss. quam omnes Canonistæ sequuntur, cui non contradicunt Theologi.

CONCLVSIO.

Qui consequitur indulgentias non tenetur præcepto aliquo pœnitentiam adimplere. Patet, in cap. 11. ex eo de pœnit. & remiss. vbi dicitur, per Indulgentias eneruari pœnitentias iniunctas; quæ si non relaxarentur, non eneruarentur. Tum etiam, quia quod erat per pœnitentiam satisfaciendum per indulgentias satisfacimus. Intelligitur Conclusio de Indulgentiis concessis generaliter, vel specialiter de pœnitentiis tantum iniunctis.

CONCLVSIO.

Cuicunque obtinenti indulgentias consulendum est, vt pœnitentiam iniunctam adimpleat. Ratio est, quia opera pœnalia, & sunt satisfactoria, si existant in gratia pœnitentes, & medentur peccatori extenuando vitia. At vero Indulgentiæ solum sunt satisfactoriæ.

Quarta diffic. An quando conceditur indulgentia hac forma; Concedimus annum pœnitentiæ iniunctæ, intelligatur de pœna respondente in purgatorio, An de satisfactione respondente pœnæ in hac vita?

De hac differit Adrianus vbi supra, notabili, sed ex hoc petes vlterius. Et cum illo respondeo: tantum valent illæ Indulgentię, quantum valeret pœnitentia acta per annum in hac vita. Hinc collige aliquod Appendices.

Amplior est indulgentia, quę conceditur sub hac forma; Concedimus vnum annum pœnitentiæ iniungendæ, quā sub hac; remittimus vnū annū purgatorij. Ratio est, quia magis satisfacimus per opera pœnalia exhibita in hac vita. APPEN. 1.

Secundo Indulgentiæ, quæ communiter conceduntur in forma communi nulla habita ratione ad pœnitentias iniunctas, vt quando dicitur; Concedimus Quadraginta dies indulgentiarum remissionis peccatorum. incertum est, an æquiualeant Pœnitentiæ luendæ in purgatorio, an pœnitentiæ in hac vita agendæ. Ratio est, quia huiusmodi valor pendet ex intentione concedentis, quæ in bulla non exprimitur. APPEN. 2.

Quinta diffic. Quidnam significat illa clausula; Concedimus Indulgentiam plenariam? *Palu. q. 4. Adr. d. indulg §. pro intellectu.*

Nota indulgentiam aliquando dici plenam, aliquando pleniorem, quandoque plenissimam. Plena est, quando dimittitur omnis pœna pro mortalibus dimissis luenda, siue

sit pœnitentia iniuncta, siue non. Plenior, quando remittitur pœna pro mortalibus, & venialibus soluenda. Plenissima verò conceditur non solum pro pœna, verumetiam pro culpa venialium. Verum cum in via Scot. remissio venialium sit solutio pœnæ, idem erit plenior, & plenissima. At vero in via Palud. & Thomistarum tenentium ad deletionem venialis requiri aliquam virtualem pœnitentiam, vltra indulgentiam plenissimam necessaria: illa erit ad venialium deletionem, sed iam supra diximus, quomodo Scoti opinio, sit eadem cum Sancti Thomæ opinione.

Ric. ar. 3. q. 2. Adr. vbi supra not. sed probabili. B. Anton. de Flo. p. 1. tit. 10. cap. 3. § 3.

Sexta diffic. An eadem Indulgentia valeat magis vni, quam alteri?

CONCLVSIO.

Quando Indulgentia conceditur generaliter absque determinatione causæ, vt, si Papa dicat; elargientibus eleemosynam ad constituendam Basilicam conceduntur indulgentiæ Quadraginta dierum, tunc qui plus erogauerit: ampliorem consequetur indulgentiam quantum ad intentionem, sed omnes æqualem quantum ad extensionem. Ita exponunt Ric. Adrian. Antoninus, & Patet; per Extrauagantem Antiquorum, vbi Bonifacius V. ait; *Vnusquisque plus merebitur, & efficacius Indulgentiam assequetur, qui Basilicã Petri, & Pauli amplius, & deuotius frequẽtauerit.*

APPEN.

Hinc, si duo homines æque diuites, vnus elargiatur decē, alius viginti, singuli consequentur Quadraginta dies indulgentiarum, id est, singulis Quadraginta dies pœnarum remittentur: sed elargienti viginti valebunt illi Quadraginta dies, ac si duplo satisfecisset, etsi plus satisfacit, non erit virtute indulgentiarum. Notanter dicitur; æque diuites, quia potest contingere, vt pluris faciat Deus eleemosynam vnius oboli à paupere datam, quam 10. aureorum datam à diuite, vt patet de eleemosyna Viduæ paupercula.

Luca 21.

CONCLVSIO.

Quando indulgentia habet causam determinatam, vt quando dicitur; qui audierit missam Corporis Christi, cõsequetur Quadraginta dies indulgentiarum tantum. qui deuotius audierit, non ampliorem consequetur indulgentiam, quam qui minus deuotè audierit; quamuis plus gratiæ mereatur, non tamen virtute indulgentiarum plures dies remittentur vni, quam alteri. Ratio est, quia Indulgentia non proportionatur labori, aut deuotioni, sed meritis Christi iuxta voluntatem dispensantis, & cum dispensans non

non velit applicare nisi Quadraginta dies, siue sit magna, siue parua deuotio, non plus profecto indulgentiarum intensiue, aut extensiue, vnus, quam alius consequetur.

In vtraque Conclusione consideranda est intentio dispensantis, ita quod, si intentio sit; vt omnes sufficienter deuoti, & valde deuoti æqualiter indulgentiam consequantur, non plus consequitur vnus, quam alius. Si vero sit intentio; vt deuotius accedens, siue deuotius laborans consequatur indulgentias labori, & deuotioni respondentes, tūc plus, aut deuotius laborans plures indulgentias lucrabitur. Ratio est, quia Papa, qui est Thesauri Ecclesiæ dispensator rationabili causa existēte poterit cui voluerit, indulgentias impartiri. Vide Adria. cuius sunt hæc quomodo de Indulgen. notabili; sed probabili dubio. §. ex his omnibus. APPEN.

Septima diffic. Quidnam significat illa clausula, a culpa, & pœna?

CONCLVSIO.

Hæc clausula ortum habuit ab Extrauaganti; Antiquorum. Vbi Bonifacius V. ait, visitanti Basilicam Apostolorum concedimus plenissimam indulgentiam, & veniam omnium peccatorum suorum.

CONCLVSIO.

Virtute indulgentiarum remissionem culpæ consequitur nemo. Patet, Quia Indulgentiæ præsupponunt culpam dimissam; vt definitur in extrauaganti. Vnigenitus. Et in Extrauaganti Antiquorum. Non enim nisi contritis, & confessis conceduntur.

CONCLVSIO.

Hæc clausula significat consequenti Indulgentias remissionem peccatorum quantum ad culpam, & pœnam dari, diuersis tamen conditionibus. Quia culpæ remissionem obtinebit virtute contritionis; pœnæ autem virtute indulgentiarum.

Ar. II. Quibus meritis Thesaurus indulgentiarū aggregātur?

CONCLVSIO.

Sancti multa opera satisfactoria fecerunt, quibus ipsi ad satisfaciendum non indigebant; vel quia peccato carebant, cuius ratione temporaliter essent puniendi, vel quia pro peccatis dimissis plura opera satisfactoria, quam debebat Deo, obtulerunt. Iob 7. vtinam appenderentur peccata mea in statera, & calamitas, quam patior, quasi arena maris multo grauior appareret. Quo loco maiores pœnas pas- *Alexan. Alen. q. 62. m. 6. Durā. quæst. 5.*

ſum fuiſſe Iob, Spiritus Sanctus docet, quam eius peccata merebantur. Confirmatur exemplo Sanctiſſimæ Virginis, in qua nefandiſſimum eſt, culpam inueſtigare, & B. Ioan. Bapt. & aliorum ſanctorum, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, &c. Nam B. Virgo quanta paſſa eſt ſine peccato? & alij Sancti quot opera ſatisfactoria vltra debita præſtiterunt.

Apoc. c. 14.

CONCLVSIO.

Eccleſiæ Theſaurus ex ſuperabundantia meritorum Chriſti aliorumq; ſanctorũ aggregatur. Definita eſt in Extrauaganti. Vnigenitus, & multis locis Sacræ Scripturæ cõfirmatur. Vide Caſtrum Verbo Indul.

CONCLVSIO.

Eccleſiæ Theſaurus non conflatur ex operibus ſanctorum, quatenus ſunt gratiæ & gloriæ meritoria, ſed vt ſunt ſatisfactoria. Ratio eſt, quia Papa non dat indulgentias ad gratiæ augmentum, ſed ad pœnæ remiſſionem.

CONCLVSIO.

Sancti hoc animo expreſſo, aut virtuali, opera ſatisfactoria ſupererogationis exhibuerunt; vt nobis in remiſſionem pœnæ temporalis applicarentur. Patet ad Coloſſen. 1. Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, & Chriſtianorum (vt B. Tho. declarat) in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.

Coloſſ. 1.

CONCLVSIO.

Papa applicare, & diſpenſare Chriſti, & Sanctorum opera, quæ quantum ad ſatisfactionem non ſunt à Deo remunerata, in ſatisfactionem pro alienis peccatis poteſt. Vſus enim & Eccleſiæ authoritas confirmat, & D. Paul. dicens, Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores, &c. & cap. 9. diſpenſatio mihi credita &c.

1. Cor. 4.
1. Cor. 9.

Vide Caieta. in tractatu de Theſauro indulgentiarum. In hac difficultate refutantur Hæretici præſertim Lutherani, quorum initium fuit contemptus indulgentiarum, & Catholici, Ioan. de Mayro. d. 19. & Dur. d. 20. affirmantes, quod licet Papa poſſit indulgentias concedere, non tamen Theſaurus indulgentiarum meritis ſanctorum nititur. Eſt tamen hæc opinio condemnata in Extrauagante. Vnigenitus.

Mayro. & Duran. caute legendi.

I. diffic. An requiratur ſufficiens cauſa ad dandas indulgentias?

Alexan. Alen. q. 83. m. 4. & 7.

Duæ ſunt opiniones, Prima affirmat Papam peccare, ſi abſque

absque vlla causa aliquem plenissime absoluat pœnitentem tamen, si fuerit recte dispositus consequi remissionem ita vt si tunc moriatur in cœlum migrabit. Palu. est q. 3. ar. 1. vbi supra, & Mayro. opinio est contra Extrauagantem. Vnigenitus. Vide. Adrianum de Indulgentiis, notabili, sed probabili dubio. Secunda opinio est opposita, quam refert Caiet. tenens causam rationabilem concessionis indulgentiarum debere esse æquiualentem indulgentiis.

S. Tho. q. 25 ar. 3. D. Bona. d. 20. q. 4. Adr. vbi supra. §. respõde ad primis & idem S. Tho. 22. q. 66. art. vlt. ad. 2.

CONCLVSIO.

Vt indulgentiæ valeant sufficiens causa in obtinente indulgentias desideratur. Ratio est, quia in his quæ sunt iuris Diuini nõ potest Papa absque rationabili causa dispẽsare, vel commutare, vt in voto, & iuramento, & pati pœnam temporalem pro peccatis dimissis, de iure Diuino est.

CONCLVSIO.

Sufficiens, & rationabilis causa indulgentiarum erit quantitati ipsarum commensuranda, ita vt maior indulgentia maiore causa indigeat. Definita est Cõclusio in cap. ex ea. de pœnit. & remission. & in Extrauagante. Vnigenitus.

D. Bona. q. vlti. ad vlt. & Adr. §. ex his dico.

Hinc, Indulgentiæ, quæ minima de causa conferuntur non tantum valent, quantum sonant, quia non commensuratur causa quantitati indulgentiarum. APPEN.

Secunda dif. Huiusmodi Indulgentiæ valebũt ne saltẽ aliquid?

CONCLVSIO.

Valebunt quidem secundum proportionem causæ, quia indulgentia debet causæ proportionari.

Hinc, melius erit recitare orationem, ob quam conceditur indulgentia, quia saltem valebit iuxta proportionem causæ. APPEN.

Hinc, communis sententia, qua dicuntur Indulgentiæ valere quantum sonant. intelligenda est, si causa sufficiens interueniat, alioquin iuxta causæ sufficientiam valebunt. APPEN.

CONCLVSIO.

Rom. Pont. indulgentias concedere non potest nisi causam concessionis honori sanctorum, & Christi Iesu applicet, aut in publicos & pios vsus referat, debet enim eleemosynam, ob quam indulgentia plenaria conceditur, applicare, vel ad ædificandam alicuius Sancti Basilicam, vel in fauore fidei, ad redemptionem scilicet captiuorum, expugnãdamúe Mahometicã sectam, vel in publicam vtilitatem, scilicet, vt persona publica. v. g. Romanus Pont. recte Eccle-

ſiam gubernet, vel vt hoſpitale aliquod ædificetur, quæ pia cauſa eſt.

APPEN. Hinc, non poterunt indulgentiæ applicari ad ædificandam arcem regiam, vel ad erigendos ciuitatis alicuius muros. Ratio eſt, quia quamuis ſint publica ædificia, non ſunt pia. Nam vſus pius eſt, quando aliquid ex operibus miſericordiæ corporalis interuenit, quale opus eſt mortuos ſepelire, infirmos viſitare &c.

Adr. & Caiet. vbi ſupra.

Tertia diffic. An requiratur in recipiente indulgentias alia diſpoſitio a gratia?

CONCLVSIO.

Exiſtenti in gratia, qui parum, aut nihil curat operibus pœnalibus pœnam purgatorij redimere, non proſunt indulgentiæ. Ratio illius eſt, quia qui ſibi non opem fert, auxilio, & ope amicorum indignus eſſe cenſetur.

APPEN. Hinc, vt quis indulgentias conſequatur: Primum deſideratur animus paratus ad ſatisfaciendum Deo, vel per ſe, vel per aliud. 2. deuotio, ſcilicet, reuerētia, & intenta voluntas placandi Deum per ſanctorum merita, nec tam intendere debet pœnā redimere, quā Deū placare, & illi ſatisfacere.

Magiſter Soto tenet contrariam opinionem, ex cuius ſententia fit Concluſio. Proderunt & illi indulgentiæ. Ratio eſt, quia iure amicitiæ tenetur amicus amici quoque defectus ſupplere.

IIII. dif. An tempore, quo quis elargitur eleemoſynam aſſignatam pro indulgentia, ſit neceſſarium, vt in gratia exiſtat, An tempore quo plenarie abſoluitur?

Similis quæſtio eſt de Iubileo v. g. datur Iubileus omnibus peregrinis, ſi per 15. dies viſitauerint Baſilicam Apoſtolorum. ſi peregrinus in medio itineris in mortali exiſtat viſitando poſtea Eccleſias conſequeturne indulgentias?

Duæ ſunt opiniones. Prima eſt B. Antonini in 2. p. titulo 2. cap. 3. §. 5. verſiculo, Qui rite. tenentis non eſſe neceſſarium, vt operans ſit in gratia tempore, quo fit opus ad indulgentiam conſequendam. Secunda opinio, eſt Caiet. tractatu de indulgen. quem videtur ſequi Adrian. q. ſed probabili dubio, verſiculo neceſſarium &c.

CONCLVSIO.

Si opus conſequendi indulgentias eſt cauſa immediata, ita, vt tempore, quo ſit opus indulgentia concedatur: neceſſarium eſt operantem in gratia exiſtere. Patet ex forma conceſſionis, dicitur enim in diplomate, & in Extrauaganti

uaganti Antiquorum. Qui pœnitens fuerit & visitauerit Basilicam Petri, & Pauli, indulgentias consequatur, & in hoc sensu est vera Caiet. opinio.

CONCLVSIO.

Quando opus non est immediata causa, & propinqua concedendi indulgentias, non est necessarium opus in gratia fieri, vt si dicatur in bulla, qui duos argenteos elargitus fuerit semel in vita & in mortis articulo plenariam absolutionem omnium peccatorum consequatur. Ratio est, quia ex tenote bullæ non colligitur, vt tempore, quo Christianus duos argenteos tribuerit, sit in gratia. Cum igitur Rom. Pont. non concedat bullam sub hac forma, talis lex non erit ponenda, & in Extrauaganti. Antiquorũ. expresse definitur, veraque est opinio B. Antonini in hoc sensu.

CONCLVSIO.

Etsi ad consequendas indulgentias, quæ in bulla continentur, tempore receptionis status gratiæ non requiratur, nihilominus tamen, vt actus sit moraliter, bonus desideratur. Bulla enim non debet pro opere male, quale est opus moraliter malum concedi, habenti enim propositum peccandi mortaliter, nempe, quia volo peccare deinceps illam accipio (nam si dicat, si forte peccauerim, actus prudentiæ est, oppositum, scilicet, non peccabo, esset temerarium) bulla suffragari non debet, vel sumenti illam ob quæstoris importunitatem, siue ob gloriam vanam, siue alia sinistra intentione, quæ bonitatem moralem ab opere auferat. *Adrian. est.*

Hinc, consulẽdum est omnibus Christi fidelibus, vt tempore, quo recipiunt bullam cum proposito confitendi confiterantur, quod efficere tenẽtur Bullarum promulgatores. APPEN.

CONCLVSIO.

Etiamsi existens in mortali non possit sibi indulgentias consequi, nihilominus tamen poterit alteri illas consequi, si in bulla expresse contineatur. Ratio est, quia, vt potest aliquis consequi indulgentias per ministrum peccatorem eleemosynam elargiendo, ita potest applicare indulgẽtias alicui existenti in gratia, quamuis erogans eleemosynam sit in M. Eleemosyna enim erogata à peccatore pro anima existente in purgatorio, est satisfactoria authore Caiet. vbi supra in solutione ad vlt. quamuis oppositum huius conclusionis teneatur.

V. diffic. An eleemosyna pro bulla Cruciatæ oblata sit sufficiens causa comparandi omnes illas indulgentias? *Alexan.* *Alen. q.*

CONCLVSIO.

83.m.7. S. Tho. q. 25. art. 3.

Est quidem sufficiens causa ad consequendas omnes indulgentias in illo diplomate contentas. Confirmatur, quia diploma conceditur toti Hispaniæ, & omnibus regnis Inuictissimi Regis nostri Philippi pro ingenti Thesauro, qui explicatione diplomatis ad expugnandos Turcas aggregatur, & cum tantus Thesaurus non possit ab vno offerri, hac de causa omnibus, qui partem illius Thesauri soluerint conceditur. Quemadmodum esset sufficiens causa si Rex 100000. ducatos Rom. Pont offerret, vt illas indulgentias omnibus regnis Hispaniæ conferret, etiamsi Rex postea à singulis ciuibus partem illius summæ exigeret, & Confirmatur, nam (inquit Caiet. in tractatu ad Iul. Cardinalem) Papa die Paschatis omnibus in platea S. Petri existentibus benedictionem impartitur, statimque duo Cardinales plenariam indulgentiam denuntiant, cuius indulgentiæ hanc esse licet sufficientem causam, scilicet, quia omnes illi fidē Romanæ Ecclesiæ protestantur: Ita quoque hic soluentes duas dragmas argenteas fidem Christi, & Ecclesiæ aduersus infideles protestantur, atque ita erit sufficiens causa cōcedendi, & consequendi tot indulgentias.

Oppositum defendunt, Doctissimus Victoria, & Magister Soto dicentes continere huiusmodi diplomata intolerabilem errorem, propterea quod pro minima eleemosyna amplissimæ indulgentiæ conceduntur.

Art. III. Qui potest indulgentias concedere?

CONCLVSIO.

Alexan. Alen. m. 3. S. Tho. q. 26. reliqui. d. 20 D. Bona. q. 3. Ric. ar. 5. Dur. q. 55.

Summus Pont. & Concilium, Patriarchæ, Primates omnibus sub primatu, Patriarchatu, existentibus. Archiepiscopi omnibus suis subditis, & suffraganeorum, & Episcopi omnes suis subditis etiam delegatis indulgentias concedere possunt. Communis est sententia Doctorum, & confirmatur per cap. Quod autem. per cap. Nostro de pœnitentiis & remiss. & per Extrauagantem Vnigenitus. In his enim omnes partes huius Conclusionis definiuntur.

CONCLVSIO.

Episcopus non tantum presentatus, sed electus nondum consecratus nondum sacris initiatus indulgentias concedere potest. Ratio est, quia electus ad Episcopatum ante consecrationem habet iurisdictionem, quæ sola est satis ad indulgentias concedendas.

CON-

CONCLVSIO.

Generales ministri Ordinum, & Prouinciales per concessionem Rom. Pontificis habent authoritatem concedendi indulgentias. Patet ex concessionibus diuersorum Pontificum, quæ in compendio priuilegiorum nostri ordinis assignantur.

CONCLVSIO.

Nullus Episcopus potest alicui non sibi subdito, nisi ex facultate proprij Episcopi indulgentias concedere. Definita est expresse in cap. quod autem. de pœnitentia & remissione.

CONCLVSIO.

Indulgentiæ ab Archiepiscopo concessæ comitantibus Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, quando infirmis defertur, non prosunt peregrinis, qui Eucharistiam comitantur. APPEN.

CONCLVSIO.

Omnes isti à Rom. Pont. non possunt nisi Quadraginta dies ex rationabili causa, vel annum indulgentiarum ratione ædificandi aliquam Basilicam concedere. Definita est in cap. Cum ex eo. de pœn. & remiss.

CONCLVSIO.

Quicunque Prælatus habens subditos, vt Guardianus, vel Prior &c. potest opera satisfactoria superabundantia suorum subditorum, cui voluerit applicare, licet indulgentias non possit concedere. Nam vt Christus Iesus dolores nostros tulit, ita & nos debemus alter alterius dolores portare. Coloss. Gaudeo in passionibus pro vobis &c. *Coloss. 1.*

Thom. Vualdensis tomo 3. de sacram. titu. 10. confutat errorem Vvicleff, qui hanc suffragiorum applicationem irridebat. *Hæresis.*

I. diffic. Potéstne Papa existentibus in M. indulgentias concedere? *S. Tho. q. 27. ar. 1. Ric. q. 1. ar. 4. Dur. quæst. 4.*

CONCLVSIO.

Non potest de plenitudine potestatis existentibus in M. indulgentias concedere. Ratio est, quia indulgentia est applicatio passionis Christi ad satisfaciendum pro peccatis dimissis, & passio Christi nō membris mortuis sed amicis, & viuis, idest, in gratia existentibus applicatur.

II. diffic. An Papa possit sibi indulgentias concedere? *Ric. ar. 4. q. 2. Pal. ar. 3. quæst. 4.*

CONCLVSIO.

Quicunque Prælatus à Papa potest consequi indulgentias,

tias, quas ipse aliis concedit. Ratio est, quia non sunt dete-rioris conditionis, quam alij Christiani, vt illis merita Chri-sti, & aliorum sanctorum ad satisfaciendum pro pœna temporali prodesse non possint.

Ric. & Palud. est.

Dubium. Quomodo illas consequi potest?

Respondeo non potest concedere sibi indulgentias di-recte, potest tamen vti indulgentiis, quas aliis dedit, præstan-do, quod aliis faciendum imposuit.

Ricar.

CONCLVSIO.

Papa, vt subdit se sacerdoti, quē elegit: vt à peccatis eum absoluat, potest se subdere alij, & concedere illi facultatem donandi sibi indulgentias, etiam circa confessionem. Ratio est, quia concedere indulgentias est actus iurisdictionis, & nullus supra seipsum iurisdictionem habet.

Alexan. Alen in 3. ad vltimū.

III. Diffic. Possuntne exempti a iurisdictione Episcopali lu-crari indulgentias ab Episcopo concessas?

Palud. vbi supra tenet exemptos, vt sunt Religiosi viuen-tes intra iurisdictionem alicuius Episcopi, posse consequi indulgentias ab illo concessas. Ratio est, quia suffraganei consequuntur indulgentias à Metropolitano concessas, etiamsi, illi immediate non subiiciantur.

CONCLVSIO.

Dubia, & anceps est hæc difficultas. Patet, quia indul-gentia est absolutio à pœna iniuncta, vel iniungenda, à qua solus superior potest absoluere, vt dicitur in cap. quod au-tem. de pœn. & cum potestas soluendi competat cui con-uenit potestas ligandi, & econuerso, & Episcopus non po-test ligare exemptos, neque soluere poterit.

Caiet. q. 1. de thesauro indulgent.

IIII. Diffic. Sitne actus imperfectionis indul-gentias quærere?

CONCLVSIO.

Qui querit Indulgentias, vt pœnalia opera fugiat, imper-fectionis actum exercet. Ratio est, quia huiusmodi actus est peccatum. Cum quærat indulgentias amore rerum dele-ctabilium, & odio temperantiæ, cuius actus sunt opera pœ-nalia, appetitui carnis opposita, & hic non consequitur in-dulgentias.

CONCLVSIO.

Quærere illas ea intentione, vt Deo satisfaciamus, & cæ-lestis patriæ desiderio, ne in purgatorio remoremur, actus perfectionis est. Nam est finis optimus, & cuius rei finis bo-nus est, res quoque bona esse censetur

V. Diffic.

V. Diffic. Possintne animabus in purgatorio existentibus indulgentiæ concedi?

Alexan. Alen. m. 5. reliqui d. 20. 5. D. Bona. q. 5. Ric. ar. 3. q. 3. Pal. q. 4. art. 3. Caiet. vbi supra q. 5. & 6.

Rom. Pont. potest thesaurum Ecclesiasticum animabus purgatorij communicare. Ratio est, quia non potest aperire illis cœlestem ianuam, nisi merita sanctorum ad satisfactionem applicando.

CONCLVSIO.

Hoc non potest authoritatiue efficere, iam enim sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ militantis, in quam solum iudicariam potestatem habet.

CONCLVSIO.

Potest per modum suffragij illis indulgentias concedere. Ratio est, quia tantam potestatem habet super opera pœnalia sanctorum, quantam priuata persona super propria opera, &c, vt potest quis orationes, ieiunia, & alia id genus opera pœnalia animabus purgatorij ad soluēdam pœnam temporalem debitam applicare, ita & Rom. Pont. eisdem animabus sanctorum passiones &c.

CONCLVSIO.

Indulgentiæ animabus purgatorij concessæ non de rigore iustitię, sed ex Dei misericordia illis prosunt. Ratio est, quia non sunt subiectæ Rom. Pont. & redimere aliquem non sibi subditum non est in potestate liberantis, sed ex creditoris beneficio dependet.

VI. Diffic. Sitne aliqua dispositio præter gratiam necessaria, vt indulgentias consequantur?

Caiet. q. 5. art. 3. vbi supra.

CONCLVSIO.

Suffragia vniuersaliter oblata omnibus animabus plus, aut minus secundum Diuinam dispensationem prosunt. Ratio est, quia cum sint capaces auxilij sanctorum, & participes timentium Dominum, possunt quidē spiritualibus eleemosynis iuuari iuxta Dei beneplacitum. *Psal. 118.*

CONCLVSIO.

Suffragia in particulari pro anima alicuius iusti oblata non prosunt illi, nisi dum vixit, vno ex tribus modis istud meruit, vel quia viuens opera satisfactoria exercere conabatur, vel quia peculiarem habuit erga Ecclesiam Romanam deuotionem cōtra hæreticos pugnando, vel quia dum vixit, pia quadam misericordia erga animas defunctorum afficiebatur. Ratio est, quia indignum est, vt illa anima alienis operibus iuuetur, quæ vel pro se satisfacere spreuit, vel Ecclesiæ claues contempsit, vel nullam defunctis misericordiam

B. Aug. in lib. de cura pro mortuis agenda, est enchiridio cap. 109.

cordiam præstitit, &c. Confirmatur per Canonem. Non æstimamus 13.q.2. Hæc opinio satis probabilis est. cõtraria tamen sententia magis pia est, & absque erroris periculo defendi potest.

DD.dist.25 D.Bonau. & Ric.ar.2. Dur.q.1.

VII.Diffic. An viuorum suffragia defunctis in purgatorio existentibus prosint?

CONCLVSIO.

2.Machab. cap.12.

Prósunt quidem viuorum orationes, ieiunia, & eleemosynæ. Patet Machab.12. sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, id est, à pœna temporali pro peccatis debita.

CONCLVSIO.

Negligentia hæredis non nocet defuncto, si ipse non potuit viuens pro seipso satisfacere. Ratio est, quia aliena peccata alteri ad pœnam non imputantur.

Ric.q.2. D. Bonau.q.3. & 4. vbi supra.

VIII.Diffic. Prosúntne suffragia pro vna anima oblata omnibus animabus in purgatorio existentibus?

CONCLVSIO.

Prosunt omnibus quantum ad diminutionem pœnæ intensiue. quia, cum sint in charitate, gaudent cum gaudentibus animabus per suffragia liberatis, & illis congratulantur, quod quidem gaudium expellit aliquam intensionem tristitiæ ex tormentis prouenientem.

CONCLVSIO.

Non prosunt autem aliis animabus ad diminutionem pœnæ extensiue quia, vt apud homines satisfactio pro vno debitore exhibita non liberat alios, neque prodest, ita satisfactio oblata Deo pro vna anima alias non liberabit.

D.Bona.qõ. 3.Ric.q.3. art.5.Dur. qõ.3.Scot. quolib.20.

IX. Diffic. Prosúntne suffragia vniuersalia pro omnibus animabus oblata, ac si pro vna sola offerrentur?

Fuit opinio Præpositiui asserentis partem affirmantem.

CONCLVSIO.

Non prosunt singulis illa suffragia, ac si pro vna sola offerentur. tunc enim Sacerdos obligatus pro duobus defunctis satisfaceret semel pro ambobus celebrando, quod est falsum. Tum etiam, quia meritum finitum, (vt ait Scotus) est gradus satisfactionis ex opere operato per missam collatus, Si totum vni detur, nihil alteri dandum remanebit.

CONCLVSIO.

Suffragia oblata pro omnibus, aut pluribus animabus singulis iuxta intentionem offerentis diuiduntur. Deus enim

nim diuidet secundũ animum offerẽtis, ideoque determinauit Ecclesia, vt alia sacrificia pro pluribus, alia pro singulis offerantur.

X. Diffic. An suffragia ab existentibus in M. facta defunctis prosint? DD. dist. 45 D. Bona. q. 2. art. 2. Ric. q. 4. art. 2. Dur. q. 1.

CONCLVSIO.

Sacrificium Missæ à malo Sacerdote oblatum defunctis prodest. Quia ex opere operato est satisfactorium illi, pro quo offertur, offertúrque nomine, & intentione vniuersalis Ecclesiæ, cuius oblatio semper est Deo grata.

CONCLVSIO.

Opera satisfactoria à peccatore, vt à causa principali oblata defunctis non prosunt, qualia sunt ieiunium, oratio &c. constat Isaiæ 1. cap. & cum multiplicaueritis orationem vestram non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plæne sunt &c. *Isaia 1.*

CONCLVSIO.

Existens in P. M. si offerat eleemosynas ex imperio alicuius iusti pro animabus pugatorij, erunt tales eleemosynę satisfactoriæ. Quia quando causa principalis est Deo accepta, qualis est intentio meritoria iusti, malitia ninistri operis virtutem non destruit.

XI. Diffic. An orationes æternaliter damnatis aliquo modo prosint? Dur. q. 2.

D. Bon. recitat quatuor opiniones, 4. & Catholica hac conclusione continetur.

CONCLVSIO.

Damnati nullo modo viuorum suffragiis iuuantur. in inferno enim nulla est redemptio, & qui pro illis oraret, peccaret. quia contra voluntatem Domini oraret.

FLORES DE EXCOMmunicatione.

DD. d. 18. Alexan. Alen. qõ. 81. & 2. Alexan. Alen. D. Bõ. art. 1. q. 1. Ricar. art. 3. Dur. q. 3.

QVAESTIO VNICA.

Art. I. An Ecclesia habeat excommunicandi authoritatem?

CONCLVSIO.

Ecclesia habet authoritatem excommunicandi excommunicatione maiori rebelles, & contumaces sibique inobedientes. Patet. Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus &c. si Ecclesiam non audierit, sit tibi tãquam ethnicus, & publicanus. *Matth. 18.*

licanus. Nam vt ethnici non admittũtur, vt sacris intersint, ita & excommunicati à communione fidelium expellun-
2. Ioan. 10. tur. Dicit enim B. Ioannes si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non habet, nolite recipere eum in domo, nec aue ei dixeritis.

CONCLVSIO.

Excommunicatio salutaris, & medicinalis pœna esse dicitur. Definita est per Concilium Lugdunense cap. 1. de excommunicatione, in 6. vbi dicitur, Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans non eradicãs, dum tamen is, in quem lata fuerit non contemnat &c. Et
1. Cor. 5. B. Paul. 1. ad Cor. 5. decreui tradere huiusmodi hominem sathanæ, vt spiritus saluus fiat in die Domini &c.

Hæresis. Hinc, confutatur hæresis Vvicleff, cui adhæsit Lutherus, qui, qui asserebat; Ecclesiam potestatem excommunicandi & priuandi aliquem bonis spiritualibus minime habere. Contra hanc Pater à Castro, Verbo excommunicatio disputat.

APPEN. *Gabriel caute legendus.* Hinc, colligitur caute legendum esse Gabrielem 18. q 2. qui affirmat duo, primum est, hominem per quodcunque peccatum mortale esse excommunicatum minori excommunicatione, ita vt excommunicatio minor quantum ad hoc à peccato mortali non differat, quod est falsum. Quia excommunicatio minor tollitur per absolutionem sacramentalem, & non indiget contritione, at vero ad remissionem mortalis vtrumque desideratur.

Secundum est, scilicet, Ecclesiam per sentẽtiam excommunicationis maioris neminem damnificare, aut suis suffragiis priuare, sed solum per suam sententiam declarare hominem peccatorem, esse ratione peccati mortalis priuatum, hoc autem est erroneum. Nam ab Ecclesia sunt orationes institutæ pro existentibus in mortali, vt est illa; Deus qui iustificas impium &c. nulla tamen est oratio pro excõmunicato instituta, quamobrem Ecclesia aliquo suffragio priuat excommunicatum, à quo peccantes mortaliter minime excludit.

1. Diffic. An effectus excommunicationis ex iure Diuino sequatur, vel solum sit effectus ex Ecclesiæ institutione?

Opinio Almayn d. 18. q. 1. est esse de iure Diuino ita vt hæreticus ipso facto sit excommunicatus.

CONCLVSIO.

Effectus excommunicationis iuri Diuino sunt consentanei,

tanei. Constat ex vtroque testamento Ioan. 9. Pharisæi enim instituerunt, vt qui Christum Dei filium confiteretur, à Synagoga excluderetur. & Matth. 18. sit tibi tanquam ethnicus, &c. *Ioan. 9. Matth. 18.*

CONCLVSIO.

Cum sint tres excommunicationis effectus, scilicet, priuatio generalium suffragiorum, exclusio à communione fidelium, & priuatio participationis actiuæ, & passiuæ sacramentorum; Duo priores non comprehendunt excommunicatum ex iure Diuino, sed tãtum ex Ecclesiæ institutione. Ratio est, quia solus effectus posterior fuit à Christo institutus, & Ecclesia non potest dispensare, vt aliquis excõmunicatus recipiat Sacramenta cum ratione excommunicationis obicem ponat, dispensat tamẽ de facto, vt excommunicatus cum domestico communicet, & pro eo preces fundantur.

Hinc, collige, Excommunicationem à iure Diuino, modum autem excommunicandi esse à iure Ecclesiastico. s. vt non manducent cum illo, neque illum salutent &c. APPEN.

Hinc, Episcopus vel Prælatus non poterit dispẽsare cum aliquo, vt cum excommunicato communicet, nisi prius absoluatur, præterquam in casibus à iure concessis, nempe, vtile, &c. quia quod incurrat excommunicationem minorem est de iure, & inferior in ius superioris dispensare non potest. Soto d. 22. 4. q. 1. ar. 1. sine discrimine affirmat omnes effectus excommunicationis esse ex iure tantum Ecclesiastico. APPEN.

II. Diffic. *An excommunicatio semper pro mortali tantum sit ponenda?*

CONCLVSIO.

Nunquam incurritur excommunicatio, nisi excommunicatus mortaliter peccet. Ita definitum est in Cõcilio quodam generali expresse, & refertur, in Cano. Nemo Episcoporum 11. q. 3. *Alexan. Alen. q. 81. m. 3. D. Bo. q. 2. Ricar. art. 3. q. 2. Duran. q. 3.*

CONCLVSIO.

Quatuor sunt casus, in quibus homo ab excommunicatione excusatur; quia obedire minime tenetur, primus est, quando excommunicatio cõtinet intolerabilem errorem. V. g. quando aliquid in ea præcipitur contra ius Diuinum, naturale, aut positiuum, tunc enim non tenetur subditus obedire.

Hinc, si alicui præcipitur absque legitima causa, ne à credi- APPEN.

ditoribus debitum petat, non tenebitur obedire, & de ſimilibus, ſimile eſt iudicium.

II. caſus ſi excommunicatio pro re minima inferatur, vt ſi excommunicentur non reddentes pretium vuarum ex aliena vinea. qui vuas valentes quatuor dipondiis ſumpſit, non excommunicabitur. etiamſi pretium non reddat. Ratio eſt, quia ex tranſgreſſione leue ſequitur nocumentum, niſi plures ſeparatim alienam vineam deuaſtauerint, tunc namque graue nocumentum eſſet non reſtituere, atque ita excommunicatio ligaret.

III. caſus, quando quis non poteſt obedire ſine maximo detrimento, vt ſi, præcipiatur reſtitutio laboranti inopia, hic enim vt à præcepto Diuino, ita ab Eccleſiaſtico excõmunicationis excuſaretur. Animaduerte, quam primum, poterit ad reſtitutionem obligari, alioquin eadem excommunicatione ligabitur. Præterea nota, manere excommunicatum, qui tempore excommunicationis potuit reſtituere, & noluit, etiamſi poſtea reſtituere non poſſit, erit nihilominus abſoluendus à Iudice præſtito iuramento de reſtituendo quam primum poterit.

IIII. caſus, quando aliquis retinet alienum titulo recompenſationis, licet enim peccauerit accipiendo, nõ tamen ad reſtitutionem tenetur, quia alienum non retinet. Quare cum iure naturali à reſtitutione excuſetur, ſimiliter ab excommunicatione liberabitur.

APPEN. Ex his omnibus collige, poſſe excommunicationem inferri ad vitandum incommodum temporale, quando. ſ. ille qui tenetur vitare, non vitando mortaliter peccat.

III. Diffic. An ignorantia iuris, aut facti ab excommunicatione excuſet?

CONCLVSIO.

Quando aliquis inuincibiliter ignorat, ſitne factum excommunicationi ſubiectum, excõmunicationem minime incurrit. Definita eſt in cap. ſi vero. 2. de ſententia excommunicationis, de eo qui occidit Clericum non geſtantem tonſuram, neque habitum clericalem, & comam nutrientem, qui liber eſſe ab excommunicatione cenſetur, quia inuincibiliter illum eſſe clericum ignorabat.

CONCLVSIO.

Qui inuincibiliter excommunicationem generalem latam à Prælato ignorat, qua aliquid cauetur, non eſt excommunicatus, quamuis in illud incidat. Ratio eſt, quia cum non ſit

non sit admonitus, non est inobediens, & ex consequenti non manet excommunicatus.

Hinc, qui inuincibiliter aliquod statutum Episcopale ignorat, quo aliquid sub excommunicatione prohibetur, non illam incurrit. Ita expresse definitum est in cap. Vt animarum periculis, De constitutionibus. APPEN.

Hinc, si statuto Diœcesani, ne quis furetur, aut quid simile præcipiatur sub excommunicatione, qui illud inuincibiliter ignorat, vt laicus, nequaquam eam incurrit. APPEN.

IIII. Diffic. *An ignorantes inuincibiliter excommunicationes iuris communis, & committentes crimina per illas prohibita sint excommunicati?*

Vt est excōmunicatio iuris cōmunis latę sentētię aduersus contrahentes in gradu prohibito, & aduersus hæreticos &c.

Duæ sunt opiniones. Prima ascribitur Scoto in 4. d. 6. quæstione. 8. qua dicitur, committentes aliquod delictum mortale iure diuino prohibitum, propter quod, à iure communi excommunicatio imponitur, excommunicationem ignorantes illam incurrere, vt constat de eo, qui percutit clericum, & ignorat. Cano. si quis suadente &c. & loquitur opinio generaliter de quacunque pœna canonica, & fuit opinio glossæ in textu cap. A nobis 2. de sententia excommunicationis, quam amplexus est Adr. q. 3. de Clauibus.

Contraria opinio est Panor. in cap. A nobis citato & Syluest. verbo excommunicatio 2. §. 3. & verbo excommunicatio vltimo §. 3. vbi citat alios Doctores eiusdem opinionis.

CONCLVSIO.

Ignorans inuincibiliter ius commune, quo excommunicatio contra facientes aliquid iure diuino prohibitum imponitur, quamuis illud efficiat, non erit excommunicatus. Ratio est, quia excommunicatio non infertur propter inobedientiam in Deum, sed in Ecclesiam, & qui ita excommunicationem iuris communis ignorat, non est Ecclesiæ inobediens, cum non sit admonitus, & ex consequenti non erit excommunicatus.

V. Diffic. *An excommunicatio possit poni pro inobedientia præterita?*

Caie. 2. 2. q. 69. art. 2. tenet, posse aliquem pro crimine præterito excommunicari. *Alexan. Alen. q. 81. m. 3.*

CONCLVSIO.

Excommunicatio non potest ferri pro peccato præterito, sed

to, sed pro futuro tantum. Ratio est, quia excommunicatio non fertur nisi contra contumaces post admonitioné, & admonitio non fit, vt peccatum præteritum caueatur, quia quod factum est, infectum reddi non potest, sed ad cauendum peccatum futurum. quid? quod fortassis qui peccauit, iam contumaciam deposuit.

Art. III. De effectu excommunicationis?

Ric. toto ar. 7. Dur. q. 3. & 3.

Animaduerte varios esse excommunicationis effectus, quidam enim sunt in foro conscientiæ, alij autem in foro exteriori. De quibus longissime Authores summarum disputant. In foro conscientiæ sunt tres effectus, nam aut priuatur excommunicatus actiua, & passiua Sacramentorum participatione, aut suffragiorum participatione, aut fidelium communione.

I. Diffi.. An Sacramentum ab excommunicato receptum sit nullum?

Hæc difficultas de solo Sacramento Pœnitentiæ intelligitur, nam de aliis dubitat nemo.

Duæ sunt extremæ opiniones, Prima Angeli, quem Caieta. Verbo solutionis impedimenta, in summa sequitur, nempe excommunicatum excommunicationis conscium verum sacramentum suscipere, quod recedente fictione suũ sortitur effectum, quamuis mortaliter suscipiendo absolutionem peccet.

Contraria opinio est cõmunis, quam defendũt, Adrian. quæstione 1. principali de Clauibus, & Paludan. d. 14. q. 4. Syluest. Verbo Excommunicatio 3. §. 1.

CONCLVSIO.

Excommunicatus qui inuincibili ignorantia iuris, aut facti, suæ excommunicationis laborat, vt rusticus, qui hanc proprietatem excommunicationis ignorat, vel literatus, qui ignorantiam facti habet, ideo illam non confitetur, verum recipit pœnitentiæ Sacramentum, ita, vt excommunicationis postea conscius confessionem reiterare non teneatur. Ratio est, quia propter ignorantiam nullum sacramento posuit obicem, veraque interfuit forma, & materia, & ministri intentio.

CONCLVSIO.

Qui excommunicationis est conscius, quantumcunque de aliis peccatis conteratur, vel ignorans ignorantia culpabili, vt literatus, quamobrem non est confessus, se esse ligatum vinculo excommunicationis, vel si sit confessus, si

à peccatis,

à peccatis, propter ignorantiam Sacerdotis, & non ab excommunicatione absoluatur, sacramentum erit nullum, & confessio iteranda. Ratio est, quia deficiente materia Sacramentum est nullum & quando excommunicatus excommunicationis cōscius, aut culpabiliter illam ignorans, recipit absolutionē à peccatis, priusquam ab excōmunicatione, deficit materia, nēpe dolor de peccatis. Cum habeat actualem complacentiam huius inobedientiæ, nam recipit Sacramentum contra mandatum Ecclesiæ. in cap. Salubriter. de Clerico excommunicato ministrante.

Idem dicendum est de excommunicato excommunicatione maiori. Ratio est, quia peccat mortaliter sacramenta recipiendo. Vt constat ex cap. Salubriter. citato. APPEN.

II. Diffic. Quomodo excommunicatus a participatione actiua sacramentorum excluditur?

Supra in quæstione de ministro, de sacramentis in genere, & in quæstione de confessore egimus.

Dubium. Peccabitne excommunicatus nondum denunciatus mortaliter, cum aliis in diuinis, aut extra communicando? D. Bonau. quæst. I.

CONCLVSIO.

Peccabit quantumcunque sit contritus communicando ante absolutionem. Definita est in Extrauagante. Ad vitanda scandala, quia dicit Concilium Constantiense, in nullo intendere releuare excommunicatum, cæteri vero minime peccant. Limitanda est Conclusio, vt in quæstione modo citata de sacramentis in genere diximus. Quando Sacerdos excommunicatus est Curatus, quia tenetur suo subdito sacramentum petenti ministrare, quod poterit præstare sine peccato, si prius conteratur, & proponat Ecclesię obedire, tunc enim non peccabit administrando.

Hinc, reuocatum est Concilium Basiliense, vbi excommunicatum notorium ante denunciationem vitandum præcipiebatur, vt refert Adr. q. 3. de Clauibus & Syluest. Ver. excommunicatio 5. §. 9. nam Ecclesiastica consuetudo, quæ est optima legum interpres, solum tenorem Concilij Constantiensis, vt habetur in Extrauagante. Insuper ad euitanda, seruat. APPEN.

III. Diffic. De 2. effectu excommunicationis, sitne Excommunicatus suffragiis Ecclesiæ priuatus? Ric. ar. q. 7. 2. Dur. q. 3. & 5.

CONCLVSIO.

Excommunicatio maior priuat excommunicatum suffragiis,

fragiis, quæ nomine totius Ecclesiæ pro omnibus fidelibus etiam in mortali existentibus offeruntur. Patet Matth. 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, &c. cum Ecclesia Ethnicis, & aliis Infidelibus non cõmunicet, excommunicatos illorum participes minime efficit. Vide Cano. Omnes Christianos. 11. q. 3. die tamen parasceues dispensat cum hæreticis & excommunicatis exemplo Christi, qui tunc pro inimicis orauit.

Matt. 18.

APPEN. Hinc colligitur, orationem, aut processionem pro hæreticis fieri nõ posse, neque missam pro eis offerri, sunt enim excommunicati. bene tamen potest fieri oratio pro statu Ecclesiæ amplificando, atque ita indirecte fit oratio pro hæreticorum conuersione.

CONCLVSIO.

Oratio priuata potest pro excommunicato fieri, quia excommunicatus solum priuatur suffragiis Ecclesiæ, & cũ Ecclesia sit fidelium congregatio, vnius oratio, non erit totius Ecclesiæ oratio. S. Tho. est, vt refert Syluester, verbo excommunicatio. 1.

IIII. Diffic. Poteritne Sacerdos in memento Missæ pro excommunicato orare?

Syluester vbi supra affirmat, Soto d. 22. q. 1. art. 1. negat.

CONCLVSIO.

Nequaquam potest. quia cum non possit sacrificium missæ pro excommunicato offerre, neque pro illo poterit in memento orare. Sacrificium enim in memento pro quibus Sacerdos orat, offertur, nam finito memento, ait, pro quibus tibi offerimus &c.

CONCLVSIO.

Poterit nihilominus tunc pro excommunicato orare, si tamen proponat non offerre pro illo sacrificium, neque orare nomine Ecclesiæ, sed proprio. Ratio est, quia tunc temporis non vt Ecclesiæ minister, sed vt priuatus oraret, & eius oratio non maiorem effectum haberet, quam si extra missam fieret.

V. Diffic. An qui contumaciam deposuit, estq; per contritionem iustificatus, & paratus obedire Ecclesiæ, antequam absoluatur sit suffragiorum particeps?

Peculiaris opinio est. Ric. d. 18. art. 7. q. 2. qui tenet partem affirmantem. opinio communis Canonistarum in cap. nobis ad 2. de sententia excommunicationis, est opposita.

CON-

CONCLVSIO.

Non erit talis excommunicatus suffragiorum particeps ante absolutionem. Definita est expresse in cap. citato. A nobis. ibi enim dicitur, quamuis præstet iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, non esse excommunicatum participem orationum fidelium, antequam absoluatur.

Hinc, talis excommunicatus, etiam deposita contumacia ante absolutionem tenetur ab omni communione fidelium in diuinis, aut extra abstinere. Alioqui enim contra Ecclesiæ præceptum peccabit. APPEN.

VI. Diffic. Eritne peccatum in omni euentu cum excommunicato communicare?

Alexan. Alen. q. 81. m. 6. S. Tho. q. 23. ar. 3. in add. D. Bo. q. 5. Ricar. toto art. 6. Dur. q. 5.

CONCLVSIO.

Excommunicatus excommunicatione maiori iuxta Concilium Constātiense, scilicet, denunciatus, est in quinque euentibus vitandus, qui hoc carmine continentur. Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur, id est, os, locutio per seipsum, vel per literas, siue per nuntium, nisi ad animæ excommunicati salutem pertineat, vt illi consulat, vel coram illo prædicet, siue Theologiam legat, quia hæc ad illius correctionem pertinent. orare negatur, idest, communicatio in diuinis, vel simul cum eo eandem missam audiendo, aut celebrando coram illo, siue officium diuinum, aut aliquem psalmum cum illo recitando, siue in aliqua processione assistendo, notanter dicitur (assistendo) nam si per Ecclesiam contingat transire, quando diuina celebrantur, non est diuinum officium intermittendum, quia transiens cum existentibus non communicat. 3. vale negatur, idest, salutatio, nisi dicatur, Deus sit tibi propitius, vel quid simile. 4. communio, idest, communicatio cuiuscunque contractus, aut electionis, aut iudicij, & cæterorum, quæ iuridice fiunt. 5. mensa, idest, comedere cum excommunicato in eadem mensa, licet nihilominus intra eandem cellam comedere.

Dubium. Si excommunicatus noluerit ab Ecclesia exire, tenebiturne Sacerdos missam non finitam relinquere?

CONCLVSIO.

Si iam est facta consecratio, finire tenetur. Ratio est, quia maius est præceptum de sacrificio finiendo, quam de excommunicato vitando, si vero non est facta consecratio, tunc missa est relinquenda.

Eodem modo se debet habere Sacerdos, quando ante celebra- APPEN.

celebrationem Ecclesia violatur.

Dubium. Potéstne doctor discipulo excommunicato respondere?

CONCLVSIO.

Potest, sicut coram illa Theologiam non autem aliam facultatem, interpretari.

CONCLVSIO.

Integrum est, cum excommunicato in odium temporale conueniendo illum in iudicio ciuili, aut criminali, & in fauorem spiritualem ipsius communicare. Patet. Prima pars, ex cap. Intelligimus, de iudiciis. Aliter enim si non posset in iudicium conueniri, commodum ab excommunicatione reportaret. 2. pars est definita in cap. Cum voluntate, de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Licitum erit communicare cum excommunicato illi necessaria victui, & vestitui. communicando. Definita est in Canone, quoniam multos. 11. quæstione. 3. si autem, quæ communicantur sint ad superbiam, & iactantiam, qui talia præberet, minori excommunicatione esset excommunicatus.

CONCLVSIO.

Licebit etiam cum illo communicare, quando propter excommunicati expulsionem scandalum timetur. Definita est in cap. Quod prædecessor 11. q. 3. vbi Zacharias Papa laudat Bonifacium martyrem cum excommunicatis participantem, propterea quod ita Ecclesiæ expediebat.

CONCLVSIO.

Vxor, filius, seruus, ancilla, mancipium, rustici, colentes agros, & omnes seruientes, possunt cum illo communicare dummodo nullus istorum sit criminis particeps. Definita est in Canone. Quoniam multos. 11. q. 3.

Hinc, vxor poterit petere, & tenebitur viro excommunicato debitum reddere, propter vitandam fornicationem viri cum aliena, eadem ratione tenebitur Filius Patri excommunicato obedire, & cum illo communicare, dummodo cum Patre habitet, vel non sit emancipatus. Ita glossa exponit. Idem etiam est iudicium, si filius est excommunicatus, poterit pater (vt dicit glossa) cum illo communicare.

Dur. q. 5. *VII. Diffic. Quid si Prelatus, vel Prior, vel Guardianus &c. sit excommunicatus?*

Poterit subditus cum illo communicare. Adr. de excommunicatione q. 1. §. petes fortasse, tenet partem affirmantem. Ric.

tem. Ric.d.18. art. 11.q.3.illud negat.

Nota Prælatum duplicem habere iurisdictionem, spiritualem, & temporalem, atque administrationem.

CONCLVSIO.

Cum Prælatus per excommunicationem non priuetur temporali administratione, possunt subditi cum illo communicare, eique sicut patri ministranti obedire tenentur. Probatur à simili, nam vt familiares Episcoporum possunt cum illis communicare, quādo sunt excommunicati, quia habent suæ familiæ temporalem administrationem, ita monachi cum suis Prælatis communicare possunt. *Adr. est.*

CONCLVSIO.

Subditi non possunt cum Prælato excōmunicato communicare, quantum ad iurisdictionem spiritualem. Ratio est, quia per excommunicationem suspenduntur subditi, eatenus illi obedire non tenentur, ac proinde communicare cum illo haud poterunt.

CONCLVSIO.

Ignorantes excommunicatum, aut non habentes vnde necessaria victui, & vestitui, nisi ab illo emant, cum illo communicare poterunt. Definita est in citato canone. Quoniam multos.

CONCLVSIO.

Quando excommunicatus est occultus, quamuis sit denunciatus, non est publice in diuinis, aut extra, sed occulte duntaxat vitandus. Definita est in cap. cum non ab homine. de sententia excommunicationis.

Hinc, si inter celebrandum excommunicatus soli Sacerdoti cognitus Ecclesiam ingrediatur, non tenetur Sacerdos illum repellere. Ratio est, ne repellēdo illum infamet. Vbi animaduerte, quanti faciat Ecclesia etiam inobedientium famam. APPEN.

Dubium. Quando igitur erit mortale cum illo communicare?

CONCLVSIO.

Quando in diuinis communicatur. Ratio est, quia peccati mortalis excommunicati est particeps.

CONCLVSIO.

Quando participat in crimine, pro quo est excommunicatio imposita v.g. internuntij &c. concubinarij, quando excommunicatio est contra illum lata, quia retinet concubinam. Definita est in cap. nuper. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Quando excommunicatio est etiam contra participantes trina præcedente monitione illata, v.g. si dicat iudex sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nullus cum Petro excommunicato communicet, quia tunc incidit in excommunicationem maiorem, & per consequens mortaliter peccat. Definita est in cap. statuimus. de sententia excommunicationis in 6.

APPEN. Ex hoc textu colligitur: excommunicationem contra participantes non posse generaliter imponi, sed nominandos esse excommunicatos, vitandos aut dignitates, vel officia, vt nullus cum Petro excommunicato, vel cum abbate &c. communicet.

CONCLVSIO.

Peccat quoque mortaliter, qui ex contemptu clauium putans Ecclesiam non habere potestatem excommunicandi, cum excommunicato cõmunicat, quia est blasphemus, vel quia vult ab Ecclesiæ obedientia recedere, nam iste contemptus est mortalis.

CONCLVSIO.

Clerici, qui participant scienter, & sponte in diuinis cum excommunicato à Papa, ligantur quoque eadem excommunicatione, à qua à solo Papa absolui possunt. Expresse definita est, in cap. significauit. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

In omnibus aliis euentibus solum est veniale cum excommunicato communicare. quia non magni, sed parui nocumenti est talis inobedientia.

VII. Diffic. Eritne potius mors subeunda, quam cum tali excommunicato in diuinis communicandum?

S.Tho.2. 2. q.86 art.4. & quol.12. ar.9. Syluester. verbo §. 7. Dur. d.18. quæst.5. Matth. 2.

Duæ sunt opiniones, vna affirmans Adriani in materia de clauibus q. 3. & aliorum doctorum, quos ibidem citat. Contraria est Syluestri, de excommunicatione 8.14.

CONCLVSIO.

Quando aliquis compellitur ad communicandum in crimine cum excommunicato, vel in Ecclesiæ contemptũ, potius est mors subeunda, quam aliquo modo cum illo communicandum. Confirmatur exemplo Machabæorum cap.7. qui perpessi sunt mortem: quoniam in contemptum legis diuinæ ab Antiocho ad comedendum carnes suillas compellebantur. Definita est in cap. sacris. de his, quæ vi, metuſue

metúsue causa fiunt.

CONCLVSIO.

Quando aliquis ad communicandum cum excommunicato, in his, quæ non sunt intrinsecè mala, sed solum iure Canonico prohibita, compellitur, potius est communicandum, quam moriendum. Hæc conclusio colligitur ex Canone. Quoniam multos 11. q. 3. si enim pro vitanda necessitate victus, aut vestitus, licet cum illo cõmunicare, imo esset malum non communicare, magis profecto tenebitur, & licebit cuiuis pro tuenda vita corporali communicare. nam præceptum de euitando excommunicato citra Ecclesiæ iniuriam, est tantum positiuum.

Hinc, Sacerdos compulsus à tyranno, vt celebret coram excommunicato, poterit celebrare, ita vt in contemptum Ecclesiæ non compellatur. vt si tyrannus se fidem Catholicam Romanæ Ecclesiæ tenere protestetur. APPEN.

Licebit quoque feria sexta carnes comedere, aut aliquod præceptum Ecclesiæ violare, metu mortis compulsis, dummodo talis compulsio à tyranno in Ecclesiæ contemptum non fiat, vt hæretici faciunt, quia præceptum de tuenda vita est naturale, & diuinum. APPEN.

VIII. Diffic. Excommunicatus maiori excommunicatione, communicando cum aliis peccabítne mortaliter? *S. Tho. q. 23. ar. 2. & 3.*

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter in diuinis communicando in Ecclesia & extra. Ratio est, quia, qui ita communicaret, iuste ab Inquisitoribus, tanquam præcepti clauium contemptor puniretur: dicit enim Christus redemptor noster, qui vos spernit, me spernit &c. *Luc. 10.*

CONCLVSIO.

Quando recipit sacramentum, mortaliter etiam peccat. quia recipiendo sacramentum, ponit obicem gratiæ, recipit enim contra Ecclesiæ obedientiam, manetque irregularis, si celebret, vel sacros ordines recipiat, vt definitur in cap. si celebret. De Clerico excommunicato celebrante.

CONCLVSIO.

Similiter peccat, si sacramentum administret, quamuis sit generaliter tantum excommunicatus, & non denunciatus. Definita est in Extrauaganti. ad euitanda. vbi dicitur, quod quamuis alij Christiani possint ab excommunicato generaliter recipere sacramenta, non tamen intendimus (inquit) excommunicatos in aliquo releuare, intellige, nisi de-

nisi deposuerit contumaciam, quia tunc ministrando mortaliter non peccat in casu necessitatis, si fuerit Curatus.

CONCLVSIO.

Perinde etiam peccat, quãdo in electionibus vocem actiuam, vel passiuam habet. Quia electio passiua est nulla. Definitum est in cap. Si celebret & ex consequenti mortaliter peccat, si eligatur, atque etiam eligendo. quia cum nõ habeat suffragium, suffragatur, est enim suffragiũ nullum.

CONCLVSIO.

Peccat quoque mortaliter iudicis officium, vt proferendo sententiam, aut Prælati officium faciendo, vt si beneficium conferat, omnia sunt nulla. Vt definitum est in Cap. tanta, De concessione præbendæ.

CONCLVSIO.

Comparendo autem in iudicio, tanquam actor, & reus, siue testis mortaliter haud peccat. Ratio est, quia tunc nemini nocet.

CONCLVSIO.

Citra hos casus cum aliis communicando mortaliter non peccat, sed venialiter tantum. Quia non obedit Ecclesiæ in materia leui vt communicando cum alio, vel illum salutando, &c. hac de causa hæc, & alia huiusmodi sunt tantum venialia.

Alexan. Alen. qõ. 82. m. 1. & 2. S. Tho. q. 21. art. 4. Ric. ar. 3. q. 3.

IX. Diffic. Quando excommunicatio iniusta est, priuabitne suffragiorum communione?

Duo simul sunt in hac difficultate explicanda. Primum quæ sit sententia excommunicationis iniusta. Secundum, quando, & quomodo tunc excommunicatus suffragiorum communione priuetur.

CONCLVSIO.

Sententia excommunicationis à non suo Iudice lata nulla est, & excommunicatum minime priuat. Definita est in cap. vlt. de restitutione expoliatorum.

APPEN.

Hinc, Diœcesanorum sententiæ contra subditos latæ, religiosos minime obligãt, Quia nõ sunt Episcopis subditi.

CONCLVSIO.

Excommunicatio non obligat, quando. tempore legitimo interponitur appellatio. Definita est in cap. per tuas. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Quando sententia excommunicationis intolerabilem errorem continet, iniusta est, & nulla. Ratio est, quia contra ius

tra ius

tra ius Diuinum, aut naturale, aut pro re minima fertur.

CONCLVSIO.

Quando excommunicationis causa est nulla, neque excommunicatio valebit. Ratio est, quia causa, pro qua infertur non exprimitur, & à iure prohibetur, vt si quis dicat, sub pœna excommunicationis, nemo suscipiat Eucharistiam, quin fuerit suo Curato confessus. causa huius excommunicationis est, vt nullus Religiosis cõfiteatur. quod à tali iudice prohiberi non potest, cum sint ex priuilegio Papæ confessores.

CONCLVSIO.

Quando expressè à iure prohibetur, ne in tali casu excommunicatio feratur, lata iniusta, & nulla erit. Confirmatur exemplo. in cap. statuimus. de sententia excommunicationis in 6. vbi præcipitur, ne excommunicatio generaliter contra participantes cum omnibus excommunicatis, nisi cum certis, feratur.

Excommunicatio aliquo istorum modorum nulla à iure neminem obligat, neque aliquem ita excommunicatum prædictis suffragiis priuat. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando excommunicationis sententia est iniusta, quia à iure prohibetur, non tamen annullatur, obligat, & priuat excommunicatum. v.g. si iudex præcipiat alicui sub pœna excommunicationis latæ sententię, non præmissa trina admonitione, vel vna tribus æquiualente: aut si quid intra dimidiam horam faciendum præcipiatur, quando nullum tantæ breuitatis periculum imminet. Ita definitur in cap. cum medicinalis. de sententia excommunicationis in 6. quamuis iudex sit puniendus.

Dubium. I. Quid si inter DD. sit controuersia, sitne sententia iusta, an non?

CONCLVSIO.

In tali casu sentententia valet. Definita est à B. Grego. & refertur. 11. q. 3. Canone, sententia pastoris iusta, vel iniusta, timenda est. *B. Greg.*

Hinc colligitur, aliud esse sentẽtiam esse iniustam, aliud vero nullam. Nam in hac conclusione, & in prima præcedente sententia est iniusta, & non est nulla: at vero in aliis huius difficultatis conclusionibus est iniusta, & nulla. APPEN.

Dubium. II. Quid, si excommunicatio sit iniusta, non ordine iuris, sed ex parte excommunicati. *Alexan. Alen et Ric. ib. Dur. q. 4.*

Vt si

Vt si innocens per falsos testes reus probetur, & sub pœna excommunicationis illi aliquid faciendum præcipiatur, variæ sunt opiniones, quas refert Adr. quoli. 6. qui tenet talem excommunicationem in conscientia non obligare, sed in foro exteriori dumtaxat. eiusdem opinionis est Caiet. q. vnica de effectu excõmunicationis, & 2. 2. q. 70. ar. 4. ad. 2.

CONCLVSIO.

Quando sententia excommunicationis fertur contra innocentem, legitime probatum nocentem, in conscientia minime obligat. Ratio est, quia pia mater Ecclesia, neque potest, neque intendit innocentem suffragiis priuare.

APPEN. Hinc, cessante scandalo poterit celebrare. Quia talis sententia cum sit secundum ius, ita, vt iudex si illam non proferret, peccaret, in foro exteriori obligat.

APPEN. Hinc, si iste celebraret, non efficeretur irregularis, etiamsi vt irregularis puniatur.

Ric. art. 7. q. 4.

X. Diffic. Quinam sit excommunicationis minoris effectus?

R. p. peccat mortaliter celebrando. Quia contra prohibitionem Ecclesiæ in materia grauissima celebrat: non tamẽ manet irregularis: vt excõmunicatus excõmunicatione maiori celebrãdo efficitur irregularis. 2. peccat conferendo sacramentũ. nihilominus tamen sacramẽta ab eo collata valent: vt pœnitentiæ sacramentum 3. si eligatur ad aliquam dignitatẽ, valet electio. est tamen per iudicẽ irritanda & 4. iurisdictione in foro exteriori, quemadmodum excommunicatus maiori non priuatur. Hæc definita sunt in cap. si celebret. De Clerico celebrante excommunicato.

Alexan. Alen. q. 81. m. 4. S. Tho. q. 21. art. 1. 2. & 3. D. Bonau. q. 3. Ric. art. 4. & art. 10. q. 11. & ar. 13 Duran. q. 4. Syl. verbo Prælatus §. 1. & verbo excom. 2. §. 1.

Art. IIII. De his qui possunt excommunicare, & in foro exteriori ab excommunicatione absoluere.

CONCLVSIO.

Omnes Prælati ordinarij authoritatem, excommunicãdi suos subditos habent. Collecta est ex cap. cum ab Ecclesiarum de officio ordinarij. Et apertius. Definita in cap. cũ Ecclesia. De maioritate, & obedientia. Vbi Rom. Pont. sententiam excommunicationis per priorem canonicorum regularium latam approbat.

APPEN. Hinc sequitur, Papam & vniuersale concilium, aut prouinciale legitime congregatum, Archiepiscopos, Episcopos & omnes religionum Prælatos, Generales, scilicet Abbates, Priores, Guardianos, in suos subditos ex iure canonico, vt Sylue. verbo Prælatus §. 1. vt & illos, etiam qui statuta condere

dere possunt, non solum verbo, verumetiam per leges excommunicationis sententiam ferre posse. Nam omnes isti iurisdictionem spiritualem in foro exteriori puniendi subditos habent.

Hinc, simplices Sacerdotes non possunt excōmunicare. Cum nō sint Prælati, neque etiam Curati poterunt. Nam cap. cum Ecclesiarum. citatum. vbi curatis talis facultas cōcedebatur, iam est contraria consuetudine reuocatum. APPEN.

CONCLVSIO.

Prælatus excommunicatus, non denunciatus, excommunicare non potest. Definita est in cap. audiuimus 24. q. 1. Notanter dicitur, & non denunciatus, nam Conciliū Constantiense. in extrauaganti. ad euitanda non intendit releuare excommunicatum. vnde in foro exteriori censetur à iurisdictione suspensus. *Syluestri est verbo excōmun. 2. §. 2.*

Idem est iudicium de suspenso ab officio iudicandi, & colligitur ex glossa in citato cap. audiuimus. APPEN.

CONCLVSIO.

Si subditi ignorant Prælatum excommunicatum, eius sententia erit valida. Definita est in cap. infames. 3. q. 7. vbi docetur, seruum non posse esse iudicem: nihilominus tamen sententias per ipsum latas valere, quamdiu seruitus ignoratur.

Perinde censendum est de excommunicato habente iurisdictionem, dum eius impedimentum ignorabitur. APPEN.

CONCLVSIO.

Prælatus irregularis potestate excommunicandi haud priuatur. Ratio est, quia irregularis solum ordinis exequutione, non autem iurisdictione priuatur. *Ricard. est ar. 4. q. 4.*

CONCLVSIO.

Non Sacerdos potestatem ordinariam, vel delegatam excommunicandi habere potest. Definita est in cap. transmissam. de electione. vbi dicitur, Episcopum electum, non Sacerdotem habere iurisdictionem.

I. Diffic. Qui Excommunicari possunt?

Lege Ric. d. 18. art. 5. per totum; & Caiet. de authoritate Papæ cap. 10. & sequentibus. *Alexan. Alen. q. 82. m. 2. D. Bo. q. 1. Ric. art. 5. per totum vbi supra Caie. de authoritate Papæ ca. 19 & sequentibus.*

CONCLVSIO.

Papa quamuis sit hæreticus, non est ipso facto excommunicatus. Ratio est, quia antequam deponatur, est supra omnes: atque ita non est, à quo possit excōmunicari, neq; excōmunicatione capitis. Ad abolenda, de hæreticis, ligatur.

fuit enim

fuit enim illa excommunicatio lata à Lucio Papa, & par in parem non habet imperium.

CONCLVSIO.

Papa hæreticus, vt apostata, ab vniuersali concilio deponi potest. Definita est in cap. si Papa 40. d. & ratio est, quia sicut nullus potest esse alicuius religionis Prælatus, qui non sit in illa religione professus, ita neque potest esse Papa, si fide Ecclesiæ careat.

CONCLVSIO.

Concilium vniuersale potest Papam per excommunicationem compellere: vt redditurus rationem hæresis, aut apostasiæ criminis cuius accusatur, cōpareat, & in his duobus casibus illum excommunicare. Patet, quia cum possit in his duobus casibus Papam deponere, erit tunc illo superior, & ex consequenti, antequam deponatur, per excommunicationem illum, vt in iudicio compareat, compellere. Aliter enim, si non posset concilium Papam compellere: neque posset illum iudicare.

APPEN. Hinc sequitur, nullo modo Papam excommunicari posse, nisi in prædictis duobus casibus, in quibus Cōcilium est supra Papam, neque hoc posse fieri, antequam deponatur: sed propter non comparendi contumaciam.

CONCLVSIO.

Nullus sibi æqualem excommunicare potest. Ratio est, quia par in parem non habet imperium.

APPEN. Hinc, Episcopi in concilio Prouinciali congregati, si aliquid sub excommunicatione obseruādum decreuerint tali excommunicatione ligantur, quatenus omnes Metropolitano præsenti subduntur, Metropolitanus vero nō ligatur. Quemadmodum Papa excommunicatione lata à concilio vniuersali non ligatur, quamuis patres concilij illa ligentur.

Dubium. An Excommunicari possit vniuersitas, siue collegium?

Duæ sunt opiniones. Vna Syluestri verbo excommunicatio 1: §. 3. dicentis, non posse excōmunicari totam communitatem, sic dicendo, toti huic communitati prȩcipimus sub excommunicationis sententia &c. nihilominus, tamen si ita feratur, valebit. Quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Altera opinio, & opposita est. Ric. vbi supra q. 3.

CONCLVSIO.

Sententia contra vniuersitatem, aut collegium lata est nulla.

nulla. Ratio est, quia excommunicatio præsupponit mortale peccatum, quod est personę, & non cõmunitatis actus.

CONCLVSIO.

Excommunicatus, antequam ab vna excommunicatione absoluatur, potest alia ligari, non propter noua crimina, sed propter contumaciam in priori excommunicatione. Definita est in cano. finali 3. quæst. 4. quod fit, vt acriori animaduersione eius contumacia corrigatur.

CONCLVSIO.

Mortui, pro criminibus in vita commissis excommunicari non possunt. Ratio est, quia iam sunt extra Ecclesiam, & non sunt homines.

CONCLVSIO.

Potest nihilominus declarari, dũ viuerent in excommunicationem incidisse. Definita est in canone. Sane 24. qõ. 2. quemadmodum hæreticus, qui post mortem excommunicatus declaratur, & pro eo Sacrificia offerri prohibentur.

CONCLVSIO.

Mortuus ab excommunicatione absolui potest. Vt constat ex cap. à nobis. 2. de sententia excõmunicationis. Quæ quidem absolutio solũ fit, quo ad pœnam exteriorẽ, nempe, vt in loco sacro sepeliatur, & pro illo publice oretur.

II. Diffic. Qui possunt ab excommunicatione absoluere?

CONCLVSIO.

Ab excommunicatione minori non potest absoluere, nisi Sacerdos, qui authoritatem audiendi confessiónes habet, & habetur in cap. nuper. de sententia excommunicationis. Nam cum excommunicatio sit pœna iuris, non poterit ita excommunicatus, nisi ab habente spiritualem iurisdictionem absolui, qualem nõ habent, qui non sunt confessores instituti. Caiet. est contra Nauarrum cap. 27. cano. 25. in summa.

Alexan. Alen. q. 81. m. 1. & 2. S. Tho. q. 24 ar. 1. Ric. ar. 10. q. 11 Duran. q. 18. Syluest. verbo absolutio 1. §. 2. Caie. verbo excõmu. minor. prope finem.

CONCLVSIO.

Excommunicatus ab homine absolui non potest, nisi ab eo qui excommunicauit, vel à superiore: vt à Papa, vel ab eo, ad quem est appellatum. Nam eius est absoluere, cuius est ligare.

CONCLVSIO.

Quando aliquis est excommunicatus ab homine quia fuit incendiarius, non potest nisi à Papa absolui. Definita est in cap. tua nos. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

A quacunque excommunicatione ab homine, facta tamen prius parti lesæ satisfactione, per bullam Cruciatæ absolui quiuis potest. Ita enim in bulla continetur.

CONCLVSIO.

Si non habet, vnde parti satisfaciat, absoluendus est, non virtute cruciatæ, sed per iudicem, qui excommunicauit, (Nam hæc absolutio est ad reincidentiam) quæ, nisi per iudicem ferri non potest.

Scoti. est. d. 22. quæst. 2.

CONCLVSIO.

Excommunicatus in vno Episcopatu ab homine generali excommunicatione, si in alia diœcesi reperiatur, non potest ab alieno Episcopo, etiam facta parti læsæ satisfactione, absolui. Nam eius est absoluere, cuius est ligare, vel authoritate Cruciatæ absoluatur. Oppositum tenet Soto, vbi supra.

CONCLVSIO.

Quando excommunicatio est à iure Canonico, & absolutio, Papæ non reseruatur, nullus præter ipsum, tali excommunicatione ligatum absoluere potest. Hæc est definita à Benedicto 11. in Extrauaganti inter cunctas §. obseruent. Hæc Caie. in summa, verbo Absolutio ab excommunicatione. Oppositum te. & Nauarro. vbi supra, cap. 39. & alij, quos ipse citat. Vide ipsum loco allegato.

III. Diffic. Quænam sunt Papales excommunicatione?

Respondeo, Quædam sunt in cœna Domini, à quibus, etiam per Sacerdotem confessorem per bullam Cruciatæ, absolui potest nemo: aliæ vero sunt à quibus habens bullã, per Sacerdotem confessorem absolui potest. Quæ dicũtur extra cœnam. Quas omnes refert, & declarat Caieta. verbo Excommunicatio cap. 31. simul cum omnibus excommunicationibus à iure, & Nauarro cap. 27. vbi supra.

Quarta. Diffic. Potestne aliquis inuitus ab excommunicatione absolui?

Alexan. Alen. q. 81. m. 7 art. 1. D. Bona. qõ. 6. Ric art. 10 qõ. 1. S. Thom. qõ. 24. art. 2.

CONCLVSIO.

Excommunicatus ab homine potest. Quia cum excommunicatio sit medicinalis, si timetur delinquentis obstinatio, iudex illam relaxare tenebitur.

CONCLVSIO.

Excommunicatus vero à iure minime potest inuitus absolui. Quia cum voluntarie peccauerit, videtur voluntarie excommunicationem à iure contradisse: atque ita non nisi voluntarie

voluntarie erit absoluendus. Hæc Ricar. d. 18. art. 10. qō. 11. Sunt, qui sine discrimine vtramque conclusionem concedant.

V. Diffic. Excommunicatus absens poteritne absolui? *Ric. art. 10. quæst. 2.*

CONCLVSIO.

Potest excommunicatus absens absolui. Ratio est; quia huiusmodi absolutio est pœnæ relaxatio, quæ, vt potest contra absentem ferri, ita & absenti remitti. Nam etiamsi requiratur aliqua solemnitas, si de facto absoluatur, absolutio valebit.

VI. Dif. Excommunicatus pluribus excommunicationibus poteritne ab vna absolui, & non ab alia? *Alexan. Alen. qō. 81. m. 7. art. 2. D. Bona. q. 4. Ric. qō. 3. ibi D. Tho. qō. 24. ar. 3.*

CONCLVSIO.

Poterit profecto. Nam, vt potest pluribus excommunicationibus successiue ligari, ita etiam successiue absolui poterit.

VII. Dif. Poteritne aliquis pluribus excommunicationibus absolui per vnam absolutionem?

CONCLVSIO.

Excommunicatus à diuersis Iudicibus propter diuersas causas, non potest nisi pluribus absolutionibus solui, quando ab eisdem iudicibus absoluitur. Quia cum plures illum ligauerint, à pluribus est necessario absoluendus, eius enim est ligare, cuius est absoluere, nisi per bullam Cruciatæ absoluatur. tunc enim à supremo Iudice absoluitur, & nisi sit ab eodem Episcopo propter diuersas causas excommunicatus, propter blasphemiam, furtum, &c. nam tunc vnica absolutio erit satis.

VIII. Diffic. An excommunicatus in alieno Episcopatu, possit à proprio Episcopo absolui? *Ric. art. 9. quæst. 5.*

CONCLVSIO.

Excommunicatus in vno Episcopatu non potest à proprio absolui: vt si Archiepiscopus Valentinus excommunicaret propter furtum Ilerdensem peregrinum eius enim est absoluere, cuius est ligare.

Hinc, religiosus hospes excommunicatus à Prælato vbi hospes est, ab alio Prælato absolui non potest, limitatio, nō est intelligenda conclusio de excommunicatione à iure, tunc enim talem excommunicationem, in aliena Diœcesi incurrens poterit à proprio Prælato absolui.

IX. Diffi. Estne aliqua solemnitas in absolutione ab excommunicatione necessario seruanda?

CONCLVSIO.

Si absoluens est Iudex Ordinarius, vt commissarius, & præscribitur solemnitas, nempe; vt prius parti læsæ satisfactio fiat, ita, vt aliter irritetur absolutio, absoluens nihil facit. Agit enim contra præceptum superioris irritantis absolutionem, & est definita in Extrauagante. Etsi dominici gregis. lege Caiet. in summa vbi colligit 90. textus, in quibus omnes excommunicationes iuris explicauitne absoluendo contra ius, errare tibi contingat.

Hinc, confessor absoluens virtute bullarum, non facta restitutione parti læsæ, nihil facit. Nam in bullis præcipitur; vt prius fiat restitutio. Tantum enim valent indulgentiæ, quantum sonant. Quod si statim non potuerit satisfacere, præstet tunc reus cautionem pignoratitiam, aut fideiussariam, & si neutro modo efficere possit, saltem iuratoriam præstet.

CONCLVSIO.

Præter hos casus, quando satisfactio de iustitia facienda prætermittitur, absolutio si fiat, erit iniusta; non tamen irritat. Ratio est; quia quamuis à iure prohibeatur; non tamen irritatur. & nota intelligendum esse satisfactionem, de damno illato in bonis fortunę, aut honoris, aut corporis.

APPEN. Hinc excommunicati pro crimine hæresis, aut pro ingressu in monasterium monialium ad nullam tenentur restitutionem, vt absoluantur. Ratio est; quia nullum in aliquo prædictorum bonorum, quorum ratione facienda est restitutio, damnum aliquod intulerunt.

CONCLVSIO.

Potest quicunque excommunicatus absolui ab excommunicatione extra sacramentalem cōfessionem. Ratio est; propterea quod talis absolutio non est à peccatis, sed à pœna Ecclesiastica, & hic modus absoluendi plerumque ab Ecclesia seruatur.

Art. V. Circa explicationem canonis Siquis suadente &c.

Hic Canon legitur art. 7. q. 4. ad cuius explicationē sunt aliquæ difficultates proponendæ. Et nota primum, in præsentia non esse institutam disputationem de priuilegio fori Clericorum, quo fit, vt pro causa criminali, aut ciuili, coram Iudice Seculari conueniri non possint; sed de priuilegio canonis, propter quod incidūt in excommunicationem percutientes illos.

I. Diffic. Qui possunt priuilegio canonis gaudere?

CON-

CONCLVSIO.

Omnes clerici etiam primæ tonsuræ, dummodo nõ sint coniugati. Definita est in cap. 1. de clericis coniugatis. lib. 6. tum etiam quia nomine clerici absolute prolati canone, si quis suadente, hi omnes intelliguntur.

CONCLVSIO.

Clerici primæ tonsuræ coniugati cum vnicis, & virginibus, ita vt non sint bigami, hoc priuilegio gaudent: dummodo tonsuram, & habitum clericalem deferant, & per Episcopum ministri alicuius Ecclesię; vt œconomi, Sacristę; &c. sint constituti. Definita est in cap. Clerici. De clericis coniugatis in 6. & in Conc. Trid. Sess. 23. cap. 6. de reformatione. APPEN.

CONCLVSIO.

Omnes religiosi professi, & nouitij, & conuersi, & donati in religione approbata, canonis priuilegio gaudent. Definita est in cap. Parochianus. de sententia excommunicationis extra, & in cap. religioso. eodem titulo in 6.

CONCLVSIO.

Moniales omnes professæ in religione probata, sub eodẽ priuilegio intelliguntur. Definita est in cap. de monialibus eodem titulo.

De nouitiis Monialium nihil reperitur: quia cap. religioso. solum de nouitiis monachorum loquitur. APPEN.

Beatæ; quamuis tria emittant vota, hoc priuilegio non potiuntur. Quia aliquam religionem approbatam non profitentur. APPEN.

Dubium. Fruunturne Eremitæ hoc priuilegio?

Angelus negat, Syluester affirmat verbo excommunicatio 6. §. 2. credendum tamen est, quemadmodum priuilegio fori, similiter & canonis priuilegio gaudere.

II. Diffic. Qui clerici hoc priuilegio priuantur?

CONCLVSIO.

Degradatus, hæreticus, & Apostata à religione, illo priuantur. Caieta. est super Canonẽ. si quis suadente. in summa verbo Excommunicatio. Cæterum communis opinio oppositum tenet: vt Syluester verbo Excommunicatio 6. §. 2. docet.

Hinc sequitur, Clericum excommunicatum, & ad triremes damnatum hoc priuilegio gaudere. APPEN.

CONCLVSIO.

Clericus non coniugatus carens tonsura, & habitu clericali,

ricali, respectu ignorantiũ hoc priuilegio minime gaudet. Definita est in cap. si vero. 2. de sentẽtia excõmunicationis.

APPEN. Hinc, percutientes pueros non portantes tonsuram, neque habitum clericalem non sunt excommunicati, si eorum Clericatum ignorent. & idem est iudicium de percutiente Clericum Sacerdotem veste laicali indutum. Ignorant hi enim factum esse excommunicationi subiectum.

CONCLVSIO.

Clericus portans arma, & habitum laicalem, vel solum habitum laicalem, si ter ab Episcopo monitus noluerit resipiscere, Canonis priuilegio priuatur, etiam respectu scientium eius clericatum. Definita est in cap. Contingit. 2. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Clerici tractantes negocia sæcularia: vt sunt aduocati, mercatores, si habeant publicas officinas, quamuis percutiantur, eorum percussores excommunicatione huius canonis non ligantur. Definita est in cap. final. de vita, & honestate clericorum: si tamen ter ab Episcopo moniti vitam in melius non mutauerint.

CONCLVSIO.

Clericus Iocularis canonis priuilegium amittit. Definita est in cap. 1. de vita, & honestate clericorum. Hinc percutiens Clericum publicum Iocularem ex tali officio viuentem non erit excommunicatus.

Syluest. verbo excom. §. 6. Caie. cap. 10. super hũc canonem.

CONCLVSIO.

Clericus artem militarem, vt milites stipendarij, exercens, canonis priuilegio non gaudet. Definita est expresse in cap. cur non ab huiusmodi. de sententia excommunicationis. Secus autem est de priuilegio fori. Nam si duces exercituum monachum apostatam sub habitu militis verberauerint, excommunicati erunt. Quia illum suo Prælato tradere tenentur.

III. Diffic. Quando aliquis erit clerici percussor ita, vt in sententia Canonis incidat?

CONCLVSIO.

Clerici percussor non solum dicitur, qui cum manu lædit, verumetiam qui in illum per cõtemptum aquam, puluerem, aut sputum proiicit. Quia manus violenta dicitur etiam ex iuris positione captio, vel detentio clerici in camera clausa, vel quid huiusmodi odio, & animo irrogandi iniuriam clerico effectum.

CON-

CONCLVSIO.

Qui iniuste percutit clericum, etiam ipso volente, erit excommunicatus. Constat ex cap. Contingit 2. de sententia excommunicationis; & dicitur iniuste pati, si in satisfactionem pro aliqua iniuria dicat clericus, percute me in satisfactionem iniuriæ, qua te affeci.

CONCLVSIO.

Qui præcipit clerici percussionem erit excommunicatus, si effectus sequatur. Definita est in cap. mulieris. de sententia excommunicationis. Intellige conclusionem, dummodo ante percussionem non pœnituerit. Nam tunc cessante peccato, quamuis sequatur percussio, cessabit excommunicationis effectus.

CONCLVSIO.

Qui consilium, fauorem, auxilium præstat, vel clerici percussionem ratam habet, in excommunicationem incidit. Definita est in cap. sicut dignum. de homicidio. & ratihabitio debet esse illius, in cuius gratiam facta est percussio, & qui mandare potuit.

CONCLVSIO.

Qui sine proprio incommodo clerici percussionem prohibere potuit, & non prohibuit, sententia excommunicationis comprehenditur. Ratio est, quia fuit causa damni: Caiet. vbi supra sine limitatione hanc conclusionem intelligit: sed intelligenda est de illo, cui ex officio incumbit clericum defendere: vt est Ecclesiasticus. Iudex si pateretur à iudice sæculari capi, vel torqueri, vel dominus, qui videret suos familiares clericum percutere, & non prohiberet.

CONCLVSIO.

Si quis clericum fugientem insequatur, erit excommunicatus, si clericus se in ignem, aut aquam proiiciat, aut lapide offensionis feriatur. Ratio est, quia in causa esse censetur.

CONCLVSIO.

Clericus seipsum iniuriose desperatione scilicet, aut tædio percutiens excommunicatione ligatur. Ratio est, quia percutiens seipsum iniuste, manus violentas in clericum iniecit.

Hine Monialis sollicitans (quod Deus auertat) abortum, non est excommunicata, quia non sibi, sed fœtui iniuriam irrogat. APPEN. *Syluest. verbo excomm.*

CONCLVSIO.

Qui veste, qua clericus indutus est, aut equum in quo sedet, percutit, aut rem, quam habet manu, iniuriose rapit, in excommunicationem incidit. Quia hoc in clerici contumeliam facit.

CONCLVSIO.

Qui Clericum apprehendit: vt in carcerem ducat, & ibidem, vel in camera, ne inde exeat, detinet ostium foris claudens animo inferendi vim, siue offendendi, excommunicatus manet. Definita est per cap. Si vero, & per cap. Nuper. de sententia excommunicationis. & intelligitur conclusio à iudicibus tantum Sæcularibus, non autem de Ecclesiasticis, etiam si detineant clericos alienæ iurisdictionis. Nam cum sit constitutio pœnalis de aliis Iudicibus Sæcularibus loquens, non erit ad Ecclesiasticos iudices amplianda.

IIII. Diffic. Quibus casibus Clericum percutiens non erit excommunicatus?

CONCLVSIO.

Qui profert gladium, siue mittit lapidem in clericum, non erit excommunicatus, si illum non percutiat, quamuis laicum feriat. Ratio est; quia tunc non est violenta manus, sed solum est comminatio violenta.

CONCLVSIO.

Qui percutit Clericum non animo iniurioso, non erit excommunicatus, quia non est violenta percussio.

CONCLVSIO.

Qui percutit Clericum titulo correctionis, & non vindictæ, vel per se, vel per alium: vt Pater, Magister, & Prælatus, non est excommunicatus. Ratio est; quia ibi non fuit iniuria, sed correctio.

Sylvest. verbo excomm. 6. §. 1.

Hinc, si Prælatus hoc faciat animo vindictæ, quia vult aliquam iniuriam vlcisci, vel ex odio, excommunicatione ligatur, vt constat ex cap. 1. & ex cap. Cum voluntate, de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Clericum in adulterio cum vxore, matre, filia, aut sorore comprehensum percutiens, non erit excommunicatus. Definita est in cap. si vero. 2. de sentẽtia excõmunicationis.

CONCLVSIO.

Mulier à clerico agitata osculo, aut tactu impudico, non erit excommunicata, si illum percutiat. Definita est eodem cap. si vero.

CON-

CONCLVSIO.

Qui non animo lædendi, sed defendendi seipsum Clericum percutit; excommunicatus non erit, quia mortaliter non peccat.

CONCLVSIO.

Iudex Sæcularis apprehendens Clericum in fraganti delicto, aut nocte, arma gestātem non erit excommunicatus, si illum capiat; vt statim suo iudici restituat. *Sylueſt. vbi ſupra §. 14.*

V. *Diffic.* *Quis poterit ab Excommunicatione huius Canonis absoluere?* Ric. *art.* 9. q. 1. 3. & 4. *Verbo absolutio ab excommun.*

Syluester. 17. casus recenset, in quibus potest Episcopus absoluere, citra illos non nisi Papa.

Art. VI. De interdicto?

Absoluetur aliquot difficultatib⁹ positis, de quibus Theologi vix tractat. disputant tamen Summistæ fusissime.

I. *Diffic.* *Expeditne aliquando interdicti censuram imponere?*

CONCLVSIO.

Iusta causa interueniente Ecclesia interdictum generale, etiamsi populus non sit in culpa, imponere potest. Canonizata est in cap. Minor. 1. q. 4. Et Ratio est; quia Ecclesia aliter non potest superiorum contumaciam cohibere, nisi illorum populos à diuinis excludendo, & populus quidem gratiam, abstinendo ab Eucharistia per obedientiam propter defensionem Ecclesiæ, promeretur.

II. *Diffic.* *Quotuplex est interdicti effectus.*

Res. triplex communiter assignatur, priuatio, scilicet, diuinorum Sacramentorum, & sepulturæ.

CONCLVSIO.

Tempore interdicti personis interdictis non licet diuinis interesse, præterquam, quod in primo die Natalis Domini, & in primo die Resurrectionis, & Pentecostes, & in die assumptionis Virginis Mariæ, in quibus interdictum à primis vesperis vsque ad completorium sequentis diei inclusiue suspenditur. Ita definitum est in cap. Alma mater. de sententia excommunicationis in 6. Tum etiam à primis vesperis in festo corporis Christi per totam octauam vsque ad vesperas vltimas octauæ inclusiue. per Extrauagantem. Excellentissimi. quæ est Martini V.

CONCLVSIO.

Omnes Clerici etiam primæ tonsuræ, dummodo non dederint causam interdicto, & non sint Clerici coniugati

tempore interdicti diuinis interesse possunt. Nam hi, qui excipiuntur, hoc priuilegio non gaudent.

CONCLVSIO.

Habentes bullam Cruciatæ tempore interdicti sacris interesse possunt, & secum omnes suos familiares, qui suæ familiæ seruiunt, intromittere. Definita est in cap. licet. de priuilegiis in. 6. qui textus non est reuocatus per contrariam consuetudinem priuilegium ignorantium. Nam priuilegia ignorantibus contraria consuetudo non refragatur.

CONCLVSIO.

Integrum est tempore interdicti Sacramentum pœnitentiæ, Confirmationis, & Matrimonij recipere, dummodo interdicti causa non extiterint. Perinde etiam & Baptismi sacramentum, atque viaticum deferri potest morientibus, cætera autem sacramenta, Ordinis, scilicet, Extremæ Vnctionis, & Eucharistiæ sanis recipere non licet. Hæc conclusio in multis textibus Iuris Canonici, quos refert Syluester, est definita.

Verbo. interdictum. 5. §. 7.

CONCLVSIO.

Laicis tempore interdicti sepultura in Ecclesia, & cæmeterio denegatur, non tamen extra, & sine officio funerali. Clericis vero dummodo interdicti causam non dederint, in sua Ecclesia, sine aliena cum pulsatione campanarum, & officio alta voce celebrato Ecclesiastica sepultura conceditur. Definita est in Cap. Alma mater.

Syluest. vbi supra §. 8.

APPEN. Hinc Clerici cauere debent tempore interdicti, ne horas Canonicas in Ecclesia, vel in camera dicāt, nisi ianuis clausis, aut semoti omnino, si claudere noluerint.

III. Diffic. Violare interdictum estne peccatum mortale?

CONCLVSIO.

Clerici in sacris ordinibus constituti interdictum violantes, idest, aliquid eo tempore prohibitum facientes mortaliter peccant, fiuntque irregulares. Quod si fuerint religiosi, excommunicationem latæ sententiæ incurrunt. Ratio primæ partis huius conclusionis est, quia pœna irregularitatis, suspensionis ab officio, & beneficio non nisi propter mortale imponitur, quas quidem pœnas incurrere huiusmodi Clericos constat ex cap. Is qui, & ex cap. Is cui. de sententia excommunicationis in 6. & ex cap. Tanta de excessibus Prælatorum, & in Clementina ex frequentibus. de sententia excommunicationis. Religiosi vero excommunicantur. quod intellige tantum quando matrix Ecclesia

Ecclesia interdictum seruat. Prima pars conclusionis est contra Caieta. in summa verbo Interdictum. Intelligenda est conclusio, quando Clerici exercent actum, quem non possunt, nisi in sacris ordinibus exercere. Vnde si canat Epistolam sine manipulo, vel responsum vt laici solent, non erit irregularis.

CONCLVSIO. *Caiet. vbi supra.*

Clerici in minoribus ordinibus constituti interdictum violantes non efficiuntur irregulares. Ratio est, quia præfati textus solum de Clericis in maioribus ordinibus constitutis loquuntur, & lex pœnalis potius est restringenda quā amplianda.

CONCLVSIO.

Laici scienter interdictum violantes, nempe audiendo missam, mortaliter peccant. Quia in re graui contra præceptum Ecclesiasticum agunt, vt in cap. Alma mater, prohibetur.

IIII. Diffic. Quis poterit interdictum relaxare?

Respondeo, si est ab homine, relaxari, & suspendi ad tempus, vel in totum potest ab illo, qui illud posuit. Si est à iure, & Papę non reseruatur, ab ordinario relaxari potest, persona vero interdicta à iure, vel ab homine, non est vitanda ante denunciationem, vt ex Concilio Constantiensi patet.

Art. Vlt. de Cessatione a Diuinis?

Quas autem ob causas sit cessatio ponenda, inuenies in cap. quamuis. de officio Ordinarii in 6. Hactenus de excomunicatione.

FLORES QVAESTIONIS DE Correptione fraterna.

Art. An Correptio fraterna obliget transgressores ad mortale?

S. Tho. 22. q. 33. DD. d. 19. Canonistæ super canoni. de iudiciis & canon. si peccauerit 2. quæst. 1. Castro ver-

CONCLVSIO.

FRatrem in mortali peccato existentem corripere de lege naturali, Diuina & positiua est. Esse autem de lege naturali, constat ex illo principio, omnia, quæcunq; vultis, faciāt vobis homines, illis facite, & iuxta naturalem, & rectam rationem debent homines, quādo errant, velle doceri, & ab aliis in spiritualibus sibi opem ferri. lex etiam

etiam diuina hoc docet; nam si asino proximi sub onere cadenti subuenire præcipitur; multo magis profecto homini sub onere peccati cadenti erit sub precepto subueniendum. Vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo. Et tandē in iure positiuo est definita, & habetur in Canone Prouidendum d. 18.

bo subditus. Soto de ratione tegēdi, & detegēdi secretum & Pater Arenalius de hoc ar. 9. S. Tho. ar. 2. Ric. q. 1. ar. 2. Dur. quæst. 3. Matth. 17. Exod. 23. Deut. 22. Ecclesiast. 17. APPEN.

CONCLVSIO.

Præceptum correptionis fraternæ trāsgressores ad mortale obligat. Digni enim sunt morte, non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Et qui corripiendo fratrem potest peccatum prohibere, non prohibendo consentire videtur.

Hinc hæreticum erit; negare tale præceptum non esse Diuinum.

Dubium. Continetur ne hoc præceptum Matth. 18. vbi dicitur, si peccauerit in te &c.?

CONCLVSIO.

Non erit hæreticum negare; ibi hoc præceptum nō exprimi. cum ordo correptionis, non autem correptio eo in loco mandetur. quemadmodum Matth. 5. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum &c. non ieiunium, sed ieiunandi forma præcipitur.

Dubium. Estne grauius peccatum transgressio huius præcepti, quam transgressio præcepti de Eleemosyna corporali?

CONCLVSIO.

Magis præceptum correptionis, quam Eleemosynæ corporalis obligat. Ratio est; quia transgressio huius præcepti magis nocet; & ita deterior multo esse censetur.

CONCLVSIO.

Quando peccatum, in proximo corripiendum, est ex ignorantia, maior necessitas est proximum corripere, quam indigēti corporaliter subuenire. Ratio est; quia qui ex ignorantia peccat, nisi admoneatur, resipiscere non potest.

CONCLVSIO.

Quando peccatum est ex malitia, vel ex passione, prius est indigenti corporaliter subueniendum. Quia extremam necessitatem corporalem patiens, nisi Eleemosyna illam vitare non potest. Qui autem peccat ex malitia, vel ex passione, potest sine correptione resipiscere.

Prima Diffic. An correptio fraterna obliget quocunque tempore, etiamsi scandalum, siue mortis periculum timeatur.

S. Tho. ar. 2. & ibi. Caie. Duran. q. 3.

CON-

CONCLVSIO.

Præceptum hoc minime obligat nisi tribus circunstantiis concurrentibus, quarum vna peccati commissio, altera est spes futuræ emendationis, & 3. commoda opportunitas. Si enim dubius de peccato proximi, illum corriperet, maxima afficeret illum iniuria. & si nulla spes emendationis haberetur, esset actus inutilis; & si alio tempore magis me profuturum spero, differre ex charitate correptionem teneor. fit enim talis dilatio propter maiorem proximi vtilitatem. Lege Can. Si quis de Pœnitent. d. 7.

CONCLVSIO.

His circunstantiis simul concurrentibus, præceptum correptionis ad mortale obligat, quia tunc nulla est ratio protrahendi correptionem.

Hinc altera illarum circunstantiarum deficiente, correptionis præceptum non obligabit. Quia cessat correptionis finis, qui est fratrem lucrari. APPEN.

CONCLVSIO.

Concurrentibus circunstantiis positis. erit aliquādo correptionem pretermittere, veniale peccatum. v. g. si ex grauibus causis differatur; & ex ignorantia; quia credit se non teneri, quotiescunque illæ circunstantiæ concurrunt; vel quia non omnino sperat se profuturum, dummodo paratus sit omnia postponere, si se finem correptionis consequuturum sciret. ratio conclusionis est; quia talem animi præparationem habens, fraternam retinet charitatem. *S. Tho. est.*

CONCLVSIO.

Quando correptio est necessaria omnino, ita; vt proximus nisi corripiatur, à peccato abstinere non possit; tunc etiam cum periculo mortis, est frater corripiendus. V. g. Si corripiendus peccaret ex ignorantia culpabili, & spes certa de eius conuersione haberetur. Ratio est; quia ex ordine charitatis in necessariis ad salutem bonum spirituale proximorum est bono temporali nostro anteponendum.

CONCLVSIO.

Quando correptio non est simpliciter ad salutem proximi necessaria, quia fortassis peccat ex passione, aut malitia; tunc Prælatus etiam cum periculo mortis ad corripiendum tenetur, vt si esset certus. N. adulteram relicturam peccatū, certoque sciret se ab adultero occisum iri. Ratio est, quia Prælatus ex officio, & ratione iustitiæ custos, & speculator ad arcendos lupos constitutus est.

CON-

CONCLVSIO.

Cæteri vero cum tali periculo non obligantur. Quia solum ex charitate tenentur, & ad opera charitatis nemo cum detrimento vitæ, vel cum notabili detrimento bonorum famæ, aut honoris obligatur, nisi in casu extremæ necessitatis.

S.Tho.ar. 3. 4. & 5. Ric. ar. 2. q. 2. & 3. Dur. quæst. 3.

II. Diffic Teneturne quilibet alium corripere, cuiuscunque status, & dignitatis sit?

CONCLVSIO.

Concurrentibus circunstantiis supra positis, omnes homines cuiuscunque status, & infidelis tenetur peccatorem corripere. Quia cum sit præceptum naturale, vt in principio diximus, omnes in vniuersum homines obligabit. sunt enim infideles etiam nobis fratres, & proximi, & Christus Iesus, si peccauerit in te frater tuus &c. dixit.

Matth. 18.

CONCLVSIO.

Præceptum correptionis peccatores omnes, etiam publicos obligat, ita tamen, vt caute fiat, nempe, vt corripiat secreto, & non increpando, sed obsecrãdo, simulque seipsum accusando, & nouæ vitæ inchoationem proponendo. nam publice corripiendo, qui publicus peccator est, nihil efficit. cuius enim vita despicitur, restat: vt doctrina quoque contemnatur. Ratio est, quia cum existens in mortali teneatur ad alia opera charitatis exercenda, ad hoc etiam, quod est potissimum, obligabitur, nisi ita sit infamis peccator, vt est meretrix, leno, &c. vt de illo nulla correctionis spes habeatur. Esset enim opus inutile.

Greg. D. Tho. art. 5. vbi supra.

CONCLVSIO.

Prælati, qui sunt publici peccatores, tenentur, vel cedere officio, vel resipiscere ad alios corripiendos. Alioquin mortaliter peccabunt. Aliter enim commodum ex sua malitia reportarent. Si quidem ad hoc præcepto liberarentur. Et ita est intelligendus Ric. art. 2. q. 2.

APPEN.

Hinc subditus, qui peccator publicus est, resipiscere: vt alios corrigat, non tenebitur, quia nullus tenetur ad opera misericordiæ, nisi quando facultatem habebit.

CONCLVSIO.

Grauius peccat Prælatus, quam subditus hoc preceptum prætermittens. quia Prælatus, plusquam alius subditus, sibi subditum diligere tenetur. Dicente Christo Iesu apud Ioan. Petro Ecclesiæ principi: Symon diligis me plus his. est enim subditus Prælati spiritualis Filius.

Ioan. 21.

Hinc Paterfamilias magis ad corripiendum domesticos, quam extraneus tenetur. dicit enim B. Paul qui non habet curam suorum, maxime domesticorum, &c. est infideli deterior. APPEN. 1. Tim. ca. 5.

III. Diffic. Ad Prælatus ratione obligationis præfatæ teneatur inquirere secretos peccatores, vt illos secreto fraternaliter corrigat?

Caiet. partem negantem tenet. Soto partem affirmantem defendit. *Art. 2. vbi supra S. Th. m. 2. q. 4. Conc. 3.*

CONCLVSIO.

Non tenetur Prælatus secretos inquirere peccatores, satis est illos inuestigare inquisitione generali per edicta publica, vt singulis annis fieri consueuit. Nam quamuis Prælati magis ad correptionem fraternam, quam subditi teneantur: non tamen alio modo, scilicet, inquirendo peccatores secreto tenentur neque vllum de hac secreta inquisitione præceptum legitur.

CONCLVSIO.

Multo minus cæteri Christiani secretos peccatores corripiendos inquirere tenentur. Satis enim est quando occurrunt illos corripere, quemadmodum nullus tenetur quærere pauperes, quibus subueniat. Nam satis, est: vt occurrentibus Eleemosynam præbeat.

CONCLVSIO.

Grauius peccat, qui Prælati peccatoris, quam alterius subditi correptionem negligit. Ratio est, quia ordine charitatis, & Eleemosynæ spiritualis, plus Prælatum, qui est Pater spiritualis, diligere tenetur. Et quia illius peccatum magis nocet, est tamen non increpandus, sed obsecrandus. Seniorem (inquit. B. Paul.) ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, nisi fuerit crimen hæresis. Paul. enim publice reprehendit Petrum, quia fuit gentibus scandalum. Nam quando Prælatus in fidę errat, non est superior, sed æqualis. *1. Tim. ca. 5. ad Gal. ca. 2.*

IIII. Diffic. An ordo correptione fraterna sit sub præcepto? *S. Tho. ar. 7. Adr. de corraccess. fra. Ric. art. 3. q. 1. Dura. q. 4.*

Est autem ordo ex Euangelio, vt prius secreto admoneatur, Secundo, vt testes inducantur, & tertio, vt Prælato denuncietur.

CONCLVSIO.

Quando peccatum est notorium notitia facti non est secreto, sed publice peccator per fratrem increpandus,

& publice

& publice per iudicem puniendus. V.g. qui blaſphemat in foro, eſt à iudice publice puniendus, & ab aſtantibus, ſi ſine periculo mortis, vel alterius mali fieri poteſt, publice increpandus. Patet ad Timo. c. 5. peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Et eſt definita in cap. 1. de pœnit. & remiſſi.

1. Ad. Timo. cap. 5.

APPEN. Hinc religioſus, vel alius quiuis, qui blaſphemantes corã aliis non increpat, mortaliter peccat. Quia & Deũ diligere increpando blaſphemum, & ſcandalum aliorum diluere tenetur nisi timore mortis, vel alterius mali, excuſetur.

CONCLVSIO.

Quando crimen, quod non eſt notorium, eſt in detrimentum publicum, ſecreta correptio non eſt præmittenda, ſed criminoſus ſtatim eſt iudici denunciandus, vt eſt crimen hæreſis, proditionis reipublicæ, & ambitionis. Ratio eſt, quia ſecreta admonitio ſolum eſt denunciationi anteponenda, quando frater in malum priuatum videntis peccat. Ideo enim dixit Chriſtus, ſi peccauerit in te frater tuus, corripe illum, &c. ideſt, in tuam offenſam, aut ſcandalum, corripe illum. Temperat. S. Tho. hanc cõcluſionem, ſcilicet, niſi quando aliquis certiſſime ſperaret fructum ex ſecreta correptione, vt ſi quis in hæreſim ex ignorantia laberetur. Cæterum quia talia peccata perpetrantes rariſſime corriguntur, denunciandi ſtatim ſunt.

Matth. 18.

CONCLVSIO.

Quando crimen eſt in detrimentum tertij, & non ſpero me ſecreto corripiendo profuturum, crimenque in iudicio probari non poteſt, illi, cui detrimentum paratur: vt ſibi caueat, eſt denunciatio facienda, & criminoſus, ſi aliter fieri non poteſt, detegendus: vt ſi Petro Paulus inſidias pararet. quia diligere tenemur proximum, ſicut nos ipſos diligimus, & quilibet in ſimili caſu admoneri vellet. Non eſt autem denunciandus iudici, quia crimen, vt inquit Adrianus, in iudicio probari non poteſt, ſed innocẽti, etiam cum damno criminoſi. Quia innocentis cauſa melior eſt.

CONCLVSIO.

Quando crimen eſt occultum, & in malum peccantis, quale eſt peccatum libidinis, qualiſcunque ſit naturæ, ſi ex ſecreta admonitione delinquentis conuerſio ſperatur, prius erit ſecreto corripiendus. Concluſio eſt Euangelica, & eius trãſgreſſio eſt mortale peccatũ, conſtat Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe illũ inter te, & ipſum ſolum.

Matth. 18.

CONCLVSIO.

Facta secreta admonitione, si frater non corrigatur; poterit fieri denunciatio Prælato, non tanquam iudici, sed vt patri, quin testium inductio fiat. Ratio est, quia per istam denunciationem facile fratri peccanti medebitur. Deterrebitur enim secreta Prælati reprehensione, & est spiritualis Eleemosyna non contemnenda. *Ric. art. 4. q. 1.*

CONCLVSIO.

Quando frater per secretam admonitionem corripitur, & eius relapsus non timetur, nullo modo erit Prælato denunciandus. Patet ex Euangelio corripe illum &c. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. ibi igitur erit sistendum: cum finis correptionis, nempe, fratris peccanti, reparatio habeatur. *Matth. cap. 18.*

Ricardus vbi supra oppositum tenet; vnde religiosi errandi occasionem sumpserunt, dum in visitatione criminosos iam correptos denunciant.

Quinta Diffic. Poteritne clericus criminosum vita, vel abscissione membrorum plectendum iudici denunciare, quin irregularitatis pœnam incurrat?

CONCLVSIO.

Poterit, facta tamen prius protestatione, ne cõtra criminosum pœna sanguinis procedatur: quamuis tali pœna procedendum esse sciat. Ratio est; quia præceptum denunciationis est Euangelicum: præceptum vero ne clerici sint mortis causa in iudicio, est tantum Ecclesiasticum, ac proinde potius primum, quam secundum præceptum obligat. *Caiet. art. 7. vbi supra S. Thom.*

VI. Diffic. Quando crimen est occultum, suntne testes inducendi, vt in iudicio contra reum testificari possint?

Duæ sunt opiniones. Prima Durandi, qui tenet partem negantem, quando scilicet crimen est omnino occultum, poterit tamen (inquit) Prælato, tanquam patri releuare. esse tamen solum inducendos testes, quando crimen est probabile, idest, coram duobus, vel tribus testibus commissum, etsi vnus eorum occulte illum corripuerit, & resipiscere noluerit (erunt inquit) tunc testes, quibus crimen notũ est, vocãdi, & si fuerit cõtumax, Ecclesiæ denunciãdus. *quæst. 4.*

Contraria opinio est S. Tho. & Ric. & Paludan. & Gabriel. & Caiet. vbi supra S. Tho. horum sententia est, vt si frater secrete admonitus non corripiatur, inducantur testes, qui illum videant peccare, vt si coram illis reprehensus non *S Tho. ar. 8. Ric. art. 3. q. 2. Gab. let. super canon. Caiet. vbi sup. S. Thom.*

ſus non conuertatur, erit Iudici denunciandus, qui poterit per illos teſtes delinquentem conuenire.

CONCLVSIO.

Quando crimen eſt omnino occultum, ſi poſt ſecretam correptionem fraternam conuertatur, teſtes ad illum obſecrandum adduci poterunt. Probatur ex Euangelio, ſi te non audierit, adhibe tecum vnum, aut duos teſtes, vt in ore duorum, aut trium ſtet omne verbum. *Matth. 18.*

CONCLVSIO.

Non ſunt ſtatim duo adhibendi, ſed prius vnus, deinde alter, vt ſi forte coram vno teſte corrigatur, apud duos non infametur, patet ex Euangelio, vbi dicitur adhibe tecum vnum, aut duos, ideſt, prius vnum, & ſi non profuerit, adhibe alterum teſtem. *Matth. 18.*

CONCLVSIO.

Si adhibitis teſtibus, frater conuertatur, non erit Eccleſiæ denunciandus. expreſſa eſt in Euangelio citato. *Matth. 18.*

APPEN. Hinc, ſi nulla eſt crimino ſi ſpes, neque ſunt inducendi teſtes, neque eſt denunciandus, niſi crimen ſit in reipublicæ, aut alicuius tertij detrimentum. Cæterum teneor denunciare Prælato, ſi ob meritum obedientiæ ſanctæ præcipiatur: ſi non mihi veriſimile fuerit, mea ſecreta admonitione eſſe corrigendum. Tunc enim prius illum ſecrete admonere teneor.

VII. Diffic. Quando per viam denunciationis proceditur, poterit Prælatus publice delinquentem punire?

Alex. Alen. qõ. 40. & 45 in. 3. p. m. 6. art. 1. §. 2. & 3. Dur. q. 4.

CONCLVSIO.

Quando crimen eſt occultum, & denunciatio fit Prælato tanquam patri, non poteſt Prælatus tunc illum punire, neque iuridice interrogare, ſed monere tantum, & minis terrere vt caute viuat, meliuſque aget, ſi crimen nõ detegat, ne forte inter reum & denunciatorem diſcordias ſeminet. Ratio eſt, quia Prælatus non poteſt iuridice procedere, quãdo non habet contra reum legitimam probationem, neq; infamiam, neque indicium, & reus tunc etiam ſub ſententia excommunicationis confiteri minime tenetur. Non enim eſt iudex ceſſantibus legitimis, & plenis probationibus: vt poſſit per viam denunciationis, procedere. tamen ſi per viam accuſationis, aut inquiſitionis, ſemiplena probatione exiſtente, quæ vnico teſte, aut ſolis indicijs conſtat, procedere poſſet.

CON-

CONCLVSIO.

Potest Prælatus secreto flagellis delinquentem punire, quando crimen potest duobus testibus probari, etiamsi firmissimum propositum cauendi in futurum se habere dicat. Ratio est, quod propterea, tunc procedit vt iudex. Notanter dicitur secrete. quia publice non potest, cum denunciationis finis sit sola fratris emendatio: quando autem reus fuit infamatus, aliter, vt infra dicetur, procedendum erit.

CONCLVSIO.

Si reus post secretam punitionem, in idem peccatum relapsus fuerit, poterit tunc Prælatus, seu iudex publice contra illum agere, sub excommunicatione latę sententię præcipiendo: vt veritatē dicat, & aliis pœnis illum castigando. Hæc Conclusio colligitur ex Euangelio, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus, idest, publice illum vitabis. quod fieri non potest, nisi post iudicium in foro iudicario publicatum. *Matth. 18.*

Art. II. De Accusatione, sitne sub præcepto delinquentem aliquando in iudicio accusare?

CONCLVSIO.

Nullus crimen publicum accusare tenetur, bene tamen iudicialiter denunciare: vt iudex per fiscum contra criminosum agat. Accusator enim tenetur probare crimen, nō autem denunciator. nullusque est compellendus, vt crimen probet. quia si in probatione deficeret, pœna talionis plectendus esset. verum cum ex lege charitatis teneatur malo reipublicæ obuiare, tenebitur criminosum tale malum machinantem denunciare. Hæc est Angeli, verbo Accusatio. Contra S. Tho. & quæstio est de nomine, nam quod Angelus denunciationē. S. Tho. accusationē vocat. *Alexan. Alen. 3. p. q. 42. S. Tho. 2. 2. q. 68. Dur. q. 4. Canonista vbi supr.*

CONCLVSIO.

Nullus tenetur in conscientia accusare criminosum ob iniuria ab illo receptam. nam Christus Iesus cum malediceretur, non maledicebat, & cum accusaretur, non criminabatur. Sed pro malefactoribus libētissime orasse legitur. *1. Pet. 2.*

CONCLVSIO.

Si tamen non odio, aut maleuolentia, sed in satisfactionem iniuriæ illatæ moueatur, integrum erit illum accusare. Si enim licet petere in iudicio pro damno illato in bonis fortunę satisfactionem, integrū quoque erit pro damno illato in bonis honoris, & famæ, cū vtrobique criminosus ad

 restitu-

restitutionem teneatur. Intelligetur offensum odio carere, si vellet potius aliter, quam per accusationem sui honoris iacturam resarcire, verum quia aliter non potest, agit per accusationem.

Alexan. Alen qō. 41. m. 6. S. Tho. 33. art. 7. Ric. ar. 3. qō. 1. Sylueſter. verbo. accusatio §. 9.

I. Diffic. Tenebiturne accusator, prius admonere delinquentem?

Syluester duas contrarias affert opiniones.

CONCLVSIO.

Non tenetur prius admonere, quam accuset. Ratio est, quia accusatio non fit propter bonum accusati, quod per secretam admonitionem intenditur, sed propter bonum publicum, aut accusantis satisfactionem.

II. Diffic. Quando accusator peccat?

CONCLVSIO.

In accusatore calumnia semper est mortale peccatum. Ratio est, quia est mendacium in damnum innocentis.

CONCLVSIO.

Accusator quando est præuaricator, aut tergiuersator, non peccat mortaliter, nisi quando reus crimine publico accusatur; quia quando crimen est in detrimentum publicum, fit reipublicæ iniuria præuaricando, aut tergiuersando, non autem quando crimen est in detrimētum alicuius priuatæ personæ. Tunc enim persona accusans læsa, vel præuaricando, vel tergiuersando iuri suo cedere potest. De his vero, qui accusare possunt copiose Summistæ disputāt.

Alexan. Alen. vbi supra S Th. 2. 2. q 68. ar. 1 & reliqui dist. 29.

Art. III. De Inquisitione, An fiat licite de crimine occulto, nulla præcedente infamia?

CONCLVSIO.

Nunquam in criminibus priuatæ personæ quando crimen nō est in rempublicam, debet specialis fieri inquisitio, nisi de illo crimine infamia præcedat. v. g. sunt tres, aut plures testes, qui Petrum Sacerdotem cum aliqua concubina in lectulo viderunt, cuius criminis non est Petrus infamia notatus, quia testes tacuerunt, soli Prælato denunciant crimen, tunc Prælatus nec publice illum punire, nec alios testes vocare ad inquirendum de eius vita poterit. Ita expresse definitur in cap. Inquisitionis, & in cap. Qualiter, & quando. vbi multa Sacræ Scripturæ loca referuntur. Notanter dicitur in conclusione (nisi crimen sit contra rempublicam) vt crimen hæresis, proditionis, quia hæc crimina contagiosa sunt per specialem inquisitionem, vel vnico dumtaxat teste existente resecanda.

Hinc,

Hinc pessime facerent Prælati regularium, si publice punirent religiosos propter crimina coram quatuor, aut quinque testibus commissa. APPEN.

Hinc licitum esse videtur, in crimine nefando per specialem inquisitionem procedere. Cum sit contagiosum, & atrocissimum, & tales criminosi vix sint corrigibiles, & confirmatur. Nam Doctores in capitulo Qualiter, & Quando. definiunt, crimina atrocia, etiamsi criminosi non fuerint infamia notati, publice puniri posse. & hoc crimen nefandum, & atrocissimum est. APPEN.

CONCLVSIO.

Præcedens conclusio non est de iure naturali, aut diuino, sed de iure Canonico. Ita, vt Papa possit dispensare. nullibi enim in Sacra Scriptura tale præceptum reperitur. nam si reperiretur, nõ posset dispensare: vt secreta crimina, etiamsi nulli essent nocumento, publice punirentur. vt est lex de criminibus nefandis. Nam Achan nulla notatus infamia fuit publice punitus. *Iosue cap. 7.*

III. Diffic. Estne seruanda prima huius art. conclusio in criminibus regularium?

CONCLVSIO.

Ordo illius conclusionis seruandus est in criminibus regularium. Nam Deus Opt. Max. Gen. 18. antequam publice puniret Sodomitas, fuerunt diffamati. Descendã, & videbo: vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. & Villicus iniquitatis prius, quam ministerio priuaretur, fuit diffamatus. *Gen. 18.* *Lucæ ca. 16.*

IIII. Diffic. Infamatus de vno crimine: vt de furto, potestne de aliis criminibus interrogari, de quibus nulla est infamia notatus? *S. Tho. q. 33 art. 5. Ric. art. 2. q. 2.*

CONCLVSIO.

Non potest, nisi illud crimen sit aliorum indicium, v. g. qui occidit hominem in itinere, potest interrogari de spoliis, & infamatus de adulterio potest rogari, an virum adulteræ occiderit. Nam vnum crimen est alterius indicium. Definita est in cap. Inquisitionis citato vbi expresse habetur. Palud. & Caietan. vbi supra S. Tho. tenent oppositum.

CONCLVSIO.

Reus non est de sociis, qui nulla infamia laborant interrogandus, præterquam in criminibus, quæ sunt in detrimẽtum reipublicæ: vt est hæresis, siue proditionis crimen.

Hinc deprauatam esse consuetudinem interrogandi in causa APPEN.

causa furti, & homicidij de sociis, qui nulla sunt infamia notati.constat.est enim contra ius. & reus respondere minime tenetur.

Ric.art.3. q.3.Nauarro in manuali cap. 18. num.38.Soto.vbisupra. m.2.q.6.

Quinta Diffic. Si crimen est notorium,& ignoratur reus, poterit de illo,qui nulla est notatus infamia,iudex inquirere?

V.g.si fuerit cadauer hominis occisi repertum, cuius homicida ignoratur.

CONCLVSIO.

Poterit specialiter inquirere,quisnam fuerit criminosus, quamuis nulla infamia laboret. Quia tale crimen est in rēpublicam.Si enim inquisitio fieri non posset,daretur occasio committendi passim furta, & homicidia. Hæc conclusio est DD. Innocentij, super caput primum. de postulatione Prælatorum. quam dicit communem. Nauarro in manuali, Caiet.vbi supra, & Soto oppositum affirmant.

CONCLVSIO.

Generalis inquisitio nulla præcedente infamia alterius personæ,nulloque accusatore postulante, fieri potest. Definita est in capite.cum olim. de accusationibus, & in Canono.Romana.de censibus in 6.& hoc passim inter Ecclesiasticos,& regulares obseruatur.

VI. Diffic. Quænam sunt crimina, quæ subditi, quando fit generalis inquisitio,denunciare tenentur,& Iudices punire possunt?

PRIMA PROPOSITIO.

Crimina olim commissa, si criminosus est iam correctus,& omnino occasiones reincidendi abstulit, non sunt denuncianda. Ratio est, quia illorum non est inquisitio facienda. quod est maxime regularibus notandum. ne olim criminosi iam religiose viuentes Prælatis denuncientur.

SECVNDA PROPOSITIO.

Quando criminosus laborat infamia,etiamsi sit iam cōuersus,poterit iudex specialem contra illum inquisitionem facere testes interrogādo, qui respondere tenebuntur. Quia tunc iudex iuridice procedit, & interrogat.

PROPOSITIO 3.

Prælatus per inquisitionem generalem, solum potest subditos in illis casibus,& eo ordine ad crimina denunciāda compellere,quo ipsi extra inquisitionem generalem tenentur.verumetiam extra inquisitionem poterit denunciationem differre.in Visitatione autem generali, infra tempus

tempus à Prælato assignatum, debet fieri denunciatio.

PROPOSITIO 4.

Quando crimina sunt occulta, aut probabilia per duos saltem testes, & criminosus non laborat infamia, si tunc ex secreta admonitione, fratris conuersio speratur, tenetur corripere, & nullo modo denunciare, neque tunc censura aliqua ligabitur. quia Prælatus contra Euangelium non potest aliquid præcipere. vt ex superioribus patet.

PROPOSITIO 5.

Si vero tunc nulla, aut parua spes emendationis ex secreta admonitione habeatur, tunc crimen est Prælato, tanquam iudici, denunciandum, etiamsi fuerit omnino occultum: non vt publice, sed vt secrete illum puniat, vt supra diximus.

PROPOSITIO 6.

Si fuerit publicum, similiter erit Prælato tanquam iudici, denunciandum, qui debet criminosum publice, sed leuiori pœna punire.

VII. Diffic. *Reus, siue testis legitime à iudice interrogatus teneturne respondere veritatem?* *Alex. Alen. in 3. p. q. 43 m. 1. S. Tho. 2. 2. q. 69. art. 1. Ric. art. 4. q. 2. Soto. m. 3. q. 7. Rom. cap. 18.*

CONCLVSIO.

Tam reus, quam testis tenetur in iudicio legitime rogatus dicere veritatem. Patet, quia qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. resisteret autem, si tunc rogatus veritatem non diceret.

Hinc testis, vel reus, qui durante iudicio legitimo, veritatem inficiatur, etiamsi sit in proprium caput, non est à cōfessore absoluendus. bene tamen finito iudicio, si fuerit à iudice absolutus. quia tunc solum obligatur ad satisfaciendum parti læsæ per suam negationem, non autem ad tradendum se iudici, vt in ipso vindictam exerceat. APPEN.

Hinc, quando in iudicio per viam accusationis proceditur, si solus vnus testis est oculatus, & ab accusatore præsentetur, tenebitur dicere veritatem. Tunc enim vnus testis facit iudicium legitimum. Quia facit semiplenam probationem: Nam cum accusator agat iuste petendo vindictam iniuriæ occultæ, testis, quamuis sit vnicus, tenebitur veritatem aperire. APPEN.

VIII. Diffic. *Testis non accersitus à iudice tenebitur se ad testimonium dicendum offerre?* *Alexan. Alen. m. 1. vbi supra. S. Th. q. 70.*

CONCLVSIO.

Tenebitur in casu criminali, vel ciuili, si est veritatis conscius

Prouer.24. conſcius ad innocentis defenſionem. Dicitur enim Prouer. 24. erue eos, qui ducuntur ad mortem. & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes. Alioqui enim ageret contra charitatem, non tamen tenetur defendendo Innocentem, accuſare nocentem. eſtque intelligenda concluſio, quando aliter innocens liberari non poteſt. Nam ſi poteſt, non tenetur, quin à iudice vocetur.

CONCLVSIO.

Nullus ad damnandum tenetur offerre ſe vt teſtificetur quin à iudice vocetur. Nam Accuſator tenetur prius examinare probationem, quam aduerſus reum habet.

Limitatio. Eſt autem limitanda concluſio, niſi accuſatio ſit de crimine contra rempublicam: vt eſt crimen hæreſis, & proditionis, quia tunc, ſicut accuſator accuſare tenetur, ita & *Caieta.* teſtis teſtimonium dicere.

CONCLVSIO.

Qui abſcondit ſe, ne teſtificari contra reum compellatur, etiamſi eius teſtimonium ſit ſimpliciter neceſſarium, tam in cauſa ciuili, quam criminali, non peccat: dummodo parti læſæ damnum ſua cauſa, ſcilicet, quia teſtimoniũ non dixit, illatum reſtituat. & Ratio eſt, quia hoc modo nullam actori abſcondendo ſe iniuriam facit.

Alex. Alen. vbi ſupra. *IX. Diffic. Teneturne teſtis, quando à iudice vocatur, etiam cum periculo proprij capitis teſtari?*

CONCLVSIO.

Nequaquam tenetur. Ratio eſt, quia magis tenetur diligere ſe, quam alium, poterit tamen cælare veritatem verbis amphibologicis, vt ſupra diximus.

Alex. ibidẽ m. 3. *X. Diffic. Tenebiturne filius contra patrem teſtis eſſe?*

CONCLVSIO.

Tenetur in legitimo iudicio, ſi à iudice vocetur. Nam cum ſuum crimen in tali iudicio, ſi accuſetur, confiteri teneatur, tenebitur quoque contra patrem reum, ſi præſentetur.

XI. Diffic Tenebiturne aliquis manifeſtare crimen in iudicio, quod iuramento cælandum promiſit?

CONCLVSIO.

Si à legitimo Iudice vocetur, illud reuelare tenebitur. Ratio eſt, quia iuramẽtum fuit in præiudicium parti læſæ. hucuſque de Correptione fraterna.

FLO-

FLORES QVAESTIONIS De Voto.

Art. I. De his, quæ ad essentiam Voti pertinent?

In hoc art. de forma voti, idest, de promissione, quæ dat esse voto, & de voti materia disputabitur, & absoluetur aliquot difficultatibus positis.

S.Tho. 2.2. q.88. reliqui Doctores d. 38. & Soto. lib. 7. de ius. & iur.

I. Diffic. An præter intentionem, siue propositum faciendi aliquid, promissio ad votum desideretur?

S.Th. art. 1. D.Bona. q. 1. art. 1. c.1. Ric. art. 2. q. 2. Soto. q. 1. art. 2.

CONCLVSIO.

DE essentia voti sunt voluntatis deliberatio, & propositum, idest, intentio obligãdi se Deo, atque promissio. Nam vt homo homini per solum propositum non obligatur, sed per promissionem, ita neque Deo sine deliberatione, proposito, & promissione, aliquis obligabitur. Quæ quidem per solam interiorem cogitationem Deo, qui intuetur cor, fieri potest.

1. Reg. 16.

II. Diffic. Simplex assertio sine verbis promissoriis obligabitne aliquem in conscientia?

Vt, si quis dicat: ego tibi in iudicio patrocinabor; quin dicat; ego tibi meum promitto patrocinium.

CONCLVSIO.

Nunquam aliquis per simplicem assertionem quicquam promittere censetur. Ratio est; quia cum quis alicui dicit; ego tibi in iudicio suffragabor, statim exigit promissionem dicens, promittisne? quamobrem, si non habuit intentionẽ obligandi se, per talem assertionem obligatus haud erit.

III. Diffic. Votum sine plena deliberatione factum obligatne vouentem?

D.Bona. & Soto vbi supra.

CONCLVSIO.

Votum, cum actuali deliberatione præmissa, quæ plena, aut semiplena nominatur, vouentem obligat, ita vt illud adimplere teneatur. Definita est expresse in cap. sicut nobis. de regularibus. vbi ad voti exequutionem obligatur, qui maxima laborans ægritudine, mortis timore vouerat & in cap. Veniens de Voto. vbi Alexan. III. commutat votum in puerili ætate quadam facilitate sine plena deliberatione emissum. Et ratio est, nam vt aliquis iracundia accensus, aut repetino motu dummodo sit rationis compos potest votum frangere, & mortaliter peccare, ita eadem passione dominante potest votum emittere, & per votum

Deo obligari. neque enim maior libertas ad aliquid promittendum, quam ad seruandum promissum desideratur.

CONCLVSIO.

Qui sine vlla deliberatione actuali, plena, aut semiplena votum emittit, non tenetur votum adimplere. quia non est mentis compos.

APPEN. Hinc, si ebrius, aut iracundus, primo iræ motu laborans iuret, aut voueat se Hierosolymam iturum, si iterum luserit. dat, non perpendens, sit ne bonum, an malum tale votum facere, quamuis illud non adimpleat, non erit voti reus. Nam cum primus motus non sit liber, quia non est in nostra potestate, votum, vel iuramentũ tunc factũ nõ valebit.

APPEN. Hinc, qui iurandi assiduitate iuraret se Hierosolymam iturum, si iterum iurauerit, ad voti adimpletionem non teneretur propter deffectum actualis deliberationis. Nam licet illa deliberatio virtualis ad inducendum periurij peccatum sufficiat, eo quod prauam consuetudinem euitare tenebatur, ad obligationem tamen voti non sufficit. quia sic promittens animum promittẽdi, quod est de essentia voti, minime habet. atque ita est Ricardi sententia intelligenda.

CONCLVSIO.

In votis repentino voluntatis motu factis optimum erit consilium, dispensationem obtinere, quæ facilime concedetur, propterea quòd nimia facilitate emissa fuerunt, difficile namque est in huiusmodi euentibus, quid tenendum sit iudicare. Definita est in cap. Veniens de voto.

Hinc regula summæ Angelicæ, quæ dicit necessarium esse, vt tale votum obliget, recedente ira aut passione iterũ confirmare, parum veritatis habere videtur.

CONCLVSIO.

Votum emissum sola virtuali deliberatione est nullum. Vt si quis sola assiduitate iurandi promittat ira commotus peregrinationem aliquam, si cum socrate luserit. Ratio est; quia ad votum non satis est, vt sit voluntarium in sua causa, quale est votum ex assiduitate tantum iurandi factum, verum etiam oportet vt sit in se voluntarium, & hoc modo intelligenda est Ricar. opinio.

Scot. d. 39. lib. D. Pon. & Soto vbi sup. Syluest. verbo religio 3 §. 6. Caiet. vbi supr. S. Tho.

IIII. Diffic. Ad voti obligationem desideraturne propositum adimplendi promissum?

V.g milites S. Ioan. vouent continentiam perpetuã animo obligandi se ad illam religionem, est. Diffic. An teneãtur etiã habere efficax propositũ obseruandi continẽtiam,

CON-

CONCLVSIO.

Tunc est perfectum, & integrum votum, quando vouens intentionem obligandi se, & adimplendi promissum habet. Ratio est; quia concurrunt omnia, quæ ad voti perfectionem desiderantur. vtpote, deliberatio voluntatis, promissio, qua vouens Deo obligatur, & propositum faciendi promissum.

CONCLVSIO.

Vouens animo obligandi se, & non adimplendi promissum, mortaliter peccat, estque in statu damnationis, donec propositum mutet, & ad votum adimplendum obligatur. est enim de essentia voti voluntas obligandi se Deo per tale votum, quam ita vouens habet, cum vellet fieri religiosus illius ordinis, in quo votum vouit Domino, deprehendetur vero carere proposito adimplendi votum, si occasiones incontinentiæ non vitauerit, & incaute, sicut ante votum, vixerit.

CONCLVSIO.

Qui voce tenus, sine animo obligandi se Deo, & adimplendi votum, vouet; mortaliter peccat. quia mentitur, si voce tantum illud proferat, non tamen ad votum adimplendum obligatur. deest enim voluntas vouendi, quæ in voto est radix obligationis.

Hinc, qui coram aliis: vt fit in voto solemni religionis, sine animo promittendi, vouet, votum adimplere tenetur, non ratione voti, quia fuit nullum, sed ratione vitandi scãdalum, quod ex voti fractione sequeretur, possetque Ecclesia sic vouentem ad voti obseruantiam compellere, quia cum Ecclesia non iudicet de occultis, non tenetur illi credere, quamuis iuret intentionem obligãdi se, non habuisse, quemadmodum ficte ordinato aut baptizato, etiamsi iurando affirmet se intentionem recipiendi tale sacramentum non habuisse, fidem adhibere haud tenetur. APPEN.

Hinc, ficte vouens secluso scandalo, vt si à loco, vbi scãdalum oriri potest longe recedat, ad voti obseruantiam minime obligabitur. APPEN.

Hinc, si in eodem loco permaneat, tenetur ad secrete vouendum. Aliter enim non erit monachus, & dum falso Monachatum repræsentat, est in statu damnationis. propterea quod Prælati non habent authoritatem absoluendi, aut ligandi illum, sed solus Diœcesanus Episcopus, cum nõ sit monachus. Tumetiam quia si intẽtionem suffragãdi in APPEN.

electionibus habet, cum vero suffragio careat, mortaliter peccat. quapropter, vel recedat à loco, & sine scandalo habitum dimittat, oportet, vel secreto intra se votum religionis emittat, dicens; Domine ego voueo paupertatem, &c.

D. Bon. Ric. & Sot. vbi supra.

V. Diffic. Solum vouendi propositum sine explicita, aut tacita promissione, obligatne, ac si votum factum fuisset?

V. g. ingreditur aliquis religionem cum firmissimo perseuerandi proposito & ante professionem mutat sententiam, & reuertitur ad sæculum, eritne hic voti reus?

Verbo. relig. 3. §. 9.

Syluester. duas refert opin. primam Canonistarum tenentium partem affirmantem. Secundam Theologorum defendentium partem negantem. quos Caieta. in hoc art. Citat, & sequitur.

CONCLVSIO.

Solum propositum vouēdi sine expressa, vel tacita promissione, obligationem adimplendi propositum non inducit. Definita est expresse in cap. ex parte & in cap. literarum. de voto, & in cap. si bonum 17. q. 1. nam proponere aliquid facere non est promittere. sunt enim de essentia voti actualis deliberatio voluntatis, idest, vt emissurus votum dicat; volo esse monachus; & propositum, idest, intentio obligandi se per votum, & promissio, quæ est votum, siue voti forma.

D. Bon. q. 2. Ric. art. 1. q. 1. ad. 2. Soto. lib. 7. de iust. & iur. q. 1. ar. 3

VI. Diffic. An possit votum de re illicita fieri?

Nequaquam fieri potest. Votum enim de re illicita est in contumeliam Dei; & ideo non tam promissio, & votum, quam comminatio dici debet. est enim votum bonū, quia res promissa est bona, & à contrario sensu, erit votum illicitum, & malum, quando res promissa mala, & illicita fuerit.

APPEN.

Hinc, promittens Deo aliquod veniale habens intentionem irrogandi Deo aliquam offensam, grauissimum sacrilegium, & blasphemiam committit. quia est comminatio contumeliæ, & non promissio.

APPEN.

Hinc, quando quis promittit veniale sola intentione cōplacendi sibi, qualis erit animus, & intentio, talis erit promissio mortalis, scilicet, aut venialis, quia votum, siue iuramentum de re aliqua illicita tantò est deterius, quanto res promissa est maioris malitię. non enim effectus est sua causa deterior.

D. Bon. q. 2. Ric. art. 13.

VII. Diffic. An votum de re indifferenti obliget?

CON-

CONCLVSIO.

Votum de materia indifferenti nullo modo promittentem obligat. displicet namque Deo stulta promissio, qualis est de materia indifferenti. est enim inutilis. quam vel homines repudiant. *q.3. Sot. vbi supra.*

Hinc votum non ludendi cum alio, vbi nulla ratio mali interuenit, est nullum. APPEN.

Hinc mulieres promittentes in honorem Virginis Sanctissimæ abstinere in sabbato à panis coctione, non abstinendo ab aliis operibus seruilibus, votum reddere minime tenentur. quia est opus indifferens. parum enim refert abstinere se ab vno opere seruili, si aliis vacet. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando res indifferens ex suo genere, bona ratione alicuius circunstantiæ efficitur, voti materia esse potest. Ratio est, quia tunc erit votum de re vtili, & bona.

Hinc, votum non confabulandi cum certa persona, quia est vouenti ruinæ, & scandali occasio, erit validum cessante autem scandalo, & ruinæ occasione, erit nullum, nec obligabit. quia iam materia indifferens est effecta. & de similibus simile iudicium est. APPEN.

VIII. Diffic. Votum de re ineuitabili, vt de nunquam peccando venialiter, valebit? *D. Bona: q. 2. Ric. ar. 3. q. 2. ad. 1.*

Votum de nunquam venialiter peccando, quoad peccata, quæ sunt ineuitabilia, est nullum. Ratio est, quia illud promittere non possumus, quod in nostra potestate non est; qualia sunt peccata venialia, quæ rationis vsum præueniunt, vt primi sensualitatis motus, de quibus B. Ioan. dicit si dixerimus, quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. *1. Ioan. 8.*

CONCLVSIO.

Valebit tamen votum istud, quoad illa venialia, quæ sunt in nostra potestate, vt quæ non præcedunt, sed sequũtur rationis vsum, quale est mendacium leue, verbum otiosum. Ec. ratio est; quia qui promittit aliquid, & totum reddere nequit, saltem ad partem reddendam obligatur, vt qui promittit centum, & non nisi decem reddere potest. Oppositum tenet Soto, est tamen consulendum ita vouentibus, vt dispensationem obtineant propter difficultatem adimplendi votum. *D. Bon. q. 2: Ric. art. 3. q. 2. ad. 1. Soto. q. 1. ar. 3.*

IX. Diffic. An de rebus necessariis ad vitã æternam consequendam, qualia sunt præcepta decalogi, possit fieri votum?

CON-

CONCLVSIO.

Possunt quidem esse voti materia. Ratio est, quia licet sint necessaria necessitate finis, idest, ad vitam æternã consequendam, sunt nihilominus in nostra potestate, & voluntaria.

CONCLVSIO.

Votum de huiusmodi rebus factum qui transgreditur, grauius peccat, quam si votum non emisisset. est enim transgressio duorum præceptorum.

APPEN. Hinc, qui in duabus religionibus regularium bis votum solemne continentiæ emisit, grauius peccat, si incontinenter viuat: duplici enim voto ad continentiam est obligatus. Idem est iudicium de illo, qui super eandem materiam vota multiplicat.

D. Bona. q. 2. Soto. q. 1. art. 3.

X. Diffic. Licetne absque peccato opposita consiliorum promittere?

V.g. si quis dicat, promitto non intrare religionem, vel non dare eleemosynam, nisi patienti extremam necessitatem.

CONCLVSIO.

Opera supererogationis, cuiusmodi sunt consilia Euangelica, propria voti materia esse dicuntur. Ratio est, quia sunt omnino voluntaria.

CONCLVSIO.

Non licet aliquid contra consilia, & supererogationis opera promittere. quia tale votum impedit omnino maius bonum. ponit enim in corde suo non ascendere. Et in via Domini non progredi, regredi est.

CONCLVSIO.

Qui promittit contra consilia, etiam quando fuerint sub præcepto, mortaliter peccat, vt si quis promitteret, nunquam dare eleemosynam etiam extremam necessitatem patienti. Ratio est, quia talis promissio propositum peccandi mortaliter includit.

CONCLVSIO.

Si ita vouens intenderet, vt Deus promissionem acceptando, sua consilia reuocaret, grauissimum sacrilegium, & blasphemiam committeret. quia esset velle Deum mutabilem esse, quod deitati repugnat.

CONCLVSIO.

Qui sic vouens intenderet Christo consulenti displicere, esset peccatum contra charitatem, & odium Dei.

CON-

CONCLVSIO.

Qui ita per ignorantiam voueret, existimans se Deo obsequium præstare, vt si promitteret, non dare eleemosynā Petro, quia est superbus, venialiter peccaret. Nam per ignorantiam à mortali excusabitur.

Hinc, nunquam licebit votum de nunquam vouendo emittere quia consilium Euangelicum est. APPEN.

XI. Diffic. Votum emissum de aliquo supererogationis opere propter malum finem, eritne validum? *D. Bona. q. 2 Ric. art. 1. Sot q. 1. ar. 3. Caieta. vbi supra. S. Th.*

CONCLVSIO.

Quando malus finis est materia voti, idest, res, quæ promittitur, solum obligat votum ad pœnitendum, cum sit. M. P. quia qui malum finem promittit, vt vouens non dare eleemosynam, nisi propter vanam gloriam, habet voluntatem, & intentionem peccandi, & peccare promittit, atq; ita non obseruare votum, sed pœnitere tenetur, cum ad vitandum peccatum obligetur.

Est tamen limitanda conclusio de sententia Magistri Victoria, dummodo ita vouens habeat propositum adimplendi promissum. Nam si tali proposito caret, mortaliter non peccat, quia voluntatem peccandi non habet, sed venialiter tantum, quia tale votum otiosum, & inutile est. *Limitatio.*

CONCLVSIO.

Quando malus finis non est materia voti, sed causa ad vouendum excitans, & aliquod bonum vouetur, peccat, qui ita vouet. votum tamen tenet. actus enim bonitatem, aut malitiam à fine operantis sortitur, & cum finis sit malus, actus quoque malus iudicabitur. votum tamen illud valebit, quia materia est licita, & Deo grata, intentionem tamen mutare tenebitur.

Hinc, votum malum, & nullum, non sunt idem. Nam in præsentia votum est malum, quia peccatum est, tamen obligat. APPEN.

Hinc, qui promittit missas: vt præbendam consequatur, habens intentionem abutendi præbenda, adimplere promissum, quia est bonum, scilicet, missæ sacrificium, & prauæ intentionis pœnitere tenetur, & de similibus simile est iudicium. APPEN.

CONCLVSIO.

Qui vouet rem bonam pro aliquo malo à Deo impetrando, vel ante consequutionem mali, vt si quis det eleemosynam pauperi: vt Deus in bello iniusto sibi Victoriam concedat,

concedat, vel ad aliquam fraudem sit patronus, vel antè factum aliquid Deo promittat, si quod iniustum postulat euenerit, vel si post factum obtenta iniusticia aliquid Deo in gratiarum actionem offerat, tunc graue sacrilegium, & blasphemia interuenit. irrogat enim Deo iniuriam petendo patrocinium ad malum. Nam cum sit summe bonus, non potest esse mali author. nullus namque Deo authore est deterior.

CONCLVSIO.

Qui promittit bonum in ordine ad malum puniẽdum, siue impediendum, si euenerit, promissum seruare tenetur, vt si quis promittat se daturum Deo 100. aureos, vel ingressurum religionem, si adulterium comiserit. Ratio est, quia huiusmodi votum est licitum. quia est in ordine ad malum non faciendum, sed puniendum, vel fugiendum: vt qui intrat religionem, ne iterum adulterium committat.

CONCLVSIO.

Similiter valet votum pro bono assequendo, quod naturaliter ex malo principio ortum habet, vt si quis promittat vas argenteum templo virginis sanctissimæ, si prolem ex concubina habuerit. proles enim bona est, quamuis causa, scilicet, adulterium, siue fornicatio sit mala.

APPEN. Idem est iudicium de meretrice, quæ Virgini dimidietatem turpi lucri promittit. nam licet causa lucri sit turpitudo, lucrum tamen licitum est.

APPEN. Idem quoque censendum est de lusore, qui promittit pauperibus partem lucri in ludo iusto. Nam licet ludus inordinatus si p. lucrum tamen ex ludo iusto est licitum, & horum omnium ratio communis est, quia bonum promissum, non est ad malum impetrandum. nolunt enim ita vouentes, Deum esse mali causam.

D. Bona. q. Ric. art. 3. qõ. 2. ad 2.

XII Diffi Votum de re licita maius, & perfectius bonum impediens, obligatne in conscientia?

V. g. votum nubendi quod impedit cælibatum, aut religionis ingressum, quæ sunt bona perfectiora.

Duæ sunt opiniones. Prima Caieta in art. 2. S. Thom. dicentis, quando quis promittit matrimonium, vt est in officium, nec valet promissio, nec adimplere tenetur. Qui verò promittit in remedium, quia est pronus ad libidinem, & iam expertus est à tentatione carnis superarij, votum nuptiarum adimplere tenetur.

Contraria opinio est Soti lib. 7. de iust. & iur. q. 1. ar. 3. asserentis,

asserentis, votum nuptiarum, siue sit in remedium, siue in officium nunquam obligare.

CONCLVSIO.

Si expertus est se non posse seruare cælibatum de facto, quia frequentissime abstinere proposuit, & nihilominus à libidine victus est, si votum nuptiarum emiserit, illud adimplere tenetur. Ratio est, quia votum debet fieri de meliori bono, & huic melius est matrimonium cælibatu. Incontinentibus enim melius est nubere, quam vri, vt B. Pau. docuit. *1. Cor. ca. 7*

CONCLVSIO.

Non nuptæ, & viduæ, seruantes continentiam, si nubere voueant, non peccant. Dixit enim B. Pau. de istis, si acceptis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, nō peccauit. *1. Cor. cap. 7*

CONCLVSIO.

Votum tamen nuptiarum obseruare minime tenentur: nunquam enim debet homo disponere descensiones, sed ascensiones in vita spirituali, iuxta propheticum dictum. Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. qui autem matrimonium vouet, descendit à cælibatu ad Matrimonium. *Psal. 83.*

XIII. Diffic. An Christiani in Baptismo emittant votum seruandi præcepta diuina, & Ecclesiastica? *Soto vbi supra ad 1.*

Glossa super locum Psal. vouete, & reddite &c. partem affirmantem tenet, & eiusdem sententiæ videtur esse D. Hiero & D. Aug. vt refertur in cap. 1. de consec. d. 4. & S. Tho. in solutione ad 1. 2. art. & Alij Theologij. *B. Hiero. & D. Aug.*

Contrariam sententiam tuetur Caietanus, & Alij Thomistæ.

CONCLVSIO.

Baptismus non est votum implicitum, aut explicitum seruandi præcepta Euangelica, aut Ecclesiastica. Nam recipiens Baptismum solum profert hæc verba, abrenuncio, & volo & credo, quorum verborum nullum promissionem, quæ est de essentia voti, significat. quare per nullum istorum verborum votum implicitum, aut explicitum, idest, expressum emittitur. neque enim abrenuntiare est promittere, sed expoliare se ante acta vita. neq; velle esse Christianum est promissionem emittere, & credere ad solum fidei assensum referre.

CONCLVSIO.

Ratione Baptismi in baptizatis oritur obligatio seruandi

præcepta Diuina, & Ecclesiastica, quæ oriri solet ex voto implicito, aut explicito: non tamen quod aliquo modo præcepta promittant. Ratio est, quia Cathecumenus ante Baptismum non seruando dies festos non peccat, quemadmodum post susceptum Baptismum, quare ratione Baptismi ad præceptorum obseruantiam obligatur. & ita intelligenda est 1 opinio.

D. Bona. q. 2. Soto in fine q. 1. li. 7. D. Hiero.

XIIII. Diffic. Peccauitne Iephte quando vouit immolare Deo, quicquid sibi reuertenti cum victoria, primum è foribus domus occurreret?

D. Hiero. affirmat in vouendo stultum fuisse, & in reddendo insipientem, & cum stultitia sit P. M. indiscretionis peccasse sensit. D. Tho. vbi supra, est opposita opinio.

CONCLVSIO.

Peccauit Iephte tale votum faciendo. Ratio est, quia fuit votum stultum propter indiscretionem. Cum primũ enim vidit filiam, scidit vestimenta sua, & dixit. hæu me filia, decepisti me &c. aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non poteram. Vbi aperte fatetur se votum sine discretione materiæ immolandæ fecisse. fuit quoque impius in reddendo votum, quia fecit contra præceptum, non occides.

Indicũ. c. 11.

Nicolaus de lyra opinatur Iephte filiam non immolasse, sed Deo, vt in perpetua continentia viueret, obtulisse. affertque multa loca Sacræ Scripturæ in suum fauorem.

Art. II. Obligatne omne votum ad sui obseruantiam?

S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 3. DD. 38. Ric. ar. 2 q. 1. & art. 5. q. 1. & 2. & Sot. li. 7. q. 2. ar. 1. DD. vbi supra.

Obligat quidem. quia tenemur seruare fidem, id est promissionem Deo & ratione Dominij, quia creauit nos, & ratione beneficiorum, quæ quotidie ex sua liberalissima manu recipimus. displicet enim Deo infidelis promissio.

I. Diffic. Fractio voti est p. m. ex genere quemadmodum furtum, & homicidium?

CONCLVSIO.

Prou. c. 20.

Est quidem M. ex genere, vt constat. prouerb. 20. vbi dicitur, ruina est homini deuorare sanctos, & post vota retractare. idest, retrocedere, & est definita in cap. Magnæ deuotionis. de voto. Vbi legitur, vouere esse opus consilii, reddere autem opus præcepti.

S. Tho. infra q. 79. art. 3.

II. Diffic. An fractio voti possit aliquando esse veniale peccatum?

V. g. ratione paruitatis materiæ: vt si quis promiserit singulis diebus vnicam salutationem dominicam, siue Angelicam

licam salutationem recitare.

Duæ sunt opiniones. Prima Caieta. vbi supra dicentis, si res minima est tota materia voti, transgressio semper erit mortalis, si autem pars materiæ, vt si quis prætermitteret tres Aue marias ex 100. promissis, tunc ratione paruitatis materiæ, transgressio esset venialis tantum.

Contraria opinio est Soti asserentis, in omni euentu, ratione paruitatis materiæ, etiamsi res parua sit tota materia voti, fractionem esse venialem tantum. *Li. 7. de iust. & iure. q. 2. art. 1.*

CONCLVSIO.

Votum de re minima, & quando est pars totius materiæ promissæ, vel tota voti materia, obligat transgressores ad veniale tantum. Ratio est, quia transgressio cuiuscunque præcepti, ratione paruitatis materiæ, idest, parui nocumenti, solum obligat transgressores ad veniale. minimo enim nocumento charitas Dei, & proximi non destruitur, & fractio voti, transgressio præcepti diuini est, vt constat, qua propter ratione paruitatis materiæ fractio voti erit tantum venialis.

Hinc, si votum, exempli gratia, recitandi singulis diebus Angelicam salutationem nunquam adimpleatur, non erit mortale, vt sentit Soto. APPEN.

III. Diffic. An simplex promissio facta homini in conscientia obliget?

Duæ sunt opiniones, quas refert Syluestr. Vna Canonistarum negans obligare in conscientia. Altera, & contraria est communis. *Verbo pactũ. §. 3. & 4. Scoto in 3. dist. 39. & Soto vbi supra.*

CONCLVSIO.

Simplex promissio homini facta ex genere transgressores ad mortale obligat. quia vt per simplicem promissionẽ obligamur Deo, ita & homini. violatio siquidem promissionis vtrobique est actus iniustitiæ, & ideo est mortalis ex genere, nisi aliquando, aut ratione paruitatis materiæ, aut propter defectum consensus à mortali excusetur.

CONCLVSIO.

Vt talis promissio in conscientia obliget, necessaria est acceptatio eius, cui fit promissio. Ratio est, quia beneficium inuito non confertur, & quando fit præsenti, si taceat, donec acceptet, non videtur illi placere.

CONCLVSIO.

Per simplicem assertionem, nullus tenetur adimplere assertum. vt si quis dicat, Orabo pro te, vel quid simile. quia

ſimplex aſſertio ſolum eſt propoſiti, quod facile mutari poteſt, explicatio. Nota ad tollendos ſcrupulos eorum, qui pro aliis ſe oraturos affirmant, quando enim aliquis alteri dicit: Ego ſuffragabor tibi in iudicio, ſtatim alter exigit promiſſionem dicens, promittis ne? Vnde ſecundum communem acceptionem nullus per ſimplicem aſſertionem cenſetur facere promiſſionem.

CONCLVSIO.

Per ſolam pollicitationem, quæ eſt promiſſio facta abſenti, nullus, niſi in caſibus à iure expreſſis, in conſcientia obligatur. caſus autem hos apud Syluest. verbo Pollicitatio reperies.

CONCLVSIO.

Vt promiſſio ſimplex in conſcientia obliget, duæ conditiones ſunt neceſſariæ. Prima vt perſonæ, & res ſint tempore adimplendi promiſſionem in eodem ſtatu, in quo quando fuit facta promiſſio, erant.

Secunda vt promittens habuerit firmiſſimam intentionem obligandi ſe. Conſtat prima conditio ex regula Senecæ, quam citat Syluestr. quia quando facta promiſſione aliquid ſuperuenit, quod ſi tempore promiſſionis extitiſſet, non fuiſſet facta promiſſio, tunc non obligat. Secunda conditio ita explicatur, ſi tempore promiſſionis præſtitiſſet promittens iuramentum, ſi ab eo exactum fuiſſet, animum tunc obligandi ſe habuit, ſi autem non præſtitiſſet, & intentione obligandi ſe caruit, & ad promiſſum adimplendum non tenetur.

APPEN. Art 1. Soto. q.2. art. 1.

Hinc, ſi tempore promiſſionis erant amici, & adimpletionis tempore ſunt inimici, aut ſi tempore promiſſionis erat ditior, quam tempore adimpletionis, non tenetur adimplere promiſſum. quia perſonæ nō ſunt in eodem ſtatu.

CONCLVSIO.

Ficte promittens non tenetur, niſi ad pœnitendum de mendatio, etiamſi iuramento illud promiſerit. Ratio eſt, quia radix obligationis, ſcilicet, voluntas obligandi ſe defuit.

IIII. Diffic. Promiſſio homini facta per ſolum actum interiorem, obligatne in conſcientia promittentem?

Opinio probabilis eſt, quæ tenet ſic promittentem obligari ad manifeſtandam ſuam mentem illi, cui facta eſt promiſſio, vt eam ſi placuerit acceptet. oppoſita tamen opinio eſt S. Tho. & verior.

CON-

CONCLVSIO.

Minime per talem promiſſionem interius factam promittens in conſcientia obligatur. Ratio eſt, quia promittens non tenetur ad ſecundum promiſſum, niſi alius acceptet, & per ſolam mentalem promiſſionem, ille, cui fit promiſſio, nihil acceptat, neque poteſt. quare ita promittens non tenetur ſuam mentem alteri manifeſtare. Promiſſio ſiquidem mentalis ſola eſt propoſitum, aut ſimplex aſſertio, & mutari poteſt.

Hinc, promiſſio facta ſurdo, vel abſenti, antequam ab eo acceptetur, non obligabit. APPEN.

V. Diffic. An promittens religionem in particulari, vt B. Patri Franciſci, ſi in duobus, haud tribus Conuentibus finitimis non admittatur, ad aliam prouinciam, vel Regnum, vbi fortaſſis admittetur, adire teneatur, perinde religionem in genere promittens non ad miſſus in vna, alias per totum orbem quærere teneatur?

S. Tho. 2. 2. q. 189. art. 4. Ric. art. 5. q. 1. ad 2. So. q. 2. ar. 1.

Opinio Caieta. & Soti, tenet promittentem religionem in particulari, ſi duos aut tres conuentus adierit, in quibus non fuerit admiſſus, ad nihil amplius teneri, promittentem vero in communi, non teneri niſi ad petendum habitum, in omnibus conuentibus eiuſdem Prouinciæ. v. g. ſi fuerit Hiſpanus in Hiſpania, & ſi Gallus in Gallia &c. tenebitur adire omnes religiones eiuſdem Regni.

CONCLVSIO.

Si impedimentum, quominus religionem ingrediatur fuerit temporale, promittens ceſſante impedimento religionem intrare tenetur. Ratio eſt, quia ſublato impedimento, nulla ſubeſt excuſationis cauſa.

Hinc, promittens religionem, ſi ad Sacerdotium non admittatur (quia eſt idiota) tenebitur vel tollere impedimentum diſcendo grammaticam, vel facere laicorum profeſſionem. laborare enim tenebitur, quantum in ſe eſt, vt votum adimpleat. APPEN.

CONCLVSIO.

Votum ex natura ſua vouentem religionem, & non admiſſum in ſua prouincia, extraneas quærere compellit. v. g. Hiſpanus Italiam &c. Ratio eſt, quia votum obligat ad ſui obſeruantiam, ſecundum vltimum de potentia.

CONCLVSIO.

Votum ex intentione vouentis non obligat vouentem

 ad ex-

ad extraneas prouincias quærendas. Ratio est, quia modus extraordinarius adimplendi votum, qui impediret promissionem, si vouens tunc illius recordaretur, impedit quoque voti exequutionem. Propterea quod votum est omnino voluntarium, & si vouens tempore voti interrogatus fuisset, an exclusus in Hispania vellet in Italiam se conferre, profecto renuisset.

APPEN. Hinc, sequitur contra Innocentium in cap. Porrectam. de regul. & transeuntibus ad religionem, quem refert Caietan. qui tenet non admissum ad religionem, & non ex culpa sua, teneri votũ religionis emittere in manibus Episcopi, & intra domum suam religiose viuere, quia votũ religionis emissum fuit conditionale, scilicet, si admitteretur.

q.189.art.3.

S.Tho. vbi supra, Soto. vbi supra.

VI. Diffic. Suntne hæc vota æquiualentia, promitto me ingressurum religionem, aut promitto me futurum religiosum, seu Monachum?

Caiet. respondet duo. Primum promittens ingressum religionis, qui nihil de perseuerantia cogitauit, perseuerare non tenetur, sed solum intrare nouitiatum. Secundum, si promiserit fieri monachus, perseuerare tenebitur.

CONCLVSIO.

Ex natura voti idem est promittere ingressum religionis vel promittere effici religiosum. Ratio est, quia nullus ingreditur religionem, donec fiat religiosus, & cum ante professionem nullus sit religiosus, siue monachus, idem profecto erit ex natura voti, promittere ingressum religionis, aut promittere fieri monachum.

CONCLVSIO.

Quando promittens solum habuit expressam intentionem experiendi statum religionis, placeretne sibi, tunc ad professionem non obligatur. Ratio est, quia votum, cum sit voluntarium, solum obligat iuxta voluntatis determinationem.

S.Tho. vbi supra, Soto loco citato.

VII Diffic. Qui promisit votum religionis simpliciter, poteritne absq; peccato intra annum professionis retrogredi?

CONCLVSIO.

Non poterit sine peccato, quin habeat legitimam retrogrediendi causam. Ratio est, quia promittens tenetur, quã tum in se est, dare operam, vt promissum adimpleat. Alioqui enim inter ingredientem cum voto, aut sine voto, nullum esset discrimen, causa autem sufficiens recedendi erit perpetua infirmitas corporalis, vel experientia, quod in posterum

uerum habebit impedimentum, quominus promissum obseruare possit.

VIII. Diffic. Qui facta professione propter deprauatos mores, quia est incorrigibilis a religione expellitur, tenebitur vota essentialia, & praecepta religionis seruare? — Soto. lib. 7. q. 2. art. 2.

CONCLVSIO.

Ita exclusus à religione non tenetur præcepta regulæ, nec votum obedientiæ, & paupertatis obseruare. Ratio est, quia iam non est monachus illius religionis, & impossibile est obedientiam seruare. quia non est illis Prælatis subditus, atque etiam paupertatē, cum sine proprio viuere haud possit.

CONCLVSIO.

Obligatur tamen ad seruandum solemne continentiæ votum, ita vt sit inhabilis ad contrahendum, & grauius fornicando peccet. hæc patet à simili. Nam vt coniugatus extractus à religione post solemnem professionem, quam in vita vxoris emiserat, mortua vxore, est inhabilis ad contrahendum, propter solemne votum emissum, ita à simili in proposito, vt constat ex cap. Placet &c. Quidam. de conuersione coniugatorum, & ex consuetudine Ecclesiæ, quæ nunquam tales exclusos ad matrimonium admisit.

CONCLVSIO.

Tenetur etiam, quantum in se fuerit vitam in melius mutare, vt iterum ad religionem recipiatur. Nam si conuersus, & religiose viuens non recipiatur, deinceps exclusio ad p. sibi non imputabitur.

DVBIVM.

Quid, si exclusus ante votum solemne, vouit simpliciter religionem, & in genere, tenebiturne facta exclusione, aliā religionem querere? Respondeo, videtur non teneri. quia propter infamiam habet impedimentum perpetuum, quominus recipiatur.

IX. Diffic. Emittens simplex votum religionis, dum non recipitur, tenebitur seruare continentiam? — S. Tho. 2. 2. q. 189. art. 4. Soto. art. 1. citato.

CONCLVSIO.

Non tenebitur antequam admittatur seruare continentiam. Ratio est, quia simpliciter promittens religionem, nullo modo promisit continentiam, sed se facturum solemne continentiæ votum. Nam, vt non tenetur ieiunare, qui promittit se emissurum votum ieiunandi, antequam promittat, ita à simili in præsentia.

APPEN. Hinc, si ad religionem sine culpa sua non fuerit admissus, poterit sine peccato matrimonium contrahere.

S.Tho. 2.2. q. 88. art. 3. Soto art. 1. q.2. Verb. votum 2.

X. Diffic. Emittens votum simplex religionis, & ob culpam suam illud non implens, quia Matrimonium contraxit, poteritne debitum petere?

Canonistæ (vt refert Syluest.) partem negantem defendunt. Theologi vero affirmantem tuentur. Vt Caiet. Hic docet.

CONCLVSIO.

Qui sic contrahit Matrimonium, quamuis mortaliter peccet, debitum exigere potest. Ratio est, quia materia talis voti non est continentia, sed votum solemne faciendum. quemadmodum enim non tenetur ad seruandam obedientiam, & paupertatem, ita neque ad continentiam, donec solemniter noueat.

DVBIVM.

S.Thom. & Sot. vbi sup.

Virgo, quæ simpliciter virginitatem promisit, illa amissa, eritne deinceps ad seruandam continentiam obligata?

CONCLVSIO.

Ex natura voti, amissa virginitate, continentiam seruare tenetur. Nam promittens virginitatem, etiam ab actibus carnalibus abstinere promittit. Secus autẽ erit, si solum habuit animum abstinendi à primo libidinis actu, quo virginitas violatur. & ideo Confessor intentionem percontari tenetur.

XI. Diffic. Votum nubendi æquipolletne castitatis voto?

CONCLVSIO.

Si votum castitatis sumatur, vt includit prohibitionem perpetuo cauendi à coniugio, & à fornicatione, ex natura sua votum nunquam nubendi æquipollet castitatis voto. idem enim est castitatem vouere, & votum nunquam nubendi emittere. Aliter autem res se habebit, si intentio vouentis non fuit prædicta.

APPEN. Hinc, dispensatio, & cõmutatio talis voti non ab Episcopo, sed à Papa fieri debet. quia ex parte est castitatis votũ.

DVBIVM.

Soto vbi supra, & Paluda. hac d. S.Th. art. 3.

Meretrix, quæ metu lenonis promisit non nubere, tenebiturne votum obseruare?

Respondeo si votum emisit, vt liberius libidini vacaret, pœnitere tenebitur, non autem seruare votum. si vero, vt Deo seruiret, ad voti obseruantiam obligata manebit.

XII. Diffic.

XII. Diffic. Qui vouit, & tempus adimplendi votum non præfixit, aut sub conditione promisit, quando votum adimplere tenebitur?

S. Tho. ar. 8. Syluest. ver. votum 3. §. 8. Soto q. 2. art. 1.

PROPOSITIO.

Vouens, qui nullum determinauit tempus, cum primū poterit, votum obseruare tenetur. Communis est opinio Theologorum, & Canonistarum, vt Syluest. docet. cui cōsulendum est: vt votum cito adimpleat, aut dispensationem petat. neque est absoluendus, si sine causa legitima alterum istorum duorum non faciat.

PROPOSITIO.

Qui vouet habita ratione ad temporis deuotionem, vt ieiunare feria sexta, tunc si illo die non ieiunauerit, votum adimplere non tenebitur. Ratio est, quia materia voti non fuit solum ieiunium, verumetiam temporis deuotio, & finito tempore impossibile est tale votum seruare.

PROPOSITIO.

Qui vouet ad tempus non habita ratione ad temporis deuotionem, vt qui promisit intra annum ire Romam ad visitanda corpora Sanctorum Apostolorum, finito anno erit voti reus. & nihilominus votum adimplere tenebitur. Ratio est, quia peregrinatio fuit principalis materia voti, & tempus ad expellendam moram fuit impositum.

PROPOSITIO.

Votum sub conditione, v.g. si dicat quis, si fuero superstes post mortem Patris, intrabo religionem; adimpleta conditione erit adimplendum. quia antea non habuit intentionem obligandi se.

XIII. Diffic. Religiosi habentes patres in extrema necessitate positos, poteruntne religionem relinquere, vt illos sustentare valeant?

S. Tho. 2. 2. q. 101. ar. 4. & q. 189. ar. 6. Syluest. verbo religio. 6. §. 4. & ver. 2. §. 7.

Pater Antonius Cordubensis in medulla fratrum Minorum cap. 2. q. 6. egregie de hac diffic. disserit & prætermissis opinionibus, quas citat, omissa etiam opinione Syluest. cum Nicolao Lyrano super Matth. cap. 15. quem sequitur Caiet. in 2. 2. q. 101 art. 4. erit respondendum.

CONCLVSIO.

Religiosus habens Parentes, ita necessitate oppressos: vt illis omnino victus & vestitus deficiat, nec sit præter ipsum qui illis subueniat, poterit à religione recedere, vt eos alat. Ratio est, quia cum integrum sit furari ex sacrario: vt existenti in extrema necessitate subueniatur, si aliud remedium

1. Reg. ca. 21. dium adhiberi non possit, vt constat exemplo Dauidis arripientis panes propositionis Deo consecratos ad subueniendum esurientibus, licebit etiam Religioso Deo consecrato à religione recedere, si aliter parentibus subuenire nó possit. Nam præceptum de subuentione parentum, est Diuinum, & naturale, quod quidem per votum obedientiæ, quod est tantum diuinum, minime fuit reuocatum.

CONCLVSIO.

Non tamen potest mutare habitum religionis, & professionis suæ ad paupertatem, & ad cætera religionis præcepta: vt antea tenetur, solumque à præcepto obedientiæ est liber. melius enim multo in quocunque euentu poterit retento habitu parentibus adiumento esse, siue Concionando, siue confessiones audiendo, siue Artem Mechanicam, aut liberalem exercendo. tenetur enim seruare regulam, quantum in se fuerit, obedientia dempta. oppositum tenet Pater Antonius Cordubensis.

CONCLVSIO.

Quando parentes non extrema, sed magna egestate laborant, ad illos sustendandos religiosus à religione recedere non poterit. Propterea quod præceptum eleemosynæ nunquam, nisi in extrema necessitate obligat, erit tamen sufficiens causa hæc impetrandi dispensationem à sede Apostolica: vt non obstante obedientia illis subuenire possit, & hoc erit securius. Contrariam partem huic conclusioni Pater Cordubensis defendit.

CONCLVSIO.

Magna Parentum pænuria sufficiens causa est protrahendi religionis ingressum, etiam post votum simplex emissum. Constat ex dictis, Nam si ex probabili opinione opposita conclusioni tertiæ potest, facta professione, à religione recedere, multo melius poterit religionis ingressum differre.

I. Dubium. Hæres teneturne defuncti votum adimplere?

CONCLVSIO.

Syluest. verbo votum 2. §. 11. Hæres nullo modo tenetur votum personale defuncti, nisi illud promiserit adimplere. definita est expresse in cap. licet. de Voto. ideo namque dicitur votum personale, quia solam personam vouentem obligat.

CONCLVSIO.

Votum tamen reale defuncti adimplere tenebitur. Ratio est, quia hæres tenetur soluere defuncti debita, & votum

tum reale est debitum Deo persoluendum.

CONCLVSIO.

Hæres non videtur esse obligatus ad soluendum votum mixtum defuncti, ea parte, qua reale est v. g. si defunctus promisit peregrinationem, in qua erat quinquaginta nummos aureos consumpturus (hoc enim dicitur votū mixtū) tunc hæres non tenebitur quantitatem illam soluere. Propterea quod, qui ad principale non tenetur, idest, ad peregrinationem, neque ad accessorium, quod est, quantitatem illam pauperibus erogare, & hæres (vt ex prima conclusione constat) ad principale non tenetur.

CONCLVSIO.

Tenebitur tamen eleemosynam, aut sacrificia, si à defuncto erant templo, quo erat peregrinaturus promissa, adimplere. Ratio est, quia eleemosyna, & sacrificia, à defuncto promissa, ad reale votum spectant.

Hæc sunt vera, si in testamento fuerint relicta, & hæres est necessarius, & non excedant quintam partem bonorum. quia hæres necessarius vltra quintam partem grauari non potest, si autem non fuerit necessarius, hæret tenebitur, omne votum reale defuncti in quacunque quantitate adimplere. *Limitatio.*

II. Dubium. Potesne Pater filium ad votum personale obligare? *Syluest. ibi. §.9. Sot. ar. 1. in fine.*

CONCLVSIO.

Nequaquam potest. Ratio est, quia ad actiones personales, nisi per propriam voluntatem, obligatur nemo.

III. Dubium. An monachus assumptus ad Episcopatum ad votum paupertatis, & ad cætera suæ regulæ præcepta teneatur? *S. Tho. 2. 2. q. 185. ar. 8. Syluest. verbo Religiosus 6. §. 10. & 11. Ric. ar. 5. q. 2. ad 3. & art. 9. q. 1. Soto lib. 11. de iust. & iur.*

S. Tho. tenet partem affirmantem. Et Caietan. ibidē non enim absoluitur, inquiunt, ab illis quæ cum statu Episcopali sunt compossibilia, vt sunt ieiunia, abdicatio proprietatum, & alia id genus.

CONCLVSIO.

Monachus assumptus ad Episcopatum ratione voti in professione emissi ad obseruantiam præceptorum suæ regulæ, vel ad tria vota essentialia non tenetur. Iam enim cū sit ad Episcopatum assumptus, non est monachus, neque ad votum paupertatis obligatur, quod est de essentia monachatus, vt constat in Cano. statutū 18. q. 1. licet ad votū continentiæ, quod est de ratione Episcopatus sit astrictus,

& si

& si delinquat non erit puniendus legibus suæ religionis, sed Episcoporum.

CONCLVSIO.

Monachus ad Episcopatum assumptus, ad obseruãtiam suæ regulæ, quæ est cum statu Pontificali compossibilis tenetur. Ratio est, quia debet, teneturque præbere seipsum totius sanctitatis exemplum. mortaliter tamen suæ regulæ præcepta transgrediendo, nisi ratione scandali, non peccabit. vt, si habitum religionis mutaret, & vestibus Episcopalibus indueretur, quod quidem esset in Episcopo simplici scandalum. non autem si ad summum Pontificatum assumeretur. Nam tunc esset totius Ecclesiæ Pater.

Ric.ar.5.q.1.ad.3.

XIIII.Diffic. An qui emisit votum simplex religionis, voto nondum completo ad Episcopatum assumi possit?

Hanc Diffic.tractat Panor. in cap.Per tuas. de voto.

CONCLVSIO.

S.Tho. vbi sup.ar 3.ad 1.& Caieta. ibidem.

Qui promisit votum simplex religionis, & ante voti adimpletionem fuerit ad Episcopatum assumptus, tenetur Episcopatui renuntiare, & intrare religionem, & ad ingrediendum non est expectanda sedis Apostolicæ authoritas. Definita est expresse per Innocentium. III. in cap. per tuas.de voto.

CONCLVSIO.

Poterit tamen tunc Papa dispensare, ne ad religionis ingressum teneatur. Nam cum possit dispensare in voto solenni assummendo in religiosum ad Episcopatum, multo magis in voto simplici poterit.

DD.in 2.li. sent. d.44. Syluest.verbo Religiosus.6. D.Ber.

XV.Diffic. Subditus teneturne semper obedire Prælato, quoties aliquid virtute obedientiæ præcipit?

CONCLVSIO.

Religiosus non tenetur parere Prælato præcipienti aliquid supra regulam.probatur authoritate D.Ber.dicentis, Prælatus non augeat mihi votum meum, idest,non præcipiat mihi opus maioris perfectionis,quam in regula,vel statutis ordinis continetur. quod quidem est supra regulam aliquid præcipere, vt si præciperetur ieiunium in die sabbati, & alia id genus, quæ non sunt necessaria ad regulæ obseruantiam,ob id enim supra regulam esse dicuntur.

CONCLVSIO.

Bene tamen tenebitur obedire ratione pœnitentiæ peccati commissi, vel ad præseruandum à peccato committendo. Ratio est, quia subdito criminoso potest imponi ieiunium,

iunium, & abstinentia à carnibus in pœnam criminis, quę impositio erit iuxta regulam, in qua delinquentium correptio præcipitur. atque etiam abstinentia à vino ad libidinem, siue ebriettaem fugiendam.

IIII. Dubium. Poteſtne capitulum generale ſtatutum obligans ad maiorem perfectionem, quam in regula contineatur condere?

Ric d. 34. ar. 3 q. 2. ad 3. Syluestr. vbi supra.

Quia fortaſſis illud eſt neceſſarium ad obſeruantiam regulæ, & ſubditorum reformationem.

V. g. ſi monialium, quæ non promiſerunt clauſuram, caſtitas ex vago receſſu periclitetur, poteritne Papa, vel generale Capitulum præcipere: vt perpetuam clauſuram, ac ſi illam promiſiſſent, obſeruent? Sylue. vbi ſupra, duas refert opiniones, & prima eſt affirmans, Panor.

CONCLVSIO.

Poteſt non ſolum Papa, verumetiam generale capitulum aliquid ſupra regulam, quando aliter commode ſeruari nõ poteſt, ſubditis præcipere. De fide eſt, & definita in cap. Periculoſo. de ſtatu religioſorum in 6. vbi præcipitur. vt omnibus monialibus cuiuſcunque ordinis præſentibus, & futuris receſſus à domibus ſuis interdicatur. vt viuant in perpetua clauſura, quia hoc eſt valde neceſſarium ad obſeruantiam voti continentiæ. Eſt etiam definita in Concil. Trid. Seſſ. 25. cap. de reformatione regularium & monialium.

XVI. Diffic. Praeceptum Prælati obligatne ſemper ad mortale peccatum tranſgreſſorem?

CONCLVSIO.

Qui verbo tenus tantum Prælato aliquid præcipienti, citra contemptum tamen, non obtemperat, peccati mortalis reus non eſt. hæc ex communi conſuetudine religioſorum, quæ eſt optima legum interpres confirmatur, quæ talem inobedientiam à mortali excuſet. notanter dicitur, citra contemptum, nam tunc eſſet mortale. qui enim Prælatum ſpernit, Deum ſpernit. *Luca ca. 20.*

CONCLVSIO.

Subditus non obediens Prælato præcipienti aliquid ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, mortaliter peccat. Ratio eſt, quia excommunicatio latę ſententiæ, cum ſit grauiſſima pœna, ſemper pro mortali peccato imponitur.

CONCLVSIO.

Quando Prælatus ſub pœna excommunicationis abſolute, non

lute, non addendo, latæ sententiæ Præcipit, subditus non obediens mortaliter non peccabit. Ratio est, quia huiusmodi excommunicatio est solum comminatio excommunicationis, & non excommunicatio. lege q. de excommunicatione.

Caie in summa verbo. Peccata clericorum.

S.Tho. 2. 2. qō.189. art. 8. ad 3.

XVII. Diffic. Qui promisit intrare religionem strictiorem, peccatne intrando latiorem?

CONCLVSIO.

Peccat quidem, si latiorem religionem ingrediatur, estque in statu damnationis dum profitetur, & facta professione ad nihil amplius tenetur. Definita est expresse in cap. qui post votum. de regularibus in 6. illud enim votum simplex per solemne votum in latiori religione emissum tollitur.

APPEN.

Hinc cauere debet Magister nouitiorum, ne tales vouentes recipiat. vel receptos retineat. quia retinendo peccatis illorum cooperatur.

DVBIVM.

Ric. ar. 5. q. 3 ad. 2. Soto art. 1. q. 2.

An teneatur ad votum, qui vouet rem licitam hac lege, si Deus illum a certo crimine liberauerit?

CONCLVSIO.

Qui tale votum emisit ex industria, & hac intentione, ne, s. teneatur ad votum, si in peccatum labatur, votum adimplere tenebitur: vt si promiserit intrare religionem, si Deus intra annum ab adulterio liberauerit. Ratio est, quia fraus, & malitia non debet illi patrocinari. & quia fuit ipse causa, quominus conditio adimpleretur.

CONCLVSIO.

Si peccauit non intentione prædicta, sed ex quadam imbecillitate, sicut cadebat ante emissum Votum, tunc promissum adimplere non tenebitur. Ratio est, quia votum fuit conditionale, & per ipsum non stetit, quominus conditio adimpleretur.

XVIII. Diffic. An votum metu emissum in conscientia vouentem obliget?

Canonistæ in cap. Cum locum desponsalibus tenent in conscientia obligare, non autem in foro exteriori. Secunda opinio est Syluest. qui affirmat valere, si habuit animum obligandi se, sin minus nequaquam. Tertia opinio est Theologorum, d. 38. asserentium: non obligare in conscientia, si metus poterat cadere in virum constantem.

Ver. metu §. 8. Soto ar. 1. q. 2. S. Tho. 2. 2. qō. 88. art. 1.

CON-

CONCLVSIO.

Votum metu cadente in constantem virum emissum, quando ad extorquendum votum incutitur, est nullum. Definita est expresse in cap. Abbas. & in cap. Prælatum. de his, quæ vi, metúsue causa fiunt. votum enim debet esse liberum, & talis metus tollit libertatem.

Hinc, si puella propter patris timorem minantis ei aliquas iniurias citra mortem, & exilium, religionem profiteatur, erit nulla professio, quia talis metus in animum constantis fœminæ cadere potest. APPEN.

CONCLVSIO.

Votum ab intrinseco emissum in conscientia obligat. Definita est expresse in cap. Sicut de regularibus. Nam talis metus. quamuis extenuet libertatem: non tamen tollit illam. sola enim vis est, quæ libertatem relegat.

CONCLVSIO.

Ille metus, qui à principio irritaret votum, vouentem ab eius executione liberat. v.g. si tyrannus, non in contumeliam Ecclesiæ compelleret vouentem ad frangendum ieiunium. Ratio est, quia vouens intentionem obligandi se ad votum cum tanto detrimento, minime habuit.

CONCLVSIO.

Metus non excusat præceptum Diuinum transgredientem. Ratio est, quia obligatio adimplendi tale præceptum non ex voluntate nostra, sed Dei præcipientis oritur. Atque ita in omni euentu obligat.

CONCLVSIO.

Præcepti autem Ecclesiæ transgressio propter metum mortis violentæ non obligat ad gehennam. Ratio est, à simili, quia non obligat propter metum mortis naturalis: vt in q. de excommunicatione diximus.

Art. III. Expeditne aliquid vouere?

Id est, consequentur vouentes ex voto aliquam spiritualem vtilitatem. *S. Tho. vbi supra ar. 4. Ric. ar. 6 q. 1. Sot. ar. 2. qō. 1.*

CONCLVSIO.

Maximam homo ex voto vtilitatem consequitur. quia ex sola promissione, qua Deo nos ad bonum obligamus, & firmiores in bono reddimur, præmium æternum consequimur. Anna enim mater Samuelis laudatur, quia votum emisit Deo, si proles sibi concederetur, multa alia sunt Sacræ Scripturæ testimonia, & Concilia, quibus hæc concl. Confirmatur, & definitur, quæ apud Patrem à Castro, *1. Reg. 1.*

verbo

verbo votum. reperies.

DVBIVM.

Ric. vbi supra, & S. Tho. & Sot. vbi supra.

Quando aliquis timet se fracturum votum, tunc vouerene licet?

CONCLVSIO.

Nunquam propter periculum lapsus, quando non est certissimum, à voto est abstinendum. Deus enim vouentibus: vt promissum adimpleant, auxiliatur.

Hæresis.

Hinc, confutatur hæresis eorum, qui dicebant: votū non solum inutile esse ad gloriam, verumetiam perniciosum.

Ric art. 1. q. 1. S Th. art. 5. Soto art. 3. qō. 2.

Art. IIII. An votum sit latria, siue religionis actus?

CONCLVSIO.

Votum latriæ, siue religionis est actus. quia latriæ actus est disponere actionem cæterarum virtutum in Dei honorem, quod fit, quando Deo aliquid promittitur. Nam tunc disponimus illam actionem (vt v.g. Ieiunium) in Dei honorem.

S. Tho. ar. 6. Ric. art. 6. q. 2. Sot. ar. 3. qō. 2.

Art. V. An sit magis meritorium aliquid voto, quam sine voto facere, magisque laudabile sit?

CONCLVSIO.

Est quidem, & magis laudabile, & magis meritorium ex voto, quam sine voto operari. Nam vouere est actus consilij, quod est de meliori bono, & qui ieiunat ex voto duplex consilium, scilicet, vouere, & facere, qui autem sine voto, vnum tantum consilium, scilicet, ieiunare, quando non est sub præcepto, adimplet, duplexque obsequium, scilicet, obligationem aliquid faciendi, &, opus, solum Deo præstat.

Dubium. I. Quid, si ex voto inuitus, & magna cum tristitia operetur?

Quod intellige, ita vt ad vitandum mortale tantum, votum adimpleat.

CONCLVSIO.

Opus hoc erit etiam magis meritorium, quam sine voto. est enim actus religionis, & tristitia meritum non tollit, licet magis meritorium, esset cum gaudio factum.

S. Tho. art. 6. ad 3. & Soto vbi sup.

II. Dubium Peccatne, quem pœnitet votum emisisset

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter, quem voti pœnitet, quia idem est, pœnitet me voti, & nolo obseruare votum.

CONCLVSIO.

Quem pœnitet vouisse, vt liberius peccare posset, mortaliter

taliter peccat. quia finis est malus, scilicet, libertas ad peccandum, atque ita talis pœnitentia est mortalis.

CONCLVSIO.

Non peccat mortaliter, quem pœnitet vouisse propter bonum finem. v.g. si quem pœniteret solemniter vouisse, quia habet parentes necessitate oppressos, quibus extra religionem liberius subuenire posset. talis enim nolitio est actus meritorius. quia finis est optimus.

CONCLVSIO.

Peccat, & fortasse mortaliter, quem pœnitet vouisse propter difficultatem, & tædium operis, si votum est perpetuum. quia tali tædio in periculo non perseuerandi constituitur, huius furfuris religiosi pigri esse dicuntur.

CONCLVSIO.

Si votum est temporale, nullum est peccatum propter voti difficultatem pœnitere. quia potest facile dispensationem obtinere.

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter semper proculdubio, quem pœnitet obseruasse votum idem. enim est peccare, & velle peccasse, & quem pœnitet obseruasse votum, vult olim peccasse. peccatum namque potius in voluntate, quam in opere consistit. nam quod intrat per os, non coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, idest, corde. *Matth. ca. 5 & Mar. c. 7.*

Art. VI. An votum per susceptionem sacri ordinis, & certe regulæ professionem, solemne efficiatur? *S. Tho. ar. 7. Ric. q. 3. ar. 7. Soto. ar. 5.*

CONCLVSIO.

Votum solemne nunquam, nisi in professione certæ & opprobatæ regulæ, aut in alicuius sacri ordinis receptione emittitur. Ratio est, quia nunquam adhibetur solemnitas, nisi quando mutatur status. & per professionem, & receptionem ordinis sacri status mutatur: cum per hæc homo ad perpetuum, & diuinum ministerium deputetur, est etiam definita expresse cap. Vnico de voto in 6. per Bonifacium III.

APPEN. Hinc Moniales, quas vulgus Beatas nominat, quia non emittunt sua vota secundum regulam approbatam, solemniter minime, sed simpliciter vouent. Vnde si contraxerint, valebit matrimonium.

I. Diffic. Voti solemnitas in quo consistit?

Quatuor sunt opiniones. Prima asserit consistere in benedictione, & consecratione hæc salso. S. Tho. ascribitur.

Secunda opinio est. D.Tho qui tenet solemnitatem voti cuius ratione matrimonium irritatur, consistere intraditione sui ipsius, id est, in mutatione status. Tertia opinio est Caieta. qui dicit non esse positam voti solemnitatem in mutatione tantum status, verumetiam in Ecclesiæ constitutione, quæ sic vouentem ad matrimonium inhabilitat. Vnde colligit non posse Papam in huiusmodi voto dispensare. Quarta opinio est Antiquorum. Ricardi, & Soti, ex quorum sententia sit.

CONCLVSIO.

Ratio præcisa, ob quam votum solemne dirimit matrimonium contrahendum, & vouentes solemniter inhabilitat, est Ecclesiæ institutio, quæ vt cōsanguineos intra quartum gradum, ita huiusmodi personas ad contrahendum inhabilitat Definita est à Bonifacio v. cap. Vnico de Voto in 6. vbi solum constituit Rom. Pont. discrimen inter votum solemne, & matrimonium. Deinde, quia posset Ecclesia instituere: vt in mundo nullum sit votum solemne matrimonium dirimens: quare voti solemnitas est ab Ecclesia, & non à Deo ex nullo enim loco Sacræ Scripturæ colligitur inhabilitas vouentis solemniter: vt contrahere non possit. nam per traditionem. quæ fit in voto solemni, non est ex iure diuino, & naturali inhabilis vouens ad alium statum. quia subdiaconus, & diaconus tradunt se Deo voto solemni castitatis & obedientiæ, & tamen Papa, cum illis sepissime dispensat: vt Soto, cui modo satisfacimus, concedit. Et tandem dispensauit Rom. Pont. cum his, qui solemniter religionem vouerunt: vt ex superioribus constat.

Scoto d. 20. Soto & S. Tho. vbi supra.

II. Diffic. Votum solemne, & simplex differuntne, essentiali specie?

V.g. An transgressio voti simplicis differat, à transgressione voti solemnis: vt furtum à fornicatione distat?

CONCLVSIO.

Votum solemne, & simplex ex parte obiecti eiusdem speciei censentur. Ratio est, quia eadem est materia, & obiectum vtriusque voti, scilicet, continentia.

CONCLVSIO.

Votum solemne, & simplex ex parte subiecti specie accidentali differunt. Propterea quod voti simplicis subiectū est ad contrahendum matrimonium habile, licet contrahendo peccet, at vero subiectum voti solemnis est ad contractum matrimonialem inhabile.

CON-

CONCLVSIO.

Transgressiones voti simplicis, & solemnis, eiusdem speciei sunt, etiamsi qui solemniter vouet, grauius peccet. Ratio est, quia specifica differentia actuum est penes obiecta, & cum idem sit vtriusque voti obiectum, nempe seruare continentiam, erunt actus eiusdem speciei, erit tamen voti solemnis transgressio grauior ratione perfectioris status.

III. Diffic. *Qui recipit aliquem ordinem sacrum, emittitne solemne continentiæ votum?*

Opinio communis est affirmans quam sequitur. Caieta. in tractatu de cœlibatu Sacerdotum post tertiam partem. Opinio vero Scoti. est Sacerdotes non emittere votum continentiæ, sed solum habere continendi, sicut & ieiunandi præceptum. lege Patrem à Castro verbo Sacerdotiũ. contra hæreses.

CONCLVSIO.

In receptione cuiuscunque ordinis sacri votum solemne continentiæ non explicite: vt in professione religionis, sed implicite in voto obedientiæ emittitur. Hæc conclusio aperte colligitur ex cap. Vnico de voto in 6. & ex cap. Ante triennium: vt docet. Caiet, vbi præcipitur Episcopis, ne alicui ordinem sacrum conferant, quin prius continentiam promittat. promissio enim continentiæ in voto obedientiæ includitur: vt constat in ordine D. Bernardi, vbi solum promittitur explicita obedientia. & intelligitur quoque promissum solemniter continentiæ votum.

DVBIVM.

Quid, si recipiens sacros ordines caruit intentione seruandi continentiam, poteritne hic matrimonium contrahere?

CONCLVSIO.

Nequaquam tale matrimonium erit validum. Definita est cap. 1. & 2. Qui clerici, vel vouentes &c.

IIII. Diffic. *Estne votum solemne continentiæ sacri ordinis sufficiens ad dissoluendum matrimonium ratum, quemadmodum solemne religionis votum?*

Duæ sunt opiniones, quas refert Caiet. Prima est negãs, & communis. Altera & contraria est Palud. affirmantis votum solemne ordinis soluere matrimonium, quemadmodum religionis votum.

Quoli. 12. q. 1. Palud. dist. 38. D. Bona art. 2. q. 1. Soto vbi supra.

CONCLVSIO.

Matrimonium ratum per receptionem sacri ordinis nõ dissoluitur. Ratio est, quia hactenus Ecclesia non explicauit matrimonium ratum per receptionem sacri ordinis, sed per votum solemne religionis dumtaxat dissolui. Quamobrem non erit aliter sentiendum, aut definiendum, quam Ecclesia hactenus toto titulo de conuersione coniugatorum extra, & in 6. definiuit.

S.Tho.q.88 ar.8.D Bo. art.1. qõ.3. Soto.q.ar.1.

Art. VII. De his qui possunt vouere?

Hic art. aliquot difficultatibus positis explicabitur.

I. Diffic. An qui sunt alterius potestati subiecti, vouere possint?

CONCLVSIO.

Qui alicui subiectus est, quoad id, in quo subiicitur, sine consensu superioris sui, non potest firmiter se per votum obligare. votum enim debet fieri de proprio, & illud, in quo aliquis alteri subiicitur, nõ est proprium, sed alienum. Innumeris enim præcipitur: ne mulier in domo patris sui in ætate puerili cõstituta, aliquid voueat, aut voto sine cõsensu patris teneatur. & idem dicit textus de muliere coniugata, idemque censendum est de omnibus aliis, qui alienæ potestati subiecti sunt.

Num.ca.30.

II. Diffic. An Religiosus emittens votum sine sui Prælati facultate illud adimplere teneatur?

S.Thom. & Socto bid. Syluest. verbo. Voto 3. Ric. art.4. qõ. 2.

Duæ sunt opiniones. Vna Ric. affirmantis tale votum esse ipso facto nullum, neque expectandam esse Prælati irritationem.

Altera opinio est S.Thõ. art 8. vbi supra asserentis, hæc vota esse conditionata, scilicet, si Prælatus consenserit, vel non irritauerit, dicitque teneri ad votum adimplendum, si non fuerit impediens obedientiam donec à Prælato irritetur.

CONCLVSIO.

Quando superogationis opera religiosorum sunt in generali, vel in particulari prohibita: vt votum peregrinationis, vel ieiunij in sabbato, talia vota, non sunt ipso facto irrita, sed per Prælatum irritanda. Ratio est, quia tale votum est conditionale, scilicet, si Prælato placuerit, & ita tenebitur subditus manifestare Prælato suum votum. quemadmodum filius qui promisit homini sub conditionem, si patri placuerit, tenetur patri conditionem, manifestare vt pater consensum, vel dissensum præstet.

CONCLVSIO.

Vota religiosorum de operibus supererogationis à Prælato non probibitis tenentur religiosi Prælato inconsulto implere, quandiu Prælatus non commutauerit, aut dispensauerit, aut irritauerit. Ratio est, quia huiusmodi actus cum non sit prohibitus, est actus virtutis & materia voti. atque ita quandiu non irritatur à Prælato, in conscientia obligat. tale est votum dicendi, 7. psal. &c.

CONCLVSIO.

Vota de operibus necessariis necessitate præcepti, aut voti, absoluta sunt, & nullo modo conditionata, ita vt religiosus ad illorum obseruantiam inconsulto Prælato teneatur. Prælatusque illa irritare, aut dispensare in illis non poterit, vt si subditus emittat votum non mentiendi, aut non dicendi verbum ociosum. Ratio est, quia potissima causa, propter quam Prælatus vota subditorum potest irritare, esse dicitur, propterea quod, est Dominus operationū subditorum, potens illas concedere, aut prohibere, & cum non possit prohibere, quæ lege diuina præcipiuntur, vel concedere, quæ eadem lege prohibentur, non erit illarum operationum Dominus, nec in illis dispensare valebit: commutare tamen poterit. Soto oppositam opinionem defendit.

Caie est vbi supra, S. Th.

Libr. 8. de iust. & iur. q. 3. ar. 1. in 4. assert.

CONCLVSIO.

Vota de obseruandis statutis, & ordinationibus, quæ citra contemptum ad nullum obligāt peccatum, potest Prælatus irritare, obligantque dum non irritantur. quia materia istorum votorum est in potestate Prælati, cum possit ordinationes suas reuocare, & in illis dispensare, quod autem obligent &c. constat ex superioribus. Nam sunt materia virtutis, & sunt vota conditionalia, scilicet, si Prælatus non reclamauerit.

CONCLVSIO.

Vota prædicta Prælatus inferior irritare non potest. Ratio est, quia non est Dominus illarum operationum, quāuis ratione iurisdictionis, quam habet, vota huiusmodi commutare, aut in illis dispensare possit.

III. Diffic. Prælato aliquid in generali, vel speciali prohibente, qui vouet contra illius prohibitionem tenetur suum votum Prælato significare, an erit iam irritum per solam prohibitionem generalem, aut particularem?

CONCLVSIO.

Necessarium est, vt subditus Prælato suo hoc manifestet vt à voto liberetur. Prælatus enim non potest irritare votum, quod non agnouit. voluntas namque non fertur in ignotum.

IIII. Diffic. Poteritne subditus sine vlla causa à Prælato petere voti irritationem?

CONCLVSIO.

Neque Prælatus sine causa irritans malefacit, neque subditus sine causa irritationem petendo peccat. Nam Prælatus est Dominus operationum subditorum, atque ita sine causa potest contradicere vouenti alienam operationem, & quod suum est, scilicet, subditi operationes repetere. vnde neque subditus peccabit petendo quod Prælatus sine peccato concedere potest. fuit enim votum conditionale.

V. Diffic. Si subditus opus supererogationis ex facultate Prælati emittat, Prælatus poterit postea irritare illud?

Ric. ar. 4. q. 2. Soto. q. 3. ar. 9 Syluest. verbo votũ. 3. S. Thom. art. 3.

Duæ sunt opiniones. Prima Ric. qui tenet non posse. Contraria est Caiet. vbi supra. S. Tho.

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter Prælatus, concessa semel facultate, votum irritando. Definita est in Cano. Manifestum 33. q. 5. à simili de marito, qui irritat votum vxoris, quod tacendo approbauit.

CONCLVSIO.

Semel voto illo irritato, peccat subditus illud contra voluntatem Prælati exercens. Definita est in eodem Can. & est B. Aug. facit enim contra obedientiam, & contra iustitiam: quia vtitur aliena operatione inuito Domino, scilicet, Prælato.

D. Aug.

CONCLVSIO.

Poterit tamen Prælatus tale votum commutare, aut in illo dispensare. quia Prælatus post concessam facultatem vouendi subdito, retinet super ipsum potestatem ligandi, & absoluendi in vtroque foro super naturalem, atque ita legitima interueniente causa, cum illo dispensare valebit.

VI. Diffic. Poterit Generalis, aut Prouincialis irritare votum emissum ex facultate inferioris Prælati Guardiani, scilicet, aut Prioris?

Ric. art. 4. qõ. 3. Soto ibid.

CONCLVSIO.

Inferior non potest irritare votum à subdito ex facultate

tate superioris emissum, quia eius authoritati derogare non potest.

CONCLVSIO.

Potest superior Prælatus, vt Generalis, aut Prouincialis, votum facultate inferioris Prælati à subdito emissum irritare, quia cum subditus non sit Dominus suarum actionũ, etiamsi ex facultate Prælati emiserit vota superior non irrogat illi iniuriam, quamuis irritet votum sine ipsius consensu emissum.

VII. Diffic. *Abbatissa poteritne vota monialium de opere supererogationis emissa irritare?* Ric. art. 4. q. 3.

CONCLVSIO.

Poterit quidem. Nam vt pater potest irritare votum filij & maritus vxoris, quia habet dominium in operibus supererogationis illorum, ita & Abbatissa poterit, cum maiorem authoritatem, & Dominium super opera supererogationis monialium habeat. Num. ca. 30.

VIII. Subditus, *cuius votum fuit ab vno Prælato irritatum, illo cessante, eritne à successore iterum irritandum?* Ric. art. 4. q. 3. S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 8. Soto. vbi supra Caiet. vbi supra.

CONCLVSIO.

Quando subditus sine discrimine temporis emittit votum, si semel fuerit tale votum irritatum, non amplius obligat. Probatur à simili ex cap. Quidam, & ex cap. Placet. de conuersione coniugatorum. Nam vt obligatio Ciuilis semel sopita non reuiuiscit, vt habetur in l. cum ex causa. C. de remissione pignoris, ita neque hæc obligatio spiritualis semel sublata resurget.

CONCLVSIO.

Si religiosus emiserit votum referendo se ad tempus quo fuerit alius Prælatus, à præsente irritari non poterit, quia opus promissum non est in potestate Prælati præsentis, sed futuri, nihilominus tamen præsens Prælatus illud commutare, aut in eo dispensare poterit propter spiritualem potestatem, quam supra subditos habet.

IX. Diffic. *Poteritne vir omnia vota vxoris, tam realia, quam personalia irritare?* Ric. art. 4. q. 1. Soto vbi supra.

Caieta. affirmat non posse omne votum dempto voto castitatis de modo petendi debitum. Sot. tenet posse à viro omne votum vxoris etiam continentiæ irritari.

CONCLVSIO.

Vota de adimpletione mandatorũ, & de cauendis venialibus, & de aliis operibus ad salutem necessariis potest vxor

viro inconsulto emittere, quæ quidem à viro irritari non poterunt. Ratio est, quia maritus nō habet dominium super opera vxoris, quæ aliquo iure præcipiuntur.

CONCLVSIO.

Votum reale, aut personale de operibus supererogationis ab vxore emissum à proprio viro irritari potest. vxor enim in omnibus subdita est viro, & expresse habetur cap. 30. in numeris.

CONCLVSIO.

Vxor tale votum, quandiu vir non contradicit, obseruare tenetur, vxor enim non prohibetur vouere cum sit actus virtutis, sed solum contradicente viro, votum seruare.

APPEN. Hinc, si emiserit votum peregrinationis, illud viro manifestare tenetur, vt vel irritet, vel facultatem adimplendi concedat.

CONCLVSIO.

Si vxor emiserit votum non petendi debitum, à viro irritari non potest. Et ratio est, quia vir non potest irritare votum vxoris de re, cuius vir non habet dominium, vt de actione petendi debitum neque. n. vir potest vxorem ad hoc compellere, si ipsa voluerit iuri suo cedere.

Caieta. est.

mm

Votum elargiendi Eleemosynam, vt offerendi aliquod munus templo, ab vxore emissum valet. est enim actus virtutis. verum, vt adimpleatur, debet viro manifestari.

I. Dubium. Vir Poteritne irritare votum vxoris, quod sua facultate emiserit?

CONCLVSIO.

Peccaret mortaliter vir irritando votum tam personale vxoris, quam reale, irritatio tamen de facto valeret: ita vt vxor amplius votum obseruare non teneatur. Definita est in cap. Manifestum 33. q. 5.

Num. ca. 30.

CONCLVSIO.

Si vxor emisit votum referendo exequutionem ad tempus, quo fuerit vidua, vir tempore voti viuens illud irritare non poterit. Ratio est, quia nō est de materia sibi subiecta.

II. Dubium. Poteritne Vxor irritare votum a viro emissum non petendi debitum?

Vbi supra. Soto dicit, non longe ab scopo abesse, qui partem affirmatiuam teneret. probabilius tamen videtur non posse, nā vt non potest votum continentiæ à viro emissum ante contractum matrimonij irritare, nec vir potest sine dispensatione

satione debitum petere, bene tamen reddere, ita neque votum durante matrimonio factum. quia vtrobique præ nimio pudore vxor iure suo defraudatur.

III. Dubium. Poteritne vir longam peregrinationem vouere, qua vxor iure petendi debitum defraudetur, & familia detrimentum patiatur? *Soto vbi supra.*

CONCLVSIO.

Vir tale votum emittere potest, adimplere tamen renitente vxore non potest. Quia est actus virtutis potest vouere, & quia vxor iure suo defraudatur, non potest adimplere.

CONCLVSIO.

Vir emittens votum in detrimentum suæ familiæ emergens, non tenetur ad votum. est enim nullum, cum sit cõtra iustitiam, vt si promittat templo, vel pauperibus magnam pecuniæ quantitatem, quam sine maximo familiæ detrimento soluere nequeat.

X. Diffic. Si vteerque coniugum mutuo consensu votum continentiæ emittat, poterit tunc vir vxoris votum irritare? *Sot. eodẽ ar.*

Gratianus in Cano. Manifestum ex præmissis vbi supra hanc difficultatem absoluit.

PROPOSITIO.

Non potest tunc vir irritare votum vxoris: vt debitum petat. quia in petitione debiti non est sibi subdita.

PROPOSITIO.

Neque vxor poterit votum suum irritare. quia est Domina suarum actionum, neque è conuerso. quia vterque cessit iuri suo.

PROPOSITIO.

Rectissime facient tunc, si ab Episcopo petant dispensationem. Et ratio est, quia in magno periculo incontinentiæ sunt constituti.

XI. Diffic. Possuntne pueri obligare se ad religionis ingressum? *D. Bon. q. 3. art. 1. S. Tho. art. 4. Ric. vbi supra. Soto ar. 2.*

CONCLVSIO.

Si puer ante 14. annum, aut puella ante 12. ratione non vtantur, non possunt votum aliquod emittere. quia in eis libertas, & deliberatio deest, quæ ad votum desideratur.

CONCLVSIO.

Illud autem Votum à parentibus, & tutoribus irritari poterit, propterea quod quoad actiones personales & reales, alie-

les, alienæ potestati subiiciuntur.

CONCLVSIO.

Ante annos pubertatis, quantumcunque ratione vtantur, votum solẽne religionis nullo modo emittere possunt. Definita est ab Ecclesia de regularibus in 6. & in Con. Triden. Sess. 25. cap. 15. de regularibus, & monialibus.

CONCLVSIO.

Post annos pubertatis, quando iam incipit adolescentia, potest homo quodcunque votum personale simplex, aut solemne, non autem reale emittere.

XII. Diffic. Votum pueri ante 14. annum, & puellæ ante 12. si ratione vtantur, valebitne?

Vbi supra. art. 4. q. 2. Duæ sunt opiniones. Prima est affirmans S. Tho. & eius discipulorum. Secunda est negans Ric. qui si recte perpendatur de votis realibus, non autem de personalibus verba facit.

CONCLVSIO.

Bene possunt se obligare simplici voto, & tenentur illud seruare, dum pater & tutor non contradixerunt. Definita *Num. ca. 30.* est expresse in Numeris.

CONCLVSIO.

Talia vota impuberum à parentibus, & tutoribus irritari possunt. Definita est in cap. Puella supra citato, & puella poterit petere irritationem, & confessor consulere, vt petat, & religiosus similiter.

APPEN. Hinc, Pater siue tutor poterit irritare votum simplex religionis ab impuberibus emissum, vnde puer post 14. annum non tenebitur seruare tale votum, ante pubertatem iam irritum, nisi puer retulerit se ad annos pubertatis, vt infra explicabitur.

Syluest. verbo religio 2. §. 12. Sot. li. 7. q. 3. ar. 1.

III. Dubium. Poteritne mater votum puellæ impuberis irritare?

PROPOSITIO.

Si pater puellæ viuat, solus pater poterit, quia Patre viuente, filij sunt sub patris potestate.

PROPOSITIO.

Patre iam defuncto, si mater fuerit nutrix impuberum poterit, sin minus tutor.

S. Tho. Sylu. & Sco. vbi supra. *V. Dubium. Quid, si ante pubertatem voueat aliquis religionem, aut peregrinationem, aut aliud, quodcunque personale Votum, eius exequutionem ad annos pubertatis referendo?*

V. g. si

V.g. si dicat, promitto religionis ingressum, si 16. annũ attigero. Opinio Caie, est negans, nam dicit patrem non posse huiusmodi votum irritare. Contraria opinio est Syluest. S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 5.

CONCLVSIO.

Simile personale votum à tutore, siue à patre irritari haud potest. Et ratio est, quia non sunt Domini actionum personalium impuberum, tempore quo votum exequutioni mandandum est. Et tota ratio, ob quam pater votum impuberis irritare potest, est, quia actionibus personalibus impuberum dominatur.

VI. Dubium. Poteritne Pater aut tutor qui datur post pubertatem irritare personalia vota impuberum? *Soto eodem artic.*

CONCLVSIO.

Pater puellæ puberis, idest, excedentis 12. annum quandiu in domo paterna manet, votum irritare potest. expresse habetur cap. 30. Numer. qui quidem text. licet sit per legem Euangelicam abrogatus, ratio tamen naturalis eiusdem textus viget, scilicet, quod si puellæ suo arbitrio relinquerentur, facile laberentur, & ruerent, neque decet illas, quemadmodum viros peregrinari. *Num. ca. 30.*

CONCLVSIO.

Pater, aut curator pueri iam puberis, idest, 14. annum excedentis tale votum irritare non potest. Nam si pueri inuitis parentibus votum solemne religionis emittere possunt, nec illud irritare valent, vt toto titulo de regularibus in 6. constat, similiter, nec quodcunque aliud votum, nullum enim est periculum in pueris peregrinationem vouentibus, vt in puellis. Soto tenet in puberibus, tam pueris quam puellis quod dictum est securius. tamen erit in vtrisque à Prælato dispensationem obtinere, quam eorum vota irritare.

VII. Dubium. Pater, posteaquam filius excessit 14 annum, & puella 12. poterit vota ante hanc ætatem ab illis emissa facere irrita? *Soto vbi supra.*

Multi Thomistæ dubij in hac re esse videntur.

CONCLVSIO.

Non poterit pater tale votum irritare. Et ratio est, quia iam quantum ad actiones personales factus est sui iuris. quemadmodum dominus votum serui, manente seruitute emissum non potest post libertatem irritare, quia iam est sui iuris.

VIII. Du-

VIII. Dubium. Quid, de votis realibus, & mixtis?

Votum reale est, quādo promittitur res aliqua, vt Eleemosyna. Et mixtum quando promittitur actio personalis ad cuius exequutionem aliqui pecuniarij sumptus faciendi sunt, vt est votum peregrinationis.

CONCLVSIO.

Pater, siue tutor vota puberum realia ante 25. annum irritare possunt, nisi habuerint aliqua bona Castrensia, id est, militari arte acquisita, vel quasi castrensia, idest, sua industria comparata, quorum habeat plenam administrationem. Ratio est, quia quantum ad administrationem bonorum non sunt sui iuris, sed patri, vel curatori subiiciūtur. atque ita quilibet illorum poterit tale votum impedire.

CONCLVSIO.

Puberes vota realia emittentes illa parentibus, vel curatoribus manifestare tenentur. quia vouere fuit actus virtutis, & vt sit alicuius meriti, & non sit votum irrisorium, manifestandum est.

CONCLVSIO.

Pater, siue tutor poterit vota mixta prædictorum irritare. quia ex parte qua realia sunt, cum minor non habeat suorum bonorum administrationem, patre, aut tutore inuito adimpleri non possunt. Intellige, nisi habeat bona castrensia, vel quasi castrensia. est tamen consulendum: vt Votorum mixtorum dispensationem ab Episcopo petant, quia fortassis tenentur mendicando peregrinationem adimplere, quando Pater, aut curator noluerit hoc concedere. Tandem nota, hæc multo magis habere locum in votis impuberum.

S. Thom. vbi supra ar. 9. Soto artic. citato.

XIII. Diffic. Ecclesia votum solemne religionis impuberum poteritne irritari?

CONCLVSIO.

Potest, & de facto irritat, ita vt tale votum solemne religionis, ante annos pubertatis emissum non valeat. Definita est expresse cap. 1. de regularibus in 6. & nunc in Con. Trid. vbi supra. & ante decimū sextum annum expletum non valet. quia non recipitur ab Ecclesia, cui etiam fit.

Soto vbi supra.

IX. Dubium. Tales tenebuntur saltem seruare continentiam?

Olim de hac re dubitabant DD.

CONCLVSIO.

Nullo modo continentiam seruare tenentur. possunt enim matrimonium contrahere. Definita est in Concilio Trid.

Trid. Sess. citata. Vbi promittentes religionem solemniter ante 16. annum ratione promissionis ad nihil prorsus obligari docetur.

Art. VIII An in voto possit fieri dispensatio? *S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 10. Ric. art. 9. q. 2.*

CONCLVSIO.

Dispensatio, aut commutatio in voto fieri potest. Nam cum in legibus humanis possit fieri dispensatio, quæ nihil aliud est, quam superiorem determinare legem communem non esse in aliquo particulari casu seruandam, poterit quoque & in voto fieri. nam votum nihil aliud est, quam lex quædam humana, quam aliquis sibi præscribit. licet enim obseruatio voti sit de lege diuina, facere tamen votum actus humanus est.

I. Diffic. An Papa in voto dispensare possit? *D. Bon. ar. 2. q. 3. Ric. vbi supra Soto. lib. 7. q. 4. art. 1.*

Tres sunt opiniones. tenet non posse dispensare, sed tantum declarare, & Hæc. est D. Bo. quem sequitur Palu.

Secunda opinio, quam refert glossa, quæ dicit Papam in omnibus votis etiam nulla legitima causa interueniente dispensare posse.

Tertia opinio est S. Tho. in hoc art. & in 4. d. 38. q. 1. ar. 4. & Syluest. verbo votum 4. §. 3. & Caiet. in hoc art. & infra art. 12. & in summa verbo Dispensatio, qui docent Rom. Pont. propriissime, legitima tamen causa interueniente, dispensare posse. Aliter vero non.

CONCLVSIO.

Papam in voto dispensare, non est declarare solum, illud non obligare. Definita est in cap. Venientis de Voto vbi dicitur, Papa non declarat, sed commutat votum, & in cap. Quanto de iureiurando, vbi textus distinguit inter declarationem, & absolutionem iuramenti, quare similiter erit in præsentia distinguendum. Quia vtrunque fit Deo, & vtriusque obseruatio de lege naturali, & Diuina est.

CONCLVSIO.

Non potest Papa in voto sine legitima causa dispensare. Alioquin esset nulla dispensatio. Et ratio est, quia cum Papa non possit irritare vota Sæcularium, propterea quod, non est Dominus actionum Christianorum quemadmodum Prælatus respectu monachi, neque poterit sine legitima causa dispensare. nam idem est sine causa dispensare in aliqua lege, & illam irritare.

CONCLVSIO.

Legitima autem causa interueniente dispensare potest.

Deus

Deus enim nunquam deficit in necessariis, & est Ecclesiæ maxime necessarium: vt si penes Prælatos potestas dispensandi in voto. multi. namque ira, aut metu, aut ignorantia commoti multa promittunt. atque etiam constat ex cap. dispensatores. 1. q. 7.

II. Diffic. An in voto solemni continentiæ possit fieri dispensatio?

Duæ sunt extremæ opiniones. Prima S. Tho. art. 11. & Alex. IIII. Papæ in materia de voto, & D. Bona. d. 38. q. 4. & Sylue. verbo Votum 4. §. 5. Almayn. de potestate Ecclesiastica cap. 15. Turrecrem. super Can. sicut bonum 17. q. 1. Soto de iust. & iur. lib. 8. q. 3. art. 2. qui omnes affirmãt Papam non posse dispensare in voto continentiæ religionis. ita vt religiosus Matrimonium contrahere possit: bene tamen in voto solemni continentiæ ordinis.

Secunda & contraria est iurisconsultorum, vt Syluest. loco citato docet, quos sequuntur multi ex Theologis Ric. d. 38. art. 9. q. 2. Dur. ibid. q. 2. Palud. q. 4. art. 4. Maio. q. 3. Henricus quolib. 5. q. 25. & 26. S. Antoni. 3. par summæ titulo 22. cap 7. summa Angel. verbo votum. 4. §. 5. Caietan. sequutus est etiam Scotum qui hanc defendit opinionem. d. 38.

CONCLVSIO.

Rom. Pont. in voto solemni continentiæ, religionis Monachalis dispensare potest, ita vt Monachus matrimonium contrahere possit. nam ita est etiam de essentia monachatus abdicatio proprietatis, sicut castitatis custodia: vt constat ex cap. Cum ad monasterium. & faciendo ex monacho non monachum dispensat in paupertatis voto, ergo similiter poterit in voto solemni continentiæ dispensare. siquidem vtrumque est de essentia voti. sed de hac re supra in tractatu de matrimonio.

I. Dubium. Mortua vxore, & cessante causa, ille cum quo ex legitima causa dispensatum fuit, tenebiturne ad religionem redire?

Respondeo ex dictis, non teneri. quia obligatio semel extincta non amplius reuiuiscit.

S. Tho. ar. 12. Soto. ar. 3. *III. Diffic. An ad dispensationem, vel commutationem voti Prælati authoritas requiratur?*

CONCLVSIO.

Prælatus potestatem dispensandi in voto habet. est enim Dei Vicarius, & ita habet authoritatem determinandi, an sit Deo

sit Deo acceptum implere, aut non implere tale votum. & quemadmodum in lege communi non potest fieri dispensatio nisi per superiorem, ita neque in voto, cum sit quædam lex particularis. Et constat etiam ex B. Paul. 2. ad Cor. 2. nam & ego quod donaui, si quid donaui: propter vos, in persona Christi. Nam debet fieri dispensatio ab illo qui habet vices Christi. 2. Cor. 2.

CONCLVSIO.

Vt dispensatio in foro conscientię valeat, legitima causa desideratur. scilicet, vt ex dispensatione maior honor Christi, & maior Ecclesiæ vtilitas sequatur. patet conclu. ex illis verbis B. Pau. propter vos. vbi indicat rationem dispensandi esse Ecclesiæ vtilitatem, quæ est Christi corpus. 2. Cor. 2.

IIII. Diffic. Poteritne votum in melius authoritate propria vouentis, & non Prælati commutari? S. Tho. art. 12. Ric. ar 8. q. 1. Syluest. verbo votū 4. §. 7. Soto. vbi supra.

Opinio Ricardi, & Syluestri est negans. Contraria est Angeli verbo votum, & Caiet. hoc loco.

CONCLVSIO.

Quando voti commutatio est in melius, proculdubio authoritate vouentis fieri potest. expresse habetur in cap. Peruenit. & secundo de iureiurando, & in cap. Scriptura. de voto, & in cap. Dicit. de regularibus. Nam qui ita adimplet votum, reddit æquiualens, & quod magis gratum est: vt si quis promisisset templo calicem argenteum, & redderet aureum.

CONCLVSIO.

Quando commutatio fit in aliquod æquale, de quo certissimum non est esse magis Deo gratum, quam votum, tunc non authoritate propria, sed Prælati fieri potest commutatio. nam voluntas Dei tunc est exploranda, non per subditum, sed per Prælatum Christi Iesu vices gerentem.

II. Dubium. Quis poterit dispensare cum illo qui promisit religionem strictiorem: vt laxiorem intrare possit?

Respondeo, solus Episcopus.

V. Diffic. Quando erit cum aliquo in voto dispensandum. S. Tho. art. 10. Soto vbi supra.

PROPOSITIO.

Quando materia voti redditur inutilis, aut mala tunc sufficiens causa est, vt Prælatus dispenset. Hæc non indiget probatione.

PROPOSITIO.

Quando votum adimpleri non potest, & impotentia

adimplendi

adimplendi ex imbecillitate, & impotentia vouentis, & non corruptis eius moribus proficiſcitur, tunc ſufficiens eſt diſpenſandi cauſa. Propterea quod, quando magnitudo rei promiſſę eſt viribus promittentis impar in periculo violandi votum conſtituitur, atque ita vt peccatum vitetur, erit illi per diſpenſationem ſubueniendum. Hæc diligenter examinent diſpenſatores, vt Chriſti Ieſu fideles miniſtri inueniantur.

PROPOSITIO.

Eſt quoque ſufficiens diſpenſandi cauſa, quando voti obſeruatio maius bonum particulare, vel commune impedit. Et ratio à ſimili eſt. Nam vt in commuratione non eſt reus voti, qui illud in melius commutat, ſimiliter neque qui propter damnum commune, vel particulare ab obligatione adimplendi votum abſoluitur.

APPEN. Hinc, omnes miniſtri ad Eccleſiæ vtilitatem deſtinati, vt Concionatores, Confeſſores, Cantores, & alij, qui propter ieiunij promiſſi obſeruantiam minus ſufficienter ſua miniſteria exercent, ſufficientem cauſam diſpenſandi in voto abſtinentiæ habent.

APPEN. Hinc, erit quoque ſufficiens diſpenſandi cauſa cum coniuge, qui redditur imbecillis propter abſtinentiam promiſſam ad debiti ſolutionem. eſt enim illud votum impediens maius bonum, nempe, debiti ſolutionem, ad quam ratione iuſtitiæ obligatur. & de ſimilibus erit ſimiliter iudicādum.

S. Tho. art. 11. Soto loco citato.

VI. Diffic. Quando Prælati commutare debent?

Animaduerte, commutationem aut eſſe ſimplicem, vt quando fit in maius, ſiue æquale bonum, aut eſſe mixtam, vt quando votum in minus bonum commutatur. tuncque commutatio, & diſpenſatio interueniunt.

PROPOSITIO.

Quando commutatio eſt ſimplex, & abſoluta, authoritate vouentis fieri poteſt. Hæc ſupra probata manet.

PROPOSITIO.

Quando fit commutatio in bonum æquale, tunc authoritate ſuperioris fieri debet. Definita eſt in cap. Quod ſuper iis. de voto, vbi legitur votum peregrinationis verſus Hieroſolymam à mulieribus emiſſum in bonum æquale commutari poſſe, ſcilicet, in Eleemoſynam ad terram ſanctam mittendam. quod quidem eſt maius bonum illi terræ, quā mulierum peregrinatio.

Cæterum, votum aliarum peregrinationum ita eſt commutandum.

mutandum. V.g. promisisti peregrinari ad Virginem Santissimam de Monserrat, & vlterius promisisti offerre illi templo decem ducatos, authoritate superioris decem ducati ad aliud templum commutari poterunt, & expensæ in itinere faciendæ erunt pauperibus eroganda.deductis tamen, quas domi vouens facturus erat. Exempli causa erit in itinere singulis diebus sex nummos argenteos consumpturus, & domi tres tantum, iis tribus deductis, cæteri sunt pauperibus elargiendi. est tandem commutandus labor itineris in ieiunium, ita vt pro quarto quoq; die itineris vnius ieiunij dies imponatur.

PROPOSITIO.

In his omnibus commutationibus habenda est tantum ratio expensarum, & laboris in eundo, non autem in redeundo. Ratio est, quia solum promisit ire, non autē redire.

PROPOSITIO.

Quando commutatio fit in bonum æquale, debet commisceri dispensatio: ita vt aliqua causa ex supradictis interueniat. est tamen notādum, hanc commutationem mixtā non posse ab illo fieri, qui authoritatem commutandi tantum habet, vt est confessor virtute bullarum, sed ab eo, qui simul dispensandi authoritatem obtinet. & hac de causa confessores ab Episcopo authoritatem dispensandi petere debent.

VII. Diffic. Qua ratione confessores debent vota virtute bullarum commutare? *Soto vbi supra.*

PROPOSITIO.

Eleemosyna, in quam fit cōmutatio, est eroganda quæstoribus Cruciatę, in expeditionem contra Turcas. Nam ita in bulla præcipitur.

PROPOSITIO.

Confessores, si petierint à diœcesano authoritatem cōmutandi pœnitentis vota, poterunt efficere vt eleemosyna, in quam fit commutatio, pauperibus elargiatur, quoniam tunc nō authoritate bullarum, sed Episcopi fiet cōmutatio.

PROPOSITIO.

Authoritas dispensandi, aut commutandi vota virtute bullarum non est intelligenda, nisi de votis factis ante bullæ receptionem. quia dispensatio nunquam conceditur, nisi ad Præteritum. temerarium namque esset concedere alicui facultatem dispensandi in voto, priusquam votum fieret, & hoc in bulla exprimeretur. *Soti est.*

Solus Ric. dist. 38. art. 9. q. 3.

VIII. Diffic. *Qui vouit non petere dispensationem, aut voti commutationem, poteritne illam exigere?*

PROPOSITIO.

Legitima interueniente causa huiusmodi votum non obligat. Ratio est, propterea quod votum, quando impedit maius bonum, est dispensandum. atque ita est de hoc voto, quando est maius bonum petere dispensationem.

PROPOSITIO.

Quando nulla subest dispensandi causa, tale votum obligat. quia votum de re aliqua licita emissum obligat in conscientia.

PROPOSITIO.

Votum de non petenda voti commutatione obligat ad non petendum commutationem in bonum æquale, non tamen in melius. Hæc ex supradictis constat.

IX. Diffic. *Quis in votis dispensare, aut illa irritare poterit?*

Ric. ar. 9. q. 1. & 2. Syluest. verbo votum 4. §. 5. Soto. ar. 2. q. 4. lib. 7. de iust. & iur.

CONCLVSIO.

Rom. Pont. vota Christianorum nulla interueniente causa irritare non potest, demptis votis religiosorum, quia non habet Dominium super actiones Christianorum, & eorum bona, quemadmodum super actiones religiosorum, cum sit eorum supræmus Prælatus, habet. Communis est opinio.

CONCLVSIO.

Episcopus, & quicunque alius Prælatus habens spiritualem iurisdictionem in subditos in omni voto, dempto castitatis, religionis, & peregrinationis terræ sanctæ voto, dispensare potest. Definita est cap. 1. & cap. ex multa, & cap. Super his. de voto cæterum, ex consuetudine reseruatur, vt in bullis Cruciatæ patet.

CONCLVSIO.

Episcopus in voto temporali castitatis dispensare potest. Ratio est, quia huiusmodi vota non sunt simplicis continentiæ, sed ad tempus.

S. Thom est ad 3.

Panor. tamen in cap. Veniens, qui clerici, vel vouentes, & Angel. verbo votum. affirmant Episcopum posse dispensare in voto perpetuæ continentiæ, consuetudo tamé, quæ est optima legum interpres talem dispensationem solius Papæ esse declarauit.

CONCLVSIO.

Licet Episcopus non possit in voto simplici religionis dispensare, potest tamen legitima interueniente causa declarare

clarare voti exequutionem esse differendam. quia declarare non est dispensare, sed voti exequutionem in aliquo euentu propter maius bonum suspendere. ad quod quidem iurisdictio spiritualis, & vt declaratio authoritatiue fiat desiderauit, ad distinctionem declarationis alicuius Doctoris, quæ non est ita in conscientia tuta, vt est, authoritatiua declaratio.

CONCLVSIO.

Potest Episcopus dispensare, vt habens arctioris religionis votum latiorem intrare valeat. Hoc enim non est dispensare in voto religionis, cum semper sit religioni obnoxius sed est dispensari in arctiori vinculo.

CONCLVSIO.

Si monachus professus votum migrandi ad arctiorem religionem fecerit, eius Prælatus legitima interueniente causa, & non aliter, in tali voto dispensare, non autem illud irritare, poterit, quoniam habet iurisdictionem spiritualem super monachum, quod ad dispensandum sufficit, caret tamen dominio super hunc actum, & ideo irritare tale votum haud poterit.

CONCLVSIO.

Metropolitanus in votis subditorum sui suffraganei dispensare minime potest. Quia illi in gradu tantum appellationis subiiciuntur.

CONCLVSIO.

Metropolitanus in voto Episcopi sui suffraganei dispensare potest. quia immediate illi est subiectus.

X. Diffic. *Potestne Episcopus dispensare in voto pœnali peregrinationis in terram sanctam, aut religionis, siue castitatis?*

S. Thom. 2. 2 q. 189. ar. 3. ad 3. Soto lib. 7. art. 3. q. 4.

PROPOSITIO.

Tale votum antequam pœna incurratur, per Episcopũ dispensari potest: vt si quis promiserit non ludere chartis sub pœna ingrediendi religionem, vel peregrinandi Hierosolymam. Ratio est, quia ante ludum tale votum nondum obligat. in hac re omnes conueniunt, dubitant tamen, an quando iam vouens incurrit Pœnam per Episcopum dispensari possit? quidam partem affirmantem tenent, Soto vero, & alij negant.

PROPOSITIO.

Huius dubij tutior est pars negans. nihilominus tamen poterit confessor sequi affirmantem, quamuis ipse negantem tueatur: tunc enim non faciet contra conscientiã, cum

affirmans opinio ſit probabilis, quamuis agat contra ſuam opinionem.

Caie. eſt. *I. Dubium. Promittens ieiunare in vigilia Natiuitatis immaculatæ, ſemperque Virginis Mariæ, ſi illo die non ieiunet, tenebiturne alio die ieiunare?*

R. non. ſed pœnitere tantum.

II. Dubium. Vota Scholaſticorum Salmanticenſium, & aliarum Vniuerſitatum poſſuntne per Epiſcopum, aut Archiepiſcopum illius Diœceſis, vel per Cancellarium diſpenſari?

Reſpondeo cum doctiſſimo patre Alcocer, qui affirmat, & merito, ad proprium Diœceſanum eſſe recurrendum.

Dubium. III. Vota Nouitiorum cuius authoritate ſunt commutanda?

PROPOSITIO.

Prælatus non habet diſpenſandi in illorum votis authoritatem. quia nondum ſunt profeſſi.

PROPOSITIO.

Magiſter nouitiorum vota illorum in melius, ſiue in æquale commutare poterit: vt ſi vouit ieiunare in ſabbato, ieiunet feria ſexta, & ſi vouit recitare pſalmos ſingulis diebus, vnam miſſam ſub voto audiat.

Praxis diſpenſandi & commutandi vota.

PROPOSITIO.

Quando dicitur votum commutandum eſſe in melius, intelligitur in magis meritorium, ſiue magis ſatisfactorium. V.g. ieiunium, oratio, & eleemoſyna ſunt meritoria, & ſatisfactoria, & peregrinatio ſimiliter, ſed magis meritorium eſt Miſſæ ſacrificium, & confeſſionis frequentatio, atque ita poterunt prædicta vota etiam peregrinationis in Hieroſolymam, commutari in ſacrificia, & orationes atque eleemoſynas, & in frequentationem confeſſionum per annũ, vel per ſingulos menſes, ſaltem vt in vno quoque menſe confiteatur. Hoc enim magis meritorium eſt, quam peregrinatio.

PROPOSITIO.

Eſt quoque notãdum, nunquam in bullis, vel in iubileis concedi confeſſoribus authoritatem diſpenſandi, ſed commutandi vota, quod eſt intelligendum ſaltem in bonum æqualiter meritorium, ſatisfactorium, aut impetratorium.

PROPOSITIO.

Ratio diſpenſandi ſemper debet eſſe melioris boni impeditiua,

peditiua, id est, incompossibilis cum maiori merito. V. g. promisit aliquis continentiam, qui si nuberet, sedarentur multa scandala, in hoc casu hæc est sufficiens causa dispensandi in voto continentiæ, quia magis meritorium est paci reipublicæ consulere, quam à coniugio abstinere.

PROPOSITIO.

Est etiam causa commutandi votum sufficiens, quando facile exequutionis voti obliuiscitur, & facilius illud frangit, habetque multa impedimenta, quibus præpeditur, ne votum adimpleatur, & non debet esse commutatio in omnino æquale in indiuisibili consistens (*Que no es Dios acha coso, que si con Dios se tratasse, diria, tu hazes de mala gana essas oraciones, cada dia y toda tu vida las haras, por tanto mejor sera que me siruas de mejor gana en esto*) Hactenus de Voto.

FLORES TOTIVS DISPVTAtionis de restitutione, & de singulis contractibus.

De his omnibus quæstionibus disputant Doctores, Scholastici d. 15. 4. & præter illos Alexan. Alen. variis in locis infra citatis, & S. Thom. quoque Gerson de potestate Ecclesiastica consideratione 13. & in tract. de vita spirituali lect. 13. Conradus de contractibus, Medina. C. de rebus restituendis, Nauar. in sua summa. Soto in opere de iust. & iur. Pater Franciscus Alcocer in opere, cui titulus est. Tratado de los juegos.

QVAESTIO PRIMA DE Dominio.

S. Tho. 2. 2. q. 66. ar. 2. & q. 78. ar. 1. Soto lib. 4. q. 1. ar. 1. Med. q. 1.

Art. Primus quidnam est Dominium?

CONCLVSIO.

Dominium est ius, siue facultas quomodolibet vtēdi, aut alienandi rem aliquam secundum vsum à lege permissum. Hæc concl. non aliter probatur, quam per discrimen, quod inter vsum fructuum, & Dominium reperitur. nam vsus est ius, siue potestas vtēdi, fruendique

dique re aliena in propriam tantum vtilitatem. Vſusfructus eſt poteſtas vtendi, & alienandi fructum ſalua tamen rei ſubſtantia: at vero Dominium eſt poteſtas non ſolum vtendi fructu rei, verumetiã alienandi eiuſdẽ rei ſubſtantiã.

Soto lib. 4. q. 5. Sco. & Medina vbi ſupra. S. Th. 7. 66. art. 2.

I. Diffic. Quo iure incepit Dominiorum diuiſio?

Animaduerte primum ius naturæ biſariam ſumi. Primo, quod natura omnia animantia docuit, ſiue quod appetitui ſenſitiuo conſonat: vt eſt liberorum generatio, & eorum educatio. Secundo, quod ratio naturalis inter omnes gentes conſtituit, quodque apud omnes populos æque cuſtoditur: quod olim ius gentium appellabatur, quale illud eſt, quod tibi non vis, alteri &c. Et de hoc ſecundo modo eſt in præſentia diſputatio.

CONCLVSIO.

D. Aug.

Iure naturali, & diuino in ſtatu innocentię non fuerunt diſtincta dominia, ſed omnia erant tunc cõmunia. Concl. eſt D. Aug. Ad verbum. & ab Eccleſia in Can. quo iure d. 8. canonizata. nam iure, inquit, humano dicitur, hæc villa eſt mea, &c.

APPEN.

Hinc, conſtat diuiſionem Dominiorum per legem humanam poſitiuam fuiſſe factam, nam lege, inquit, humana &c. in can. quo iure.

CONCLVSIO.

Præceptum iuris naturæ, quo omnia communia erant poſt Adæ peccatum fuit reuocatum. Ratio eſt, quia tunc regnante peccato, ſi non fuiſſent Dominia diſtincta, potentiores omnia ita occupaſſent; vt imbecilliores non potuiſſent non egeſtatem pati maximam.

CONCLVSIO.

Facta autem eſt dominiorum diuiſio per aliquam legem iuſte latam à patre, ſiue à principe, ſiue ab aliqua republica. Adam enim filiis ſuis rerum Dominia diuiſiſſe Scriptura ſacra ſatis aperte indicat dicens, Cain obtuliſſe ſacrificiũ de fructibus terræ, Abel vero de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum. Secunda, & tertia pars concluſionis ex iure Canonico & Ciuili conſtat. vbi præcipitur, vnumquẽque in propriis bonis indemnem ſeruari, hactenus de hac difficultate cum Scoto, & duo argumenta, quæ contra ſecundam concluſionem Soto affert, facile ſolues ſi cum S. Tho. & Caie. diſtinxeris dicens, legem naturalem, & præceptum naturale ſemper eſſe immobile: vt eſt præceptum prohibens iniuriam. at vero legem naturalem ſumptam

Gen. 4.

per concessione, vel permissione facta per naturam, vt erat lex prohibens Dominiorum distinctionem, posse reuocari, & reuocata fuisse, non enim fuit præceptum, vt omnia essent communia. sed concessio.

II. Diffic. In rebus, quæ vsu consumuntur potestne vsus a dominio separari?

Grauis est hæc difficultas. Nam Nicolaus III. in Extrauag. exiit, qui seminet de verb. sig. in 6. & Clemen. 5. in Clementi. exiuit, eodem titulo in 6. & cæteri omnes summi Pontifices. eorum successores definierunt fratres Minores non habere alicuius rei dominium, vsu autem facti, & non iuris, esse penes eosdem fratres. At vero Ioann. 22. post Nicolaum III. in Extrauag. Ad conditorem oppositum decreuit dicens, in rebus quę vsu consumuntur impossibile esse vsum à Dominio distingui.

CONCLVSIO.

In rebus, quæ vnico actu consumuntur, vsus à Domino separari potest, & de facto in ordine fratrum Minorum separatur. Constat ex proxima conclusione huius Art. tum etiam in Deuterono. dicitur ingressus vineam proximi comede vuas, quantum tibi placuerit, foras ne efferas tecum. vbi Venditio vuarum prohibebatur, & simplex vsus sine Dominio concedebatur. quare vsus necessario à Domino distinguitur. & in act. Apostolorum legitur omnes credētes habuisse omnia communia, quamobrem nullus in particulari habuit Dominium, sed vsum tantum, alioquin non essent communia. *Deut. cap. 23.* *Act. cap. 2.*

III. Diffic. *Quis potest alicuius rei habere dominium?*

Fratres Minores de obseruantia nullius rei dominiū, nec in communi, nec in particulari habere possunt. patet ex Clementi. exiui. & ex 6. capite Regulæ seraphici Patris Francisci. *S. Tho. Sco. & Medina & Soto vbi supra.*

Hinc, non poterunt vendere, vel permutare, aliquid sine expressa, aut tacita sindicorum facultate. APPEN.

CONCLVSIO.

Nullus monachus cuiusuis religionis sit, in particulari alicuius rei proprium Dominium habere potest. Definita est expresse in cap. cum ad monasterium de statu regularium. vbi Rom. Pont. ita ait, Abdicatio proprietatis sic est annexa statui regularium, vt in his Papa non possit dispensare.

Hinc, si Papa alicui monacho concedat, vt habeat dominium, ille jam non erit monachus. Nam Papa licet possit APPEN.

facere de monacho non monachum, efficere tamen non potest, vt manente monachatu in particulari proprium habeat. quia proprietatis abdicatio est de essentia monachi, quemadmodum rationale de essentia hominis.

CONCLVSIO.

Furiosus perpetuus dominium alicuius rei habere non potest· qui enim suiipsius non est Dominus, aliis dominari non potest. & huiusmodi furiosi sunt veluti agentia naturalia, quæ suarum operationum dominium non habent.

CONCLVSIO.

Gen. 1. Homines, qui non sunt perpetuo amentes, Dominium habere possunt. Patet Ge. 1. faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: vt præsit, id est, vt sit Dominus &c. quare fundamentum omnis dominij erit imago & similitudo Dei, quæ consistit in nobis: vt B. Damascenus docet in hoc, quod liberum arbitrium habemus, atque ita soli homines, qui non sunt perpetuo amentes, aut vt alij dicunt, rationalis creatura, quæ habet liberum arbitrium, poterit habere dominium.

APPEN. Hinc, nulla creatura irrationalis poterit habere dominiũ, quod est contra Gerson. Conrad. & alios, qui quamlibet creaturam affirmant habere dominium, vt leonem v.g. esse ferarum, quas prædatur, dominum.

CONCLVSIO.

Deus iure naturæ titulo creationis est Dominus omniũ creaturarum, nec se illo dominio priuare potest. Domini enim est terra, & plenitudo eius, Dominusque totius creaturæ est. Psal. 23.

APPEN. Exod. cap. 3. Hinc, filij Israel Egyptios spoliantes furtum non commiserunt. quia hoc volente vniuersali Domino, scilicet, Deo fecerunt.

CONCLVSIO.

Omne dominium, quod in creaturis reperitur à Deo est. dicitur enim ad Rom. omnis potestas à Domino Deo est &c. Rom. 13.

CONCLVSIO.

Angeli suarum actionum, vt contemplationum, motus &c. Domini sunt, alterius tamen rei in vniuerso existentis dominiũ habere minime videntur. Deus enim omnia propter nos creauit, neque vllam creaturam propter Angelos creasse legimus, dœmones namq; supra damnatos, ius tantum quoddam ministeriale iustitiæ Diuinæ habent.

IIII. Diffic. An Primogenitus habeat dominium bonorum vinculatorum? *Soto lib. 4. q. 5. vbi sup.*

Duæ sunt opiniones. Prima dicit esse dominum, licet nō possit ea vendere. quia minor ætate est Dominus suorum bonorum, & tamen illa alienare non potest.

Contraria & secunda est Baldi, & aliorum iurisperitorum c. de secundis nuptiis in l. femine. quæstio hæc de nomine esse videtur. vtraque opinio est probabilis.

Art. II. Quarum rerum homo dominium habere potest? *S. Tho. 2. 2. q. 3. art. 4. ad 1. Soto. lib. 4. tota qō. 2.*

CONCLVSIO.

Homo non est Dominus suæ vitæ, vt membrorum ita vt possit seipsum interimere, quin agat contra charitatem & iustitiam. aget quidem contra charitatem, quia præcepto, non occides, non solum alios, verum & nos ipsos occidere prohibemur, & contra iustitiam quoque, quia occidens seipsum aufert alienum, nempe, vitam inuito Deo, qui est vitæ, & mortis Dominus. Nam in Deutero. dicitur, ego occidam, & ego viuere faciam. *Deut. 32.*

CONCLVSIO.

Homo propriæ famę ita est Dominus: vt imponens sibi falsum crimen, agat solum contra charitatem. Nam Christus Iesus, cum in multis accusaretur, nihil respondebat: ita vt miraretur Præses vehementer. & sancti propriam famā contemnebant, quod minime illis integrū fuisset, si Domini famæ propriæ non extitissent, sed de hac re latius infra. *Marc. 15.*

CONCLVSIO.

Vnus homo alterius hominis titulo emptionis, vel quia fuit in iusto bello captus, dominium habere potest. Prima pars conclusionis in Leuit. cap. 25. habetur. ita enim legitur, si paupertate oppressus vendiderit se frater tuus, non opprimas eum cum seruitute famulorum. quod apud nos modo non licet, est tamē inter infideles nunc, vt olim erat, consuetudo vendendi proprios filios, vt habetur in lege 2. ff. de his, qui proprios filios distraxerunt. secunda vero pars patet, quia cum possit miles hostem interimere, poterit illum in mancipium seruare, & hæc dicitur seruitus iure belli, quæ instituta est ad seruandam hostium vitam. *Leuit. ca. 25.*

CONCLVSIO.

Qui seruus est, quia seipsum vendidit, si fugiat ad restitutionem tenebitur, furatur enim alienum.

CONCLVSIO.

Seruus iusto bello captus potest fugere, quia Dominus

non maiorem potestatem habet finito bello, quam tẽpore belli, & sicut tunc, ita & nunc licite fugere poterit.

APPEN. Hinc, si fugiat ab emptore, non tenebitur ad restitutionem. quia eodem titulo tenetur seruire emptori, quo capienti tenebatur: & quemadmodum à capiente, ita ab emptore licebit illi fugere: dummodo non promiserit medio iuramento se non fugiturum, vel non sint dominati, tunc enim fugere haud poterunt. nota ad confessiones seruorum audiendas.

CONCLVSIO.

Homo iure naturali, & Diuino est Dominus ferarum, piscium, & animalium. dicitur enim Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.

Scot. art. 2. q. 2. Soto lib. 4. q. 5. Medi. q. 1.

Art. III. Quibus modis transferri potest Dominium?

CONCLVSIO.

Dominium rei in alium transferri potest per solam Domini voluntatem cum traditione, dummodo à lege non prohibeatur. Probatur Instituta, de rerum diuisione. Vbi dicitur, nihil tam conueniens naturali æquitati, quam voluntatem Domini volentis rem propriam in alium transferri, ratam habere.

APPEN. Hinc, si Dominus rei non habeat rationis vsum, & liberum arbitrium, quia mente captus, vel puer est rem suam dare non poterit, non enim dicitur habere propriam voluntatem, nec libero vti arbitrio, cum quid agat, ignoret.

APPEN. Hinc, si minor sine authoritate tutoris, & primogenitus sine authoritate Principis, aliquid alienauerint, recipientes ad restitutionem tenebuntur. quia. hi à lege alienare prohibentur.

APPEN. Idem est iudicium de vsurario, quamuis solutio vsurarum spontanea sit. & de iudice accipiente pecuniam pro sententia proferenda. quia non acquirunt dominium: vt definitum est in cap. exigi de censibus in 6. similiter iudicandum est de aliis casibus.

CONCLVSIO.

Dominium potest quoque legis authoritate contra domini voluntatem transferri. Vt constat in præscriptionibus de quibus infra agetur. & in bonis hæreticorum. Nam à die commissi criminis, inuito hæretico, dominium bonorum illius transfertur.

CON-

CONCLVSIO.

Aliquando etiam dominia per iudicis sententiam inuito Domino transferuntur. Definita est in Can. fraternitatis 12.q.2.vbi dicitur, furem à iudice posse mulctari pœna pœcuniaria. cuius pecuniæ dominium per sententiam iudicis mediante exequutione in alium transfertur.

I. Diffic. Possuntne filij illegitimi bona paterna retinere? *Soto vbi supra. art.1.*

Nota filiorum illegitimorum quosdam vocari manceres vt qui ex meretricibus in lupanari expositis nascuntur. alios spurios: vt qui nascuntur ex aliena concubina, vel ex illa quæ pluribus exposita est, non tamen in lupanari, alios nothos, vt qui ex adultero procreantur, alios tandem naturales, qui ex propria concubina domi retenta, dummodo vterque sit solutus, geniti sunt. Hæc diuisio colligitur, ex cap. nisi cum pridem. de renunciatione.

CONCLVSIO.

Tam pater, quam mater possunt filiis quocunq; modo illegitimis quintam partem suorum bonorum relinquere: Pater per legē nonam & decimā Thauri. Et ratio est, quia quinta pars bonorum, cui voluerit testator, legare poterit.

CONCLVSIO.

Filij spurij, & naturales possunt matri ab intestato succedere, & ex testamento, quamuis habeat ascendentes hæredes legitimos: dummodo legitimis descendētibus careat. Probatur per legem nonam Thauri, vbi expresse habetur.

CONCLVSIO.

Spurius neque ex testamento, neque ab intestato patri succedere potest. Et ratio est, quia habet incertum patrem.

CONCLVSIO.

Filius naturalis ex testamento tantum potest patri succedere, quamuis habeat legitimos, ascendentes, si tamen legitimis descendentibus sit priuatus. Probatur per legem decimam Thauri.

CONCLVSIO.

Adulterinus nec ex testamento, nec ab intestato, patri aut matri succedere potest. per eandem legem Thauri patet.

II. Diffic. Potestne pater filium illegitimum hæredem per fidei commissum instituere, ita vt in conscientia filius talia bona retinere possit? *Soto vbi supra.*

CONCLVSIO.

Filij adulterini sæcularium in fidei commisso in foro conscien-

conſcientiæ, nõ tamen in foro exteriori, bona paterna poſſidere poſſunt, quia lex prima fori titulo de hæredibus & ſucceſſoribus. tantũ prohibet, ne ſint ex teſtamẽto hæredes.

CONCLVSIO.

Filij clericorum, aut religioſorum, nec per teſtamentum, nec per fidei commiſſum, nec per donationem in bonis paternis ſuccedere poſſunt. Ita definitum eſt in lege 22. lib. 1. tit. 3. & in lege 2. lib. 5. tit. 3. regalium ordinationum. Vbi ita legitur (*Ordenamos, y mandamos, que los hijos delos Clerigos, religioſos ni hereden, ni puedan heredar los bienes de ſus padres, ni de ſus parentes, ni los hayan, ni los puedan gozar por legado, ordinacion, o por otro trapaſſo.*) Qua lege iuſta inhabiles redduntur, & in foro exteriori, & conſcientiæ ad bona paterna habenda aliquo titulo legati donationis, &c.

APPEN. Hinc, ſi pater tacito fidei commiſſo, aliquem hæredem conſtituat, poterit filio clerici bona illa dare, non tanquam paterna, ſed tanquam propria.

APPEN. Hinc, ſi fidei commiſſum ſit expreſſum, peccabit fidei commiſſarius bona illa filio clerici danda, & in conſcientia fiſco, aut pauperibus illa reſtituere tenebitur, ſi tamen hoc fiſcum latere poteſt. ſin minus reddat fiſco. ne poſtea iterum ſoluere teneatur. non enim cum ſit lex pœnalis ante condemnationem obligat.

Soto ibid.

III. Diffic. Si filius, aut filia clerici matrimonium contraxerit, & filios ex tali matrimonio habeat, poterit nepotibus hæreditatem relinquere?

Poterit. quia pœnæ ſunt reſtringendæ, & lex illa de filiis clericorum eſt pœnalis.

Syluest. verbo alienatio §. 12. 13. & 14. & verbo teſtamẽtum 1. §. 5. & verbo hæreditas 3. §. 7. Soto vbi ſupra.

IIII. Diffic. Teneturne pater filios illegitimos alere?

CONCLVSIO.

Tenentur quidẽ illos, qui rationis vſum non attigerunt, inhumanum enim eſſet filios in ætate infantili, in qua victum ſibi quærere nõ poſſunt, ita relinquere. Vnde qui eos vt ab aliis alantur, exponunt, mortaliter peccare videntur.

CONCLVSIO.

Filios ſpurios poſt rationis vſum alere non tenentur, quod quidem fit. vt homines à concubitu damnato, & peſſimo arceantur.

Syluest. verbo alienatio §. 12. & verbo, teſtamẽ-

Art. Vlt. An per contractum minus ſolemnem, in foro conſcientiæ dominium transferatur?

Vt ſi Petrus non habens hæredes neceſſarios, ſed collaterales, tantum inſtituat hæredem Ioannem in teſtamento minus

minus solemni, vel instituat hæredes in tali testamento necessarios, vel collaterales, & leget extraneis quintam partẽ suorum bonorum, possintne parentes expoliare Ioannem, vel Ioannes possit bona fide illa bona retinere, vel an teneantur hæredes in conscientia legata, illa soluere.

Tres sunt de hac re opiniones. Duas affert Syluest. & affirmat vltra montanos, qui respectu illius sunt Hispani, & Galli, teneri partem negantem. Cismõtanos verò, qui sunt Itali partem affirmantem. Tertia opinio est media, quam tenet Sot. dicens, qui tenet bona per testamentum minus solemne esse tutum in conscientia, donec in iudicio conueniatur.

tum. §. 5. Adr. quolib. 6. art. 1. Soto vbi supra.

CONCLVSIO.

Quando lex irritat dumtaxat contractum, & non prohibet expresse siue ex consuetudine dominij translationẽ, nec præcipit fieri restitutionem, talis contractus est in conscientia validus. Patet exemplo in c. quia Sicut. de electione vbi dicitur, infirmãdam esse electionem, si suffragator absens non fuerit vocatus, nisi ratione pacis in electione consenserit. Secundo, quia lex ciuilis prohibet ludum, & tamẽ acquisita per ludum non sunt restituenda. vt infra in quæstione de ludo declarabitur. quare quantumcunque lex requirat aliquam solemnitatem, qua deficiente contractus annulletur, est intelligendum, ne virtute illius contractus aliquis possit in iudicio agere: vt glossa in l. non dubium. C. legibus docet.

CONCLVSIO.

Quando testamentum est nullum secundum leges ciuiles, quia non habet, scilicet, aut 7. testes, quos secundum iura ciuilia habere tenebatur, si duos vel tres habuerit testes erit in conscientia validum. expresse definita est cap. Cum esses. de testamentis ab Alexan. Papa. Dicit enim esse ex lege Diuina tale testamentum validum, ius autem diuinum vbique in conscientia obligat.

CONCLVSIO.

In legatis ad pias causas testamentũ est validum in vtroque foro, si habeat duos, vel tres testes. Communis est Doctorum sententia, qui ita cap. Cum esses. citatum declarãt.

Dubium. Si testamentum vnum, vel nullum habeat testem, sed tantum sit chirographo defuncti signatum, tenebiturne hæres in conscientia legatum soluere?

CON-

CONCLVSIO.

Si hæredi per sufficientem probationem: scilicet, per chirographum defuncti, aut per vnum testẽ omni exceptione maiorem constiterit, tenebitur in conscientia soluere legatum. nihil enim tam naturale est, quam vt dominia sola Domini voluntate, quãdo non prohibetur à lege transferantur. & in præsentia testator voluit in legatarium transferri dominium, nec fuit à lege prohibitus.

CONCLVSIO.

Quando testamentum est nullum, quia defunctus non habebat testandi authoritatem eo modo, quo testamentũ condidit. tunc tale testamentum in vtroque foro erit irritum. v.g. si habens hæredes necessarios vltra quintam partem aliquid extraneis legauerit. Ratio est, quia in tali casu prohibentur alienare, quod legauit, & ita non potest dominium transferri. at vero in his quæ potuit legare, valebit testamentum.

APPEN. Hinc sequitur, si quis exhæredauerit filium, & instituerit extraneum, & simul quintam partem tantum legauerit, quamuis testamentum quantum ad institutionem hæredis non valeat, valebit tamen quo ad legata. quia quantum ad legata. testamentum est legitimum.

S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 5. reliquus vbi sup. Syluest. verbo restitutio Medi. q. 2. de rest. Soto lib. 4. de iust. & iur. ar. 1. q. 7. Scot. q. 2. S. Tho. Scot. & Soto. ibi.

QVAESTIO SECVNDA DE restitutione.

Art. I. Cui facienda est restitutio?

Explicabitur nonnullis difficultatibus expositis.

I. Diffic. Oportetne semper vero Domino, a quo res ablata est, restitutionem fieri?

CONCLVSIO.

Vero Domino, aut eius hæredibus, siue ex testamento, siue ab intestato rei ablatæ facienda est restitutio. Nam restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, per quam constituitur æqualitas inter personas, quæ inequalia habẽt: & cũ verus Dominus, cui damnum illatum est, minus habeat, illi, & non alteri, erit restitutio facienda.

S. Tho. Scot. Medina, & Soto vbi supra.

II. Diffic. Quid si Dominus rei sit illa abusurus, eritne eidem restituenda?

V. g. si petat pecuniam alteri accommodatam: vt cum meretricibus prodigat. quidam statim esse restituendam pecuniam

pecuniam existimant, & in suam sententiam Adrianum adducunt.

CONCLVSIO.

Si Dominus paratus est ad dissipandum pecunias, & dilatata solutione per aliquod temporis spacium non fiet pecuniæ dissipatio, possum pecuniam retinere. Potissima ratio, ob quam est statim facienda restitutio, esse dicitur, quia rei alienæ detentio est in detrimentum veri Domini: & cum in casu posito restitutio in eius damnum potius redūdaret, poterit restitutio aliquod dies protrahi cessante siquidē causa restitutionis, cessare & restitutio debet.

Hinc furioso, & hominibus perditis, quos scimus ludo, ebrietatibus, meretricibus, & aliis id genus vitiis certo res suas esse consumpturos, nō erit restitutio statim facienda, sed commodum tempus expectandum. APPEN.

Hinc, qui lucratus est pecunias à filio familias, quem certo scit facta restitutione iterum lusurum, non illi, sed patri restituere, aut apud aliquem pecuniam lucratam deponere tenebitur. APPEN. *S. Tho. Scot. & Caieta.*

Hinc, de sententia Caietan. siquis magnam pecuniam Principi debet, non tenetur illam statim restituere, quando iniustum bellum gerit. quia esset in aliorum iniuriam. APPEN.

Hæc autem omnia sunt intelligenda, dummodo scandalum excludatur. nam si verisimiliter scandalum futurum esse creditur, vel quia præsentes existimabunt me nolle debitum soluere, vel quia creditor mihi minatur. nimisque irascitur, vel in periculo peccandi constituitur, restitutionē dilatare non teneor. perinde etiam, si veri simile est dissipaturum esse pecunias, quocunque tempore illi restituantur. nunquam enim aliquis statim restituendo peccat, etiamsi, vt dictum est, aliquando melius sit restitutionem protrahere. *Limitatio.*

III. Diffic. Estne semper restitutio facienda possessori, a quo res ablata est? *Ibidem DD. citati & Syluest. ver. restitutio 4.*

CONCLVSIO.

Si possessor est malæ fidei vt latro, Domino est restitutio facienda, ita vt latronis persona non prodatur, eritque latro admonendus, ne iterum Domino restitutionem faciat, illi enim restitutio est facienda semper, cui damnum est illatum, qualis est verus Dominus, non autem latroni, qui enim Domino restituit vtriusque Domini, scilicet, & latronis causam vtiliter gerit.

Hinc,

APPEN. Caieta. Hinc, qui habet aliqua bona religiosi, aut Ecclesiæ, tenetur illa reddere non Prælato, aut Episcopo, si sint bonorum dilapidatores, sed conuentui, aut capitulo, aut si fieri potest, in rebus immobilibus restituat. Nam hæc non ita prodigi possunt.

APPEN. Hinc, pallium vsurario vltra sortem datum, si auferatur, non vsurario, sed Domino erit restituendum. & idem est de similibus iudicium.

I. Dubium. Quando dubito, sitne res, quam habeo furtim ablata, aut non, cui facienda est restitutio?

CONCLVSIO.

Illi, à quo res accepta est, si est simpliciter dubium, est restitutio faciẽda. Nam in rebus dubiis tutior pars est eligenda, tutiusque est illi restituere, quia melior est possidentis conditio.

II. Dubium. Habeo rem, quam scio furto captam, timeo ne ex restitutione mihi detrimentum oriatur, tenebor vero Domino, an latroni, a quo accepi, restituere?

V.g. si non restituo latroni, fortassis cõueniet me coram iudice, & condemnabor ad flagella, vel aliud damnum simile patiar.

CONCLVSIO.

Tunc nunquam Domino restituere tenebor. Ratio est, quia non teneor rem proximi mei vtiliter cum iactura, & detrimento meo gerere, iuxta charitatis præceptum. proximus namque suum egomet mihi.

Soto vbi supra, art. 1. ad. 2. *III. Dubium. Quid si res, quam abstuli a latrone, non Domino, sed latroni a me restituatur, erone postea iterum restitutioni vero Domino facienda obnoxius?*

CONCLVSIO.

Si ego rem per ignorantiam inuincibilem latroni dedi, non teneor amplius ad restitutionem. v.g. si confessor mihi, vel vir aliquis prudens ita faciendum esse dixerit. Et ratio est, quia bona fide latroni restitutionem feci.

CONCLVSIO.

Si sciebam me rem furto sublatam vero Domino datum, non dando, mortaliter peccaui. quilibet enim tenetur charitatis præcepto sine proprio nocumento rem proximi vtiliter gerere.

CONCLVSIO.

Qui scienter latroni dedit, iterum Domino restituere tenetur. Ratio est, quia quicquid tenet iure fori, tenet etiam poli,

poli, si non fundatur in falsa præsumptione, & iudex cōpellet me ad restituendam rem illam Domino, si hoc me cognouisse probetur.

CONCLVSIO.

Si res à bonę fidei possessore sublata fuerit, eidem, & non Domino est facienda restitutio quia bonæ fidei possessori, & non Domino illatum est damnum, cum ipse rem indemnem proprio Domino seruare teneatur: qualis est cōmodatarius, qui apud se pignus habet. quod si Domino fuerit facta restitutio, expensæ tantum, quas in rebus furto sublatis inuestigandis fecit, erunt cōmodatario restituēdæ.

IIII. *Diffic. Quando Dominus est incertus & ignotus, cui est restitutio facienda?*

Duæ sunt opiniones. Prima affirmantium esse authoritate Papæ pauperibus faciendam. Altera esse faciendam Episcopi authoritate S. Tho. vbi supra ad 2. dicit esse consumendas res illas in pios vsus, & in 4. videtur sentire talia bona esse monasterio tribuenda. reliquorum tamē Doctorum sententia tenet necessario esse in vsus pauperum distribuenda.

S. Tho. vbi supra. Ric. art. 5. q. 4. Scot. q. 2. Syluest. ver. restitutio 8.

CONCLVSIO.

Si facta diligenti inquisitione verus Dominus, vel possessor, cui damnum fuit illatum, non inueniatur, erunt pauperibus res ablatæ restituendæ, aut in pios vsus consumandæ. Ratio est, quia quādo non apparet Dominus particularis, vniuersali Domino, nempe, Christo est facienda restitutio. & fit pauperibus res illas erogando. Dicit enim Christus, quamdiu fecistis vni de his fratribus minimis, mihi fecistis.

Mat. cap. 25.

Hinc, si non adhibita diligentia, & inquisitione veri Domini pro qualitate rei restituendæ pauperibus tribuatur, erit restitutio iterum vero Domino facienda, si comparuerit, sibi imputet secundam restitutionem. quia debite non inquisiuit dominum.

APPEN.

IIII. *Dubium. Quando bona incerta erunt pauperibus eroganda, & in pias causas tribuenda?*

Respondeo cum Sc. hoc fieri debere viri prudentis consilio. nam quando pauperes graues patiuntur necessitates, illis sunt tribuenda, quando vero pauperes non egent, & Ecclesia indiget, erunt in fabricam Ecclesiæ consumendæ.

CONCLVSIO.

Quando Dominus est ignotus in particulari, & notus in

communi: vt si sciam rem, quam habeo, esse, vel Socratis, vel Platonis, vel Ciceronis: cuius tamen illorum sit, ignorem, tunc non pauperibus, sed illis tribus: vt inter se diuidant, vel sortes mittant, erit restitutio facienda. Iam enim alicui illorum damnum esse illatum in communi intelligitur. & cui damnum illatum est, restitutio est facienda, qui si mortui fuerint, illorum hæredibus restituere oportebit.

APPEN. Hinc, nihil sine illorum consensu agendum erit, neque vnius remissio à restitutione liberabit.

APPEN. Hinc, qui in bello iniusto pecunias ex aliqua ciuitate hostium rapuit, primum debitam diligentiam adhibere, vt verum Dominum inueniat, tenebitur, & eo non inuento, reipublicæ, cui facta est iniuria, vel Episcopo, & aliis, qui illius ciuitatis, siue reipublicæ curam habent, res illæ restituendæ erunt. hæc S. Tho.

S. Tho. in. 4. d. 15. art. 5. q. 4. ad 3.

S. Thom. & Medina, vbi supra.

V. Dif. Quæ per Symoniam sunt acquisita, cui sunt restituēda?

Communis est opinio dicentium Ecclesiæ, cui per symoniam facta est iniuria, esse restituenda. Alij illis à quibus sunt accepta restituēda esse affirmant. esse in pios vsus consumenda S. Tho docuit.

CONCLVSIO.

Si aliquis det alicui vsuram per ignorātiam, debet eidem fieri restitutio. Definita est expresse in cap. Veniens de symonia: alioquin in pios vsus consumenda.

Caie. 2. 2. q. 62. art. 3. Soto vbi supra.

VI. Diffic. Si pauper tenetur ad restitutionem bonorum incertorum, poteritne sibi facere restitutionem?

CONCLVSIO.

Poterit quidem sibi restituere. Ratio est, nam si alius teneretur dare pauperibus, ego possem consulere: vt mihi pauperi daret, cur non potero mihi retinere? hoc est intelligendum sine dolo, & fraude.

Syluest. verbo restit. 4.

VII Diffic. Qui tenetur bona incerta restituere, aut non vult, aut male restituit, diuitibus illa tribuendo, a quo poterit cogi: vt restituat?

CONCLVSIO.

Ab Episcopo erit compellendus. quia est pauperū pater.

Soto art. 1. vbi sup. Medin. q. 4.

VIII. Diffic. Si Dominus rei longe distat, cui erit restituendum?

Respondeo. si creditur rediturus, dubitum ei in loco tuto erit seruandum, si non est rediturus, & facile potest ad illum mitti, transmittatur, si vero difficulter, erit per epistolam debitum illi significandum.

IX. Dif.

Quid, si creditor longe distans, vt sibi mittatur, velit cuius expensis erit debitum transmittendum?

Variæ sunt opiniones. Caie. distinguit, si restituturus habuit à principio rem iniuste, vt fur, debet suis expensis mittere, etiamsi expensæ in quadruplo excedant: si autem iuste, vtpote ex aliquo contractu, tenetur expensis Domini mittere, & non propriis, licet restituturus abcesserit. Sco. dicit non esse maiorem sumptum faciendum in missione valore rei mittendæ, sed expectandam esse Domini præsentiam, quem si creditur non redditurum, parentibus, qui si desint, pauperibus esse restituendum. idem docuit Ric. d. 15. Abbas vero in cap. Cum tu de vsuris, & Sylue. distinguunt ita, si possessor malæ fidei, vt fur, recessit à loco, vbi furtum fecit, tenetur suis expensis mittere; si vero Dominus discedit expensis Domini, quod si Dominus secū rem illam duxisset, minoribus sumptibus, vel nullis fur ad dānum illud tenebitur. Medina. Codice de restitutione affirmat esse expensis eius, qui est obnoxius restitutioni debitum mittendum. *ar. 4. q. 2. ad argumenta.* *Verbo restitutio 4. §. 4. & Medina, & Sco. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Depositarius nunquam tenetur depositum propriis expensis ad Dominum mittere, sed satis est, vt sit ad reddendum paratus. tunc enim ex opere iusto, & pio damnum reportaret, si propriis expensis mittere teneretur.

CONCLVSIO.

Possessor iustus, qui non fuit in mora soluendi, & migrat à loco, vbi à creditore pecuniam accepit, tenetur suis expensis ad Dominum mittere. est enim regula fori iudicialis verissima, scilicet, vt quicunque aliquid debet ex aliquo contractu certo in loco facto, in eodem loco soluere teneatur, nisi alius locus solutioni signetur.

CONCLVSIO.

Si vero creditor abiit, debitor tunc suis expensis mittere haud tenetur. quia in foro iudiciali, ita iudicatur. neq; enim qui pecunias accepit, in tali casu est expensarum causa.

Hinc, si ceditor, qui discedit, non mittat nuncium tempore solutioni præfixo, neq; debitum mittere. neq; damnū quod creditori inde sequetur, debitor soluere tenebitur. APPEN.

CONCLVSIO.

Si debitor existimat creditorem expensas in missione faciendas non soluturum, neque de iustitia, neque de charitate ad debitum mittendum obligatur, quia nullo modo

 expensas

expensas illas soluere tenetur.

APPEN. Hinc, si expensas est soluturus, & minores faciendæ sunt mittendo mutuarum, tenebitur ex charitate illud mittere.

Medin. q. 2. *V. Dubium. Quid facere iniustus possessor tunc tenebitur?*

CONCLVSIO.

Si debitor alio profectus est, suis expensis mittere debet. quia est causa expensarum. neque enim debitoris malitiam creditori nocere æquum est.

VI. Dubium. Quid si creditor, in alium locum se contulit?

CONCLVSIO.

Si non erat suam rem restitutioni obnoxiam secum deportaturus, fur suis expensis mittere haud tenetur. Ratio est, quia fur solum tenetur ad restitutionem rei ablatæ, & dãni ex furto subsequuti: & in casu posito nullũ damnũ intulit.

Syluest. Soto & Medina vbi supra. Hinc, si erat secum rem illam laturus, & sine expensis, debitor propriis expensis mittere tenebitur: si vero cum expensis non tenebitur propriis expensis debitor mittere. hæc Syluest. & Medina vbi supra. Caietan. vero, & alij absolute tenent debitorem non obligari ad mittendum suis expensis.

Soto lib. 4. q. 7. art. 1. & 2. *X. Diffic. Quid de debitore illo qui fuit in mora soluendi?*

Respondeo idem omnino quod de malo possessore erit iudicium.

Medina, q. 2 & Soto. vbi supra. *XI. Diffic. Si debitor mittat creditori absenti rem debitam, & casu fortuito, vel nuntij malitia pereat, eritne a restitutione liber?*

CONCLVSIO.

Quando nuntius communi opinione fidelis iudicatur, & res eadem numero, quæ fuit ablata restituitur, & casu fortuito, vel malitia nuntij perit, debitor, qui est bonæ fidei possessor, vt depositarius, à restitutione liberatur, quia non perit negligentia, & culpa debitoris. quotiescunque enim non est aliunde dolus, aut negligentia, res in damnum proprij Domini perit.

CONCLVSIO.

Quando res, quæ mittitur, non est eadem numero, sed æquiualens, debitori, quantumuis iustus possessor sit, & nõ creditori peribit, quocunque modo pereat. Ratio est, quia debitor, & nõ creditor erat talis rei, siue pecuniæ Dominus.

CONCLVSIO.

Si debitor erat malæ fidei possessor, semper in suum detrimentum peribit. fuit enim in mora restituendi.

CON-

CONCLVSIO.

Si creditor mittat nuntium ad debitum portãdum, si pereat, qualecunque illud sit, creditori peribit, perspicua est cõclusio, quam probat Panor. cap. significante. de pignoribus.

XII. Diffic. Si debitor suis expensis mittere teneatur, & expensæ summam rei mittendæ excedant, debetne tunc mittere?

Duæ sunt opiniones. Prima Sco. qui dicit tunc rem non esse mittendam, sed hæredibus, vel pauperibus, si non sunt hæredes, dandam. Idem sentit Ric. vbi supra. Syluc. autem dicit non esse mittendam, vel si adequant aut parum deficiant. Contraria opinio est Caietan. affirmantis propriis expensis, etiamsi excedant in quadruplo, esse mittendam. quid S. Tho. sentiat, in principio difficultatis de domino absente diximus. *ar. 5. q. 4. verbo restitio 4. Medi. q. 2. S. Tho. & Soto vbi supra.*

CONCLVSIO.

Si Dominus longe distat, & res commode illi non potest restitui, suntque multæ expensæ in restitutione faciendæ, tunc hæredibus illius, vel pauperibus, si creditur illum ratũ habiturum, erit facienda restitutio. quæ quidem conclusio est intelligenda, si res restituenda parui momenti fuerit.

CONCLVSIO.

Si res fuerit magni momenti, & creditor illa maxime indigeat, tunc, vt dicit Caieta. erit mittenda, etiamsi expensæ in quadruplo excedant. fraus enim possessori malæ fidei in damnum proprij Domini fauere non debet. *S. Thom est.*

CONCLVSIO.

Si creditor re illa non maxime eget, tunc seruanda est, & creditori per epistolam renuncianda, vel tribuenda est monasterio, facta protestatione, vt Domino si illam petierit, reddatur. est tamen diligenter animaduertendum in huiusmodi casibus nihil sine arbitrio boni viri esse faciendum.

XIII. Diffic. Pœnarum quæ a lege imponuntur, cui est restitutio facienda?

CONCLVSIO.

Pauperibus, vel Ecclesiæ est facienda restitutio. Definita est expresse in cap. de hoc autem. de symonia.

Hinc iudex, qui ratione concussionis, aut homicida, qui ratione homicidij, & vno verbo, qui ob turpem causam aliquid recipiunt, similiter restituere tenentur: dummodo actio fuerit consummata, scilicet, vt iudex impie iudicauerit, & homicida alium interfecerit: alioquin danti erit facienda **APPEN.**

cienda restitutio. non enim dans iudici, aut assassino, habuit voluntatem transferendi dominium, nisi propter consummatam actionem. hoc verum est stãdo in iure naturæ, iure vero positiuo probabile est non esse danti restitutionem faciendam: nam perdit statim omne dominium, & ius repetendi in foro iudiciali: vt ex lege si ob turpẽ causam, de cõditione ob turpẽ causam constat. sed latius de iis infra.

S.Thom. 2.2. q. 62. art. 8. Ric. art. 5. q. 4. Scot. & Medina q. 2 Syluest. ver. resti. 5. Soto lib. 4. q. 7. art. 4.

Art. II. Quando est facienda restitutio?

CONCLVSIO.

Qui retinet alienum inuito Domino, statim restituere tenetur. quia quandiu retinet, agit contra præceptum negatiuum, non furtum facies. furtum enim non solum est ablatio rei alienæ inuito Domino, verumetiam retentio.

CONCLVSIO.

Non obligat ad actum exteriorem restituendi præceptũ, quando non adest possibilitas, sed ad animi tantum præparationem. est enim præceptum affirmatiuum, & nullus ad impossibile obligatur.

APPEN. Quando dicimus præceptum restitutionis statim obligare, intelligimus moraliter loquendo, loco, scilicet, & tempore competenti. non enim media nocte à lecto surgere, vel mensam, aut missam inchoatam relinquere, si tunc restitutionis faciendæ ab ipso, recordetur. satis namque tunc erit, animum restituendi tempore opportuno habere.

S.Tho. Scot. & Medi. vbi supra. Syluest. Verbo restitutio 5. 13.

1. Diffic. Suntne aliqua causæ, ob quas restitutio differri possit?

Scot. vbi supra de hac re optime disputat. & est notanda regula generalis, qua multi casus soluuntur, licet rem alienam detinere, quando Dominus rei rationabiliter debet velle, eam retineri. ex principiis legis naturæ constat.

APPEN. Hinc, quando aliquis est impotens, non tenetur statim restituere. S. Tho. & omnes Doctores hunc casum admittunt, nec tenetur, quando sine sui infamia restituere non potest, & creditor ex rei detentione magnum incommodum non patitur.

APPEN. Nec quando restitutio statim facta est in creditoris, vel communitatis detrimentum: vt si furiosus gladium petat ad interficiendum seipsum; vel pecuniam ad impugnandum patriam.

APPEN. Nec, quando restitutio statim facta in magnum debitoris detrimẽtum, & paruum creditoris commodum redundat. communis harum appendicum ratio est regula Scoti, scilicet,

scilicet, quia creditor tunc debet rationabiliter velle: vt nō fiat sibi statim restitutio. quilibet enim lege charitatis tenetur magnam bonorum proximi iacturam vitare, si sine detrimento, vel cum paruo suorum bonorum potest, atq; ita tenetur rationabiliter velle, vt non statim sibi restitutio fiat. Syluestr. regulam Scoti optimum restitutionis fundamentum esse affirmat, citatque multos grauissimos Doctores, qui illam amplectuntur.

II. Diffic. *Qui furatus est aliquid, teneturne statim sub pœna noui peccati restituere?* Ric. art. 5. q. 4.

CONCLVSIO.

Qui diutius detinet alienum, magis peccat, quam qui citius restituit. Quia magis nocet, & maiorem iniuriam Domino facit, & tamdiu detinere poterit: vt de nouo mortaliter peccet, vel præcedens mortale, ita grauetur: vt illa circunstantia sit necessario confitenda.

CONCLVSIO.

Non quæcunque restituendi mora, mortale peccatum facit: vt siquis non restituat per vnum, vel per tres dies. quod enim parum distat, nihil distare videtur: dummodo Dominus re illa magnopere non indigeat.

CONCLVSIO.

Qui recordatur rei alienæ, & restituendi nolitionem habet, mortaliter peccat. quia contra Dei præceptum de restitutione facienda agit.

III. Diffic. *Siquis per totam vitam non restituat, augebiturne semper peccatum illud?* Soto. vbi supra.

CONCLVSIO.

Semper augebitur. Ratio est, quia tenebatur habere propositum formale, vel virtuale restituēdi: quod tamen nunquam habuit.

I. Dubium. *Quando ille, qui non restituit, nouum peccatum committit?* Soto ibidem.

Respondeo quando habet restituendi opportunitatem, & non restituit, & quotiescunque nolitionem restituendi elicit.

IIII. Diffic. *Qui per totam vitam non restituit, neque propositum restituendi, nisi in articulo mortis habuit, condemnabiturne?*

CONCLVSIO.

Quicunque habet propositum non restituendi in vita, etiamsi habeat efficax propositum in morte, est in mortali

peccato. Ratio eſt, quia quilibet tenetur reſtituere ſub reatu peccati mortalis, quando poteſt, & hic cum poſſit, non reſtituit. hæc eſt Magiſtri Vega, quam docuit legens hanc materiam & B. Antonini.

2. p. titulo 2. §. 25. cap. 1. & Soto. vbi ſupra.

CONCLVSIO.

Si ille poteſt commode in art. mortis reſtituere, & non vult, non eſt abſoluendus. quia eſt in mortali. cum quilibet quando poteſt, teneatur reſtituere, & præſumitur hunc non habere propoſitum reſtituendi, ſi ſuperuixerit.

APPEN. Hinc, qui habet propoſitum non reſtituendi per totam vitam, non poteſt abſolui. quia decidit in mortali.

APPEN. Hinc, vt ſaluetur, oportet in vita reſtitutionem facere, nec ſatis eſt illam hæredibus præcipere, ſi autem commode non poteſt, propoſitum quod habet, tunc mutare tenetur.

V. Diffic. Eritne abſoluendus in aliquo caſu, ante mortem non reſtituens?

CONCLVSIO.

Poteſt abſolui, quando Dominus rei conſentit: vt reſtitutio differatur. Tunc enim dilatio non eſt contra Domini voluntatem.

CONCLVSIO.

Syluest. verbo reſtit. 5.

Quando hæres, & ipſius bona magnam patiuntur iacturam, ſi ſtatim reſtitutio fiat, & nullum Domino detrimentum accidit, abſolui poteſt, patet ex regula Scoti. quia Dominus rei tunc debet velle rationabiliter: vt reſtitutio protrahatur, quod ſi creditor incommodum patiatur, debet etiam cum magna iactura bonorum ſtatim fieri reſtitutio. Cæterum, cum illo, qui habuit in vita propoſitum reſtituendi, fuit tamen impeditus, non tanto rigore eſt procedendum, ſed vtendum eſt Sylu. conſilio, quanto cum rigore eſt agendum cum illo, qui nunquam in vita reſtituendi propoſitum habuit, etiam ſi Dominus in dilatatione conſentiat, & cum magna iactura bonorum. quia ſemper timendum eſt habere propoſitum non reſtituendi, ſi ſuperuixerit.

Syluest. & Soto vbi ſupra.

II. Dubium. Quid faciet confeſſor, ſi infirmus dixerit ſe non teneri ad reſtituendum ſtatim, cum tanta bonorum iactura?

R. quia omnis cauſa excuſans à reſtitutione ante mortis articulum, excuſat etiam in articulo mortis, erit, abſoluendus, niſi præſumat Sacerdos in eodem propoſito, quod habebat antea, perſiſtere, erit autem præſumendum, tale habere

habere propositum, nisi aliunde oppositum demonstret.

VI. Diffic. Qui habet magnam pecuniæ quantitatem, & non vult illam simul, cum possit, sed successiue restituere, eritne absoluendus?

CONCLVSIO.

Nullo modo est absoluendus, quoniam est in peccato mortali. potest enim simul, & statim restituere, non tamen vult.

VII. Diffic. Si nunquam sit restitutionem facturus ille talis, nisi paulatim, & successiue restituat, eritne absoluendus?

Hostien, & Angelus, quos Syluest. vbi supra, citat, tenēt posse absolui, præsertim, si dominus detrimētum aliquod non patiatur, aut non maxime indigeat.

CONCLVSIO.

Nequaquam absolui potest. quia est in mortali peccato, cum possit statim totum restituere, & nolit. verum nota posse restitutionem differri à confessore, quoties pœnitens habet iustas excusationes ad restitutionem protrahendam. non enim confessor debet esse nimis rigorosus, si est timoratæ conscientiæ.

III. Dubium. Tenebiturne semper, pœnitens confessori in hac materia obedire?

R. primum communiter obedire tenetur, etiam si confessor non sit vir doctus, propter reuerentiam confessori debitam. *Syluest. vbi supra.*

Secundo si pœnitens propter aliquam iustam causam restituere statim non tenetur, & Sacerdos velit illum ad restituendum obligare, non debet tunc confessori obedire, poterit autem pœnitens scire se non teneri, vel quia est confessore doctior, vel quia doctiores consuluit.

Tertio poterit pœnitens tunc citra mendacium tamen, confessorem: vt ab illo absolutionem obtineat, decipere dicens. Pater mi sciam diligentissime omnia, quæ facere teneor, libentissimeque faciam.

VIII. Diffic. Confessor poterit debitorem, qui multoties restituere promisit, & non restituit, quoties promiserit absoluere?

Duæ sunt opiniones. Vna affirmans. quia si de præteritis doleat, & restituere proponat, cum non possit, tunc temporis amplius facere, erit absoluendus. Altera opinio est negans, vtraque est probabilis, nam verisimile est si ante ab-

 solutionem

ſolutionem non reſtituat, poſtea non reſtitutum. quia ex præteritis futura coniicere licet. atque ita non erit abſoluēdus: vt ſecunda opinio tenet. Eſt tamen diligenter animaduertendum eo difficilius eſſe abſoluendum, quo ſæpius reſtituere promiſit. Nam toties poterit à promiſſione deficere, vt veriſimile ſit non eſſe reſtitutionem facturum, & tunc temporis etiamſi ſit in gratia, non erit abſoluendus, quoniam eſſet relinquere illum in peccandi periculo.

IIII. Dubium. Ille, cui remittitur debitum & non habuit animum reſtituendi, erit abſoluendus?

CONCLVSIO.

S. Tho. art. 8. citato. Erit quidem, ſi Dominus libere remittat. quia Domino licet de bonis ſuis, quod voluerit facere. tenebitur tamen de propoſito dolere.

IX. Diffic. Qui non poteſt ſine mutatione ſtatus reſtitutionem facere, tenebiturne ſtatim reſtituere?

V.g. ſi vſurarius, qui ære alieno negociabatur, qui ſi ſtatim reſtituat, compelletur artificio viuere. & idē dicendum de nobili, qui compelleretur inferiorem ſtatum aſſumere.

Caiet. 2.2.q.62.art. 8. Adri. q. 1. de reſtitutione. Syluestr. verbo reſtitutio 5. Duas opiniones citat, & prima eſt partem affirmatiuam tenentium, ita vt teneatur ſe omnibus bonis expoliare, quo vſque mendicare cogatur. Secunda opinio, & contraria eſt Scoti d. 15. q. 2. art. 4. Adri. Syluest. & Caiet. (Soto lib. 4. in fine.)

CONCLVSIO.

Quando res obnoxia reſtitutioni extat, & debitor extrema neceſſitate non laborat, illam ſtatim reſtituere tenetur. etiamſi ſtatum mutare cogatur. vt ſi detineat reditus alienos. Ratio eſt, quia tunc poteſt reſtitutio. differri, quando quis damnum in re propria patitur: at vero quando res aliena extat, ſi illam reſtituat, nullum in re propria detrimentum patietur, nullus enim aliena iactura locupletādus eſt.

APPEN. Hinc, nobiles, qui detinent villas & alienas poſſeſſiones, ne à magnitudine ſtatus, & familiæ cadant. & eorum confeſſores rei alienæ conſcij in ſtatu damnationis eſſe dicūtur, niſi ignorātia, vel alicuius Doctoris opinione excuſētur.

CONCLVSIO.

Iniuſtus poſſeſſor ſtatim reſtituere tenetur, quamuis ex tali reſtitutione detrimentum lucri ceſſantis patiatur, & ſtatum mutare, atque etiam mendicare compellatur: vt ſi vſurarius ex tali reſtitutione ſtipendio viuere, aut mendicare cogeretur.

cogeretur. Ratio est, quia nemo potest aliena pecunia negociari, aut lucrum facere. regula enim lucri cessantis intelligitur, de lucro non ex aliena, sed ex propria pecunia acquirendo, neque tunc mutare statum dicetur. nam proprius status non ex aliena, sed ex propria pecunia est comparandus.

CONCLVSIO.

Debitor iniuste acceptionis statum restituere tenetur, etiamsi damnum emergens in propriis bonis patiatur, vt si vsurarius domum, & vniuersa supellectilia vilius vendere cogeretur. Probatur eadem ratione, qua proxima conclusio. Nam tunc non mutaret statum. nō enim ille erat suus status, sed alienus, cum ex aliena pecunia esset comparatus. potius namque ad proprium statum reduceret, & ita intelligenda est opinio supraposita dicens, etiam cum mutatione status esse restitutionem statim faciendam. Erit tamen optimum cōsilium. tunc à creditoribus solutionis dilationem petere, & si debitores fuerint incerti, cum sede Apostolica compositionem facere. *Caieta. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Debitores ex iusta acceptione non tenentur statum mutare, neque lucrum cessans relinquere: vt statim creditoribus satisfaciant, sed possunt, ne in damnum emergens incidant, differre solutionem. Ratio est, quia in tali casu creditor dilationem concedere tenetur, & si nolente retineatur, non erit rationabiliter nolens, & inuitus. nemo namque tenetur restituere cum maiori detrimento, quam sit rei restituendæ prætium. & cadere à statu, est maximum detrimentum. *Scot. & Caiet. est.*

CONCLVSIO.

Quando creditor ex dilatione debiti detrimentum aliquod patitur, ne debitor cum mutatione status ad soluendum compellatur, debitor tunc damnum illud resarcire, quando ex culpa sua incidit in illam impotentiam, tenebitur. Ratio est, quia est causa damni, & qui causam damni dat, damnum fuisse videtur, vt in cap. finali. de iniuriis legitur.

CONCLVSIO.

Debitor bonæ fidei cum mutatione status restituere nō tenebitur, quamuis creditor ex dilatione solutionis statum quoque mutare compellatur. Ratio est, quia in pari causa necessitatis, melior est possidentis conditio: quemadmodum

modum in pari turpitudinis causa, obligatur tamen debitor damnum, quod creditor ex dilatione solutionis patitur, resarcire.

CONCLVSIO.

Quando debitor non potest sine periculo, aut detrimento propriæ famæ restituere, ad restitutionem statim faciendam non est compellendus, sed expectandum est tempus, quando tale detrimentum non timeatur. Ratio est quia bona inferioris ordinis non sunt restituenda cum detrimento bonorum superioris ordinis, qualis fama respectu pecuniæ iudicatur.

Scot. est cui adhesit Caieta.

APPEN. Hinc, qui furatus est rem alienam, poterit restitutionem differre, si timet statim restituendo latrocinij notam contrahere.

CONCLVSIO.

Quando res restituenda est magna, & infamia mediocris, vel minima, debitor cum detrimento propriæ famæ restituere tenebitur. quia fama est bonum temporale æstimabile pecunia, & tanta potest esse res restituenda, vt famam debitoris longe superet, & intelligitur conclusio, quando non expectatur commodius tempus, in quo sine periculo famæ possit fieri restitutio.

CONCLVSIO.

Quando creditor est pecuniam debitam in proprium damnum, siue alterius priuatæ personæ, siue reipublicæ consumpturus, poterit, & tenebitur debitor differre solutionem. Nam tunc peccaret. quia peccato creditoris cooperaretur. sed de his supra.

CONCLVSIO.

Debitor tenebitur cum diminutione status creditoribus soluere, si aliter satisfacere nõ potest. Ratio est, quia habere magnam cateruam famulorum, equorum, &c. cum dispendio creditoris ab obligatione restituendi non excusat. quia sine magna familia status nobilium conseruari potest. detinetur enim sine iusta causa inuito Domino alienum.

APPEN. Hinc, consulendum est nobilibus. vt statum minuant, quod est illorum confessoribus maxime animaduertendũ.

V. Dubium. Quare periculum status aliquando obligationem restituendi tollit?

APPEN. Respondeo. quia cadere à statu est magna infamia, & propter vitandam infamiam integrum est creditore non egente restitutionem differre, vt ex superioribus constat.

Hinc,

Hinc, in his, qui non habent statum, nulla est ratio ratione status, qua à solutione statim facienda liberentur.

X. Diffic. Tenebiturne debitor seipsum vendere, vt restituat? Ric. art. 5. q. 4.

CONCLVSIO.

Nequaquam ad istud obligatur. quia libertas est bonum superioris ordinis, pecunia vero restituenda inferioris.

XI. Diffic. Tenebitur mendicare: vt statim restituat? Verbo restitutio 5.

Raymundus. quem citat Sylue. teneri affirmat.

CONCLVSIO.

Nequaquam tenetur, etiamsi iniusto titulo possideat. quia mendicitas solum est ad vitæ sustentationem. & ideo æquum non est, vt quis eleemosynis se sustentet, atque restituat. leges enim & iudices ad mendicandum: vt fiat restitutio minime obligant.

XII. Diffic. Tenebitur aliquis ad restituendum manibus laborare? Soto lib. 4. in fine.

Soto dicit teneri vendere bona, vt satisfaciat, etiam si inde periculum laborandi, & mendicandi sequatur.

Duæ sunt opiniones probabiles. Prima duabus sequentibus conclusionibus continetur.

CONCLVSIO.

Qui nunquam laborauit, nec scit aliquod officium, laborare ad restitutionem minime tenebitur. esset enim inhumanum illum ad laborandum: vt restituat, obligare.

CONCLVSIO.

Qui habet officium, quo singulis diebus lucratur, vltra sufficientem sustentationem, quod superest, restituere tenetur. nam potest commode, & sine aliqua difficultate restituere.

Secunda opinio tenet, nullo modo obligari, postea quā omnia bona sua dedit, verum si quid post sufficientem sustentationem supersit, restituendum esse docet.

XIII. Diffic Teneturne aliquis seruire ad restituendum? Soto ibidem.

Duæ sunt opiones. Prima affirmat, nullo modo teneri postea quam omnia bona sua dedit. Altera est contraria.

CONCLVSIO.

Persona nobilis, quæ nunquam seruiuit, seruire vt restituat non tenetur, quemadmodum persona, quę consueuit, & potest seruire ad tempus, & non per totam vitam seruire tenetur. Oppositum enim esset difficile, & ad perdendam totam libertatem obligaret.

XIII. Diffic. Possuntne debitores in foro conscientiæ vti beneficio quarundam legum ciuilium, & aliquid sibi ad vitæ sustentationem seruare?

q.1. de restitut. dubio 6. Adria. tenet debitorem posse retinere omne illud, quod sibi lege permissum est, quando vtiliter creditoris negotium gerit, nō autem propter suam solam vtilitatem, nam tunc retinendo mortaliter peccaret, nisi extrema necessitas vrgeret.

CONCLVSIO.

Personæ priuilegiatæ possunt vti beneficio legum priuilegia concedentium in foro conscientiæ. Nam cum leges illæ sint iustæ, ius in vtroque foro concedunt, respublica enim cum sit domina bonorum particularium: vt in q. 6. prima huius tractatus declarauimus, poterit pro communi vtilitate talibus personis applicare illa, & tunc quod suum non est retinere minime dicuntur, variæ autem sunt leges priuilegia concedentes, quas breuitati studens prætermitto.

Art. III. Quo ordine est facienda restitutio?

CONCLVSIO.

Caie. verbo restitu. ca. 8. Syluest. verbo restit. 6. Medin. q. 2. Nauarro in manual. ca. 17. num. 47.

Quando debitor habet bona, quibus possit singulis creditoribus satisfacere, non est necessario solutionis ordo seruandus. Propterea quod nulli fit iniuria.

CONCLVSIO.

Si non habet bona, quibus possit omnibus satisfacere, & res eadem numero restitutioni obnoxiæ apud illum extāt, tenetur easdem numero creditoribus reddere. quia cū non sint consumptæ, & non habeat illarum rerum dominium, per illas aliis creditoribus satisfacere haud poterit.

CONCLVSIO.

Si non extant eædem res numero, & habet bona empta, quorum precium nondum est solutum, venditori prius erit satisfaciendum. Ratio est, quia quod pluribus obligationibus debetur, est debitis ex paucioribus obligationibus anteponendum, & precium rei emptæ. v. g. Domus debetur obligatione reali, quia manet creditori obligata. & personali, quia emptor est quoque venditori obligatus, ad alia vero debita sola obligatione personali tenetur. Et est definita in lege assiduis. C. qui potiores in pignoribus habeantur. hoc intellige nisi facta fuerit preciosior (*Porque si se ha mejorado, y subido el precio*) Erit vendenda, & quod residuū fuerit aliis creditoribus restituendum.

CON-

CONCLVSIO.

Quando sunt plures Creditores, & cætera bona sunt vni hypothecata, illi est prius facienda restitutio. bona enim hypothecata debentur duplici obligatione, reali, scilicet, & personali.

PROPOSITIO.

Sunt autem seruanda statuta municipalia, & leges quibus ordo satisfaciẽdi creditoribus determinatur, iuxta quas vxorum dotes sunt aliis debitis, etiam antiquioribus anteponendæ. Has leges confessores scire non tenentur: debent tamen iurisperitos consulere, si negotium hoc postulauerit.

CONCLVSIO.

Debitor prædictum ordinem restituendi transgrediens, mortaliter peccat. Ratio est, quia committit iniustitiam contra creditorem. Cæteris secundum ius præferendum.

CONCLVSIO.

Creditor, qui erat posthabendus, non tenebitur ad restitutionem, si prius fuerit illi facta solutio. non enim alienum tunc, sed quod suum est retinet.

CONCLVSIO.

Si debita fuerint æqualia eadem, scilicet, obligatione debita, non est ordo aliquis seruandus. Ratio est, ex regula iuris in 6 nam tunc, qui prior est tempore, potior est in iure.

1. Dubium. *An obligatio ex delicto sit præferenda obligationi ex contractu licito?*

V.g. an teneatur restituere vsuras vni, priusquam alteri mutuum.

Duæ sunt opiniones. Prima Caie. asserẽtis vsurariũ prius teneri ad satisfaciendum creditori ratione contractus liciti quam creditori, cui sunt restituendæ vsuræ: dummodo per talem contractum non sit factus impotens ad soluendas vsuras: vt est contractus donationis, dotationis, &c. in quibus contractibus vsurarius nihil accepit, & bona alienauit. *Vbi supra.*

Contraria opinio est Medinæ C. de restitutione in quæstione de vsura restituenda dicentis, si vsurarius non habet alia bona præter acquisita per vsuras, prius tenetur vsuras soluere, si autem alia habet bona, & debitum vsurarium est antiquius, erit cæteris debitis præferendum, sin minus postponendum.

CONCLVSIO.

Quando concurrunt duo creditores, vnus cui sunt vsuræ restituẽdæ, alter cui debetur pecunia ex contractu licito, tunc

tunc secundus, & si sit posterior, est primo præferendus: nam ille creditor est præferendus, qui magis est damnificatus, & cui sunt restituendæ vsuræ, aliquam vtilitatem est consequutus. quia mutuum fuit sibi præstitum: secundus vero nullam. Intelligenda est conclusio, quando vsurarius habet alia bona licite acquisita. Nam si omnia sunt pecunia vsuraria empta, omnia etiam sunt hypothecata creditoribus, quibus vsuræ restituendæ. Perinde quando res acquisitæ per vsuras extant: vt si vsurarius habeat æquum, & alia bona per vsuras data, cum non habeat earum dominium, ante omnia sunt restituendæ.

Limitatio.

CONCLVSIO.

Quando debitum est contractum ratione furti, si fur alia bona habeat licite acquisita, prius tenetur furti, quam aliorum debitorum ex contractu licito facere restitutionem. Ratio est, quia ad restitutionem furti tenetur duplici obligatione, scilicet, ex iniusta acceptione, & ex iniusta retentione: at vero in aliis debitis solum ex iniusta detentione obligatur. quia ex voluntate contrahentium accepit.

CONCLVSIO.

Quando debitum ex ratione maleficij: vt homicidij, aut hæresis, prius omnino debita ex contractu licito sunt soluenda. Ratio est, quia debitum ratione maleficij est pœnale, & leges pœnales non possunt aliquem in detrimentum legitimi creditoris punire. Tum etiam; quia ratione maleficij aliquis tantum obligatur personaliter, homicida enim si suspendatur ad nihil amplius tenetur: qui autem debet ex contractu licito, tenetur obligatione personali, & reali; propterea quod omnia eius bona tacite sunt creditoribus hypothecata.

Medin. vbi supra.

I. Diffic. Estne obligatio onerosa liberali obligationi præferenda?

Est quidem onerosa, quamuis sit tempore posterior anteponenda. Ratio est, quia creditor ex contractu permutationis magis damnificatur, quam creditor ex contractu liberali, si debitum nō soluatur: nisi aliunde ille cui facta est donatio graue damnum, si donatio non fieret, pateretur.

Soto lib. 4. q. 6. art. 4.

Art. IIII An qui est obnoxius restitutioni tantum, semper quantum abstulit restituere teneatur?

CONCLVSIO.

Detinens alienum inuito Domino, omnes fructus, non ex industria propria, sed ex natura rei acquisitos, restituere tenetur.

tenetur. Ratio est, propterea quod cuius est rei dominium, eiusdē sunt rei fructus, cum nullus ex re aliena sit ditādus.

Hinc, fructus pecoris, ancillæ, iumenti, &c. Dominis rerum sublatarum erunt, deductis tamen expensis vt ex cap. Ad nostram de iure iurando colligitur, restituendi. APPEN.

Hinc, fur ad restituendum quæ sua industria ex aliena pecunia negociando lucratur, minime obligatur. APPEN.

CONCLVSIO.

Retinens alienum inuito Domino est quoque obligatus ad lucrum cessans, & damnum emergens restituendum: quia est causa damni. & qui causam damni dat, damnum dedisse videtur.

Hinc, qui furatus est equum tenebitur soluere precium, quod Dominus equi soluit alium conducens, quem non erat conducturus ad iter faciendum: atque etiam lucrum, non locando equum sublatum, cessauit. APPEN.

Hinc, qui furatus est triticum, si Dominus illius ad sustentandam familiam duplo precio coactus est emere triticum, tenebitur precium illud soluere, etiamsi tempore furti non tantum valeret, propter damnum emergens. similiter etiam, si Dominus venditurus erat triticum tempore, quo valebat duplo, erit totum restituendum ratione lucri cessantis. APPEN.

Si autem non erat Dominus venditurus triticum, nec emit aliud, quia ditissimus est, si frumentum extat, illud restituat, sin minus, quantum tempore furti valebat. APPEN.

CONCLVSIO.

Si res est preciosior, tenebitur fur illam eandem restituere, deductis expensis, dummodo facta sit preciosior. non ex natura rei, sed per furis industriam. constat ex cap. 1. De iure iurando. neque enim æquum est vt Dominus rei alienæ iactura ditetur.

Hinc, si equus valet ducentos ducatos tempore restitutionis industria, & labore furis, qui tempore furti valebat centum dumtaxat, tenebitur Dominus tunc laborem, & expensas, & industriam, quibus omnibus factus est equus preciosior, soluere, etiamsi ipse eandem diligentiam, & industriam apposuisset. APPEN.

CONCLVSIO.

Si res tempore solutionis est minoris pretij ex natura rei, res solum restituenda erit, & precium minime supplendū: v.g. vsurpauit aliquis dolium vini, detinuitque per mēsem,

& versum est ex natura sua in acetum, solum acetum restituere tenetur, secus autem si ex culpa sua res fuerit deterior effecta. quia tunc ratione damni emergentis precium supplere tenebitur.

CONCLVSIO.

Si res sublata furto, & inuito Domino retenta periit casu fortuito, quo in potestate Domini fortassis non periisset, debitor illam restituere tenebitur. Ratio est, quia res periit, eo quod fuit in mora restituendi. Nam si statim restituisset, fortassis non periisset.

CONCLVSIO.

Si res omnino periit, & non culpa furis, eademque erat in potestate Domini peritura, non pretium rei, sed fructus si quos erat Dominus habiturus, aut damnum emergens, si quod passus est, sin minus: nihil restituere tenebitur. Et ratio est, quia tunc nullum illi damnum intulit. quādo enim nullum damnum sequitur ex culpa furis, ad nullam tenetur restitutionem.

Opinionem contrariam tenent aliqui, quos Medina vbi supra, in fine quæstionis citat.

I. Diffic. Petrus erat Ioanni soluturus centum mensuras tritici & distulit solutionem per duos annos, valebatq; carius, aut vilius tempore, quo triticum suscepit, tenebiturne triticum, vel tritici precium soluere?

CONCLVSIO.

Quando fuit solutio ex voluntate creditoris dilatata, solum tenebitur precium, quod pro tritico soluebatur tempore solutionis in contractu præfixo, non autem triticum restituere. alioqui enim creditor esset vsurarius. quia pro mensura valente decem, reciperet decem, & octo, propter solam solutionis dilationem. & si frumentum valeret minus, damnum reciperet, si frumentum solueretur. quia reciperet mensuram valentem 15. dragmas, pro valente decem. quapropter nullo modo frumentum, sed æquiualens in pecunia erit restituendum.

CONCLVSIO.

Quando solutio differtur vltra terminum à voluntate creditoris præfixum, si creditor in nullo est damnificatus, non debet solui frumentum nisi iuxta precium quo tempore in contractu præfixo vendebatur: nam si solueretur frumentum & valeret plus tempore solutionis, creditor esset vsurarius, quia ratione dilatatæ solutionis plus exigeret, quam

quam si non esset dilatata solutio.

CONCLVSIO.

Si dilatata solutione contra voluntatem Domini, Dominus fuerit damnificatus, omne damnũ debitor resarcire tenebitur: vt si carius triticum emat sibi, & suæ familiæ, quod non emisset, si suo tempore fuisset facta solutio. Ratio est, quia debitor fuit creditori illius damni causa.

II. Diffic. An Dominus satisfacere teneatur iniuriam, vel damnum a proprio mancipio alteri illatum?

CONCLVSIO.

Quando Dominus fuit causa damni ad restitutionem tenebitur, quia, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, & habetur expresse in Cano. Si bos de iniuriis.

Hinc, si non fuerit causa damni, nõ tenebitur, esset enim contra iustitiam obligare illum ad restitutionem. APPEN.

QVAESTIO QVIS TENEATUR ad restitutionem.

Alex. Alen. qõ 86. m. 3. Caieta & S.Tho. 2.2. q. 62. art. 7. Soto q. 7. ar. 2. lib. 4.

Art. I. An possessor bonæ fidei restituere æquiualens rei alienæ teneatur postea quam illam consumpsit?

V. G. cœnaui gallinam furto sublatam, vel consumpsi pallium furto sublatum quæritur modo an tenear æquivalens restituere.

CONCLVSIO.

Possessor bonæ aut malæ fidei non tenetur, restituere lucrum, quod propria industria ex re aliena sibi comparauit. quia lucrum non est alienum: vt supra diximus.

CONCLVSIO.

Possessor bonæ fidei tenetur restituere lucrum indirectum ex aliena re acquisitum. v. g. si erat vsurus re propria, & aliena vtatur, tunc quantum ex propriis bonis erat consumpturus, restituere tenebitur. quia iniustum est re aliena locupletari sine propria industria, & cũ restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, quantum ex alienis bonis locupletatus fuerit, restituere tenebitur.

Hinc, possessor bonæ fidei, qui vendidit rem alienam, quam dono acceperat, tenebitur ad totius precij restitutionem. quia in illo factus est ditior. APPEN.

Hinc inuitatus ad cœnam furtiuam, si bona fide accessit, tenebitur restituere, quantum erat in propria cœna con- APPEN.

sumpturus, & non amplius, quia in illo tantum factus est locupletior, & si nihil erat domi consumpturus, nihil restituere tenebitur. reliqui vero, qui mala fide accesserunt, restituere debent.

APPEN. Hinc, si bona fide emit vestem elegantem, & illa est per annum vsus, non plus restituere tenebitur, quanto vale (*Lo que ahorro de sus vestidos.*

APPEN. Hinc, qui bona fide rem alienam distraxit, & non est factus locupletior, ad nullam tenebitur restitutionem. vt si rem à fure datam dono dedit, aut quanti emit, tanti vendidit. quia non est factus locupletior. &c.

Scot. q. 2. ad vltimũ. Ric. art. 5. q. 3. Soto. S. Tho. & Caie. vbi supra.

I. Diffic. Qui damnificauit præter intentionem, tenebiturne restituere damnum?

CONCLVSIO.

Qui sine culpa sua, & præter intentionem fortuito damnum infert alicui, ad restitutionem nõ tenebitur. Ratio est, quia vbi non est deprauata intentio, vel culpabilis negligentia neque est iniusta damnificatio, neque restituendi obligatio, tunc enim dicitur aliquis alium iniuste damnificare, quando est illius damni causa: vt qui ex intentione, vel ex culpabili negligentia damnum infert.

APPEN. Hinc, qui præter intentionem dando operam rei licitæ damnum intulit comburendo segetes, siue occidendo animalia, &c. non tenebitur ad restitutionem.

APPEN. Hinc, Petrus, qui occulte occidit hominem, non tenebitur damnum resarcire Ioanni quod recepit, eo quod fuit in iudicio condemnatus, quia hominis interfecti inimicus erat. Ratio est, quia nõ fuit damni causa, licet fuerit occasio.

CONCLVSIO.

Nunquam est damnificatio iniusta, nisi ex intentione damnificandi, aut ex negligentia prohibendi damnum alterius, quod prohibere tenebatur. Ratio est, quia damnificatio iniusta tunc est, quando est causa damni, & non est causa nisi ex intentione damnum inferat, vel ex defectu diligentiæ propter officium adhibendæ, sequatur.

APPEN. Hinc, Petrus interficiens hominem occulte animo nocendi Ioanni, vt homicidium illi ascribatur ob inimicitias cum occiso, tenebitur damnum resarcire. quia animo deliberato dãnificauit. Hæc colligitur ex Ricardo, & Scot. qui legem ciuilem ab hoc probandum adferunt.

Ric. ar. 5. q. 4. ad 7. Oppositum tenet Soto affirmans nullam intentionem malã esse restitutionis causam cõtra legẽ ab Scoto citatam.

II. Diffic. *Quando plures concurrunt ad damnificandum, vno soluente totum, reliqui pro rata tenebuntur pecuniam illi restituere?*

Alex Alen. vbi supra, art. 4. Medi. q. 18. 9. & 10. Scot. lib. 4. q. 7. art. 4. Caie. vbi supra, S. Tho.

CONCLVSIO.

Si res acceptæ penes participantes in furto seu rapina extant, vel sunt ab illis consumptæ, participantes tunc pro rata restituenti vero Domino restituere tenentur. Ratio est, quia cum participantes restituere teneantur, & non vero Domino, iam enim illi est satisfactum, ergo restituenti in solidum, qui in iure vero Domino succedit.

I. Dubium. *Quid si ex damnificatione iniusta nullum lucrum emanauit, tenebiturne tunc in solidum restituenti pro rata satisfacere?*

Ric. ar. 5. q. 4. Soto li. 4. q. 6. art. 6. Medin. q. 6.

CONCLVSIO.

Si qui restituit insolidum fuit ab aliis ad damnificandũ inductus, cæteri illi pro rata soluere tenentur. Ratio est, quia fuit ab aliis damnificatus, propterea quod ab illis fuit ad malum inductus, & licet sponte commiserit delictum, sponte tamen non contraxit restituendi obligationem, in qua damnificatus fuit.

Caiet. vbi supra.

CONCLVSIO.

Si integre restituens non fuit inductus, sed alios inducẽs, reliqui pro rata ad restitutionem non obligantur. ipsi enim non fuerunt causa damnificationis. Imo ab inducẽte damnificati sunt, cum illos in obligatione restituendi constituerit: si insolidum non satisfecisset.

CONCLVSIO.

Quando, qui restituit integre, se aliis sponte obtulit, neque fuit inductus, neque inducens ad malum, cæteri pro rata ad restitutionem obligantur: dummodo malum non potuisset à singulis, sed ab omnibus coniunctim committi, vt si ad vulnerandum duos homines essent necessarij tres. Et ratio est, quia tunc quilibet illorum præstando alteri auxilium, illum damnificauit propterea quod restitutioni obnoxium reddidit. si enim non fuisset auxiliatus, non esset commissum delictum, neque orta restituendi obligatio.

CONCLVSIO.

Quando maleficium poterat ab vno committi, quamuis duo, aut plures se offerant, tunc vni restituenti in integrum cæteri pro rata refundere non tenentur. Ratio est, quia nullus alteri opem ferens causam damnificandi dedit: neque in obligatione restituendi alium constituit, cum ma-

leficium ab vno solo committi potuerit. est igitur radix hu-ius.q.quod si vnus socius est causa: vt alter maleficiũ committat, tenebitur ad restitutionem pro rata, sin minus non obligabitur.

Caiet. vbi supra. Soto lib. 4. q. 7. art. 3. Medina, q. 8

III. Diffic. Quando plures ad restitutionem in solidum obligantur, poterit verus Dominus, cui facienda est restitutio, suam partem quibusdam remittere, & totum debitum ab aliis exigere?

CONCLVSIO.

Creditor multos habens debitores in solidum potest in iudicio conuenire ditiores remittendo pauperibus actionem. Ratio est, quia quando plures debitores sunt in solidum electio est creditoris. ita vt quem maluerit, conuenire possit.

CONCLVSIO.

Quando vni soluenti in solidum, cæteri pro rata restituere tenentur, creditor extra iudicium remittere debitum aliquibus non poterit. Ita vt soluenti in solidum non teneantur. Et ratio, vt supra diximus, est, quia ita soluens respectu participantium loco veri Domini succedit.

Alexan. vbi supra. ar. 4. Ric. ar. 5. q. 4. Syl. verbo d. 3. Ad q. de concurrẽtibus cum fure Medin. q. 10. Soto. ar. 3. citato.

IIII. Diffic. An participantes in aliquo damno, damnificato in solidum satisfacere teneantur?

Hæc difficultas varia in se continet dubia: ad quorum intelligentiam est animaduertendum, nouem esse genera participantium, quæ sequentibus carminibus continentur,

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans. de quibus singulis singula sunt proponenda dubia.

Alex. Alen. Ric. & Soto. vbi supra. Medin. q. 8.

II. Dubium. An iubens damnum fieri, ad restitutionem teneatur?

CONCLVSIO.

Præcipiens rem licitam, ex qua præter intentionem iubentis damnum sequitur, ad restitutionem non tenetur, vt si ex ludo hastarum à principe præcepto homicidium sequatur. Ratio est, quia præcipiens non est causa illius damni. Nam causa damnificans est agens secundum intentionẽ, & homicidium tunc præter intentionem sequitur.

CONCLVSIO.

Præcipiens rem illicitam, ex qua per accidens sequitur proximi damnum, tenetur ad restitutionem, si fuerit damnum immediate per exequutores factum: vt si quis præcipiat suis familiaribus segetes. N. comburere, & illi credentes esse.

tes esse. N. segetes, vicini segetes adurerent. Et ratio est, quia quicunque iniuste damnum infert, ad restitutionem tenetur. & re iubens quamuis præter intentionem iniuste intulit damnum. notanter dicitur, si immediate fuerit damnum per exequutores sequutum. Nam si aliunde, quamuis sumpta occasione ex illius facto, non tenebitur ad restitutionem: vt si paterfamilias iussisset seruo suo occulte N. vulnerare, & à prætore comprehensus fuisset Bernardus, tanquã vulnerator, & tormentis vexatus, non teneretur iubens ad restitutionem. quia nec immediate, nec mediate damnum Bernardo intulit, sed illum damnificauit, qui sumpta occasione ex vulneribus. N. accusauit. quod aperte colligitur, ex cap. Continebatur. de homicidio.

III. Dubium. Exequutor damni tenebiturne ad illius restitutionem?

S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 7 & ibi. Caiet.

Duæ sunt opiniones, quas affert Caieta. & Syluest. verbo vsura 7 §. 5. prima docet exequutorem tunc non teneri ad restituendum damnum, si illud poterat per alium inferre. Alia opinio est omnino contraria.

Alex. Alen. Ric. & Sot. vbi supra.

CONCLVSIO.

Qui est minister, & causa actionis iniquæ si iubens non restituat, ad restitutionem tenebitur. constat ex cap. Si culpa. de iniuriis vbi dicitur. qui causam damni dat, damnum fecisse videtur.

Progenetæ, & intercusores mediantes inter vsurarium, & soluentes vsuras, tenentur ad restitutionem. quia sunt damni causa.

Hinc, omnis minister actionis iniustæ, quamuis inde nullum commodum assequatur ad restitutionem tenetur, vt sunt ministri furti, rapinæ &c.

Hinc, omnes milites cognoscẽtes tẽpore belli, aut postea bellum esse iniustum, ad restitutionem totius damni in quantum possunt, & in solidum singuli ad restitutionem tenentur. Nam quilibet est causa damni.

CONCLVSIO.

Quando minister malefactoris non est iniustæ actionis causa, quia iam est consummata, sed operatur aliquam actionem, quæ ex actione iniusta sequitur, non tenetur ad restitutionem. verbi gratia, qui scribit ad memoriam fœneratoris conseruandam. Et ratio est, quia non cooperatur

actioni iniustæ, cum iam sit consummata.

CONCLVSIO.

Minister missus ab vsurario ad petendum fœnus est restitutioni obnoxius, etiamsi mutuatarius sponte esset soluturus. Ratio est, quia cooperatur malitiæ, vsurarij cum sit negociorum gestor. Nam idem videtur valere, vade, & pete à Ioanne vsuras, atque vade, & rape ab illo bona sua. Neque sponte soluit. Quia non solueret, si posset. Et tandem exequutio contractus vsurarij, iam facti est peculiare peccatum. Contra Soto, est lib. 6. q. 1. art. 4.

CONCLVSIO.

Quando ministri ignorant actionis iniustitiam, ad restitutionem non tenentur: vt si sit vsura palliata. Ratio est, quia propter hanc ignorantiam non fuit actioni iniustæ, quantum est ex parte sua, cooperatus.

Alex. Alen. vbi supra. S. Tho. ar. 7. q. citata. Ric. q. 4. & 5. art. 5. Medina, q. 7.

III. Dubium. Qui consentit, vt iniqua & iniusta actio fiat, tenetur ad restitutionem?

CONCLVSIO.

Qui consentit, vt damnum alicui inferatur. Ita vt sine eius consensu damnum minime sequeretur, ad restitutionem in solidum tenetur. Ratio est, quia consensum ab eo præstitum fuit causa damni, & iniustitiæ. Definita est in can. notum sit 2. q. 1.

APPEN. Hinc, si plures iudices iniustam sententiam proferant, quilibet in solidum tenebitur ad restitutionem: vno tamen restituente cæteri, vt diximus, à restitutione liberantur.

APPEN. Hinc, quando plures in collegio consentiunt, vt aliquis collega iniuste compellatur, omnes ad restitutionem obligantur.

CONCLVSIO.

Suffragatores iniustitiam committētes ad restitutionem tenentur, qui vero iniustitia iam facta suffragantur, ad nullam obligantur restitutionem. Verbi gratia, si sint duodecim consiliarij, septem priores sunt restitutioni obnoxij, posteriores quinque nequaquam. licet mortaliter suffragando peccauerint; non enim sunt causa iniustitiæ, cum iam præcedentibus suffragiis sit iniustitia commissa, & reuocari sententia non possit, nam si posset, proclamare tenerentur.

CONCLVSIO.

Quando suffragia sunt occulta, vt in electionem cathedrarum & prælatorum iuxta decretum Concilij, Trident. & plures

& plures fuerunt suffragatores iniusti, tunc illi tantum, per quos, consummata est iniusta actio ad restitutionem obligantur, quia illi fuerunt iniustitiæ causa. scilicet, maior pars capituli, vel senatus.

Hinc, cæteri consentientes, si non fuerunt per suum cõsensum damni causa mortaliter peccant, sed non tenentur restituere cum non fuerint iniustitiæ causa. APPEN.

V. Diffic. Qui per adulationem inducit alium ad furtum, vel ad aliquam iniustitiam perpetrandam, tenebiturne ad restitutionem? *Alex. Alen. Ric. S. Tho. Medina, & Sot. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Tunc adulator ad restitutionem tenetur, quando probabiliter existimare potest, ex tali adulatione iniustam acceptionem, siue retentionem, siue damnificationem subsequutam fuisse. Ratio est, quia fuit iniustitiæ causa.

Hinc, qui contrahit amicitiam cum Titio, vel offert illi munera hoc solo animo, vt Titius iniussus iniuriam sibi illatam vindicet, ad restitutionem tenetur. Quia illum ad malum per adulationem induxit. APPEN.

VI. Diffic. Receptor latronum, vel alicuius malefactoris defensor teneturne ad restitutionem? *Alexan. Alen. & Soto. vbi supr. Med. q. 10.*

CONCLVSIO.

Si malefactorem occultat, ne ab aduersariis vulneretur aut occidatur, crimen tamen non defendat, neque peccat, neque restitutioni obnoxius est. nullum enim iniuria afficit ita occultando, etiamsi illum à ministris iustitiæ liberet.

CONCLVSIO.

Qui recipit furem, aut malefactorem, vt personam defendat, & crimen tueatur, ad restitutionem tenetur: vt qui occultaret prædam, etiamsi ex illa nullam partem reciperet. Definita est expresse in Can. qui consentit. 1. q. 3. Et ratio est, quia vel ante, vel post factum peccatum malefactoris cœlat.

CONCLVSIO.

Aduocatus, qui malefactori iniuste patrocinatur, quominus in expensis condemnetur, vel restituere compellatur, ad restitutionem obligatur. Ratio est, quia omnes defendentes latrones sunt iniustæ detentionis. causa dicitur enim in can. qui aliorum 24. q. 3. damnabiliorem esse defensorem erroris, illo, qui errat.

Idem dicendum est de tabellione, procuratore, vel quolibet APPEN.

libet alio intercessore pro latrone, ne à iudice, restituere cogatur.

Limitatio. Sunt autem con. proxima, & eius appendix intelligendæ, si tamen certum sit non esse aliam restituendi viam, & esse aduersus malefactorem plenam, aut semiplenam probationem, ita vt in iudicio confiteri teneatur, & tandem vt aduocatus, & tabellio &c. latronem liberauerint.

S. Tho. ar. 6. Alex. Alen. & Soto. vbi supra, Med. q. 9.

VII. Diffic. An concurrens cum latrone ad restitutionem teneatur?

CONCLVSIO.

Quando plures fures ad prædam concurrunt, & vnus alteri non auxiliatur, neque alterius auxilio innititur, sed quilibet partem recipit, nullus tunc in solidum, sed partem quam abstulit restituere tenetur. Ratio est, quia nullus fuit causa iniustitiæ per alterum commissæ, cum quilibet, etiã si cæteri non adessent, partem prædæ rapuisset. socius enim dicitur criminis, non qui tantum adest, dum crimen patratur, sed qui criminoso auxiliatur.

APPEN. Hinc soluitur tritissima quæstio, quando exercitus vineam ingreditur, & totam vineam expoliat, singuli singulas vuas recipientes &c.

Medina. q. 10. Soto ar. 3. citato.

V. Dubium. Singuli eorum ita vineam expoliantes, peccantne mortaliter?

CONCLVSIO.

Peccauerunt singuli mortaliter, etiamsi furtum fuit leue. quia quilibet, videns tantum detrimentum futurum, abstinere à vindemiatione tenebatur.

CONCLVSIO.

Quando plures fures ad eandem prædam concurrunt, & vnus sine alio illam non aggrederetur, tunc singuli eorum in solidum, tenentur: vt in bello iniusto. vbi neq; dux sine militibus, neque vnus miles sine alio bellum aggrederetur. Et ratio est, quia quilibet eorum est causa iniustitiæ commissæ per alium, cum nullus sine alio prædam agressus fuisset. & si propter inopiam excusentur, satis erit tunc, vt quilibet quantum potest, restituat: de similibus simile est iudicium.

CONCLVSIO.

Quando duo latrones concurrunt ad prædam, & vnus est animosior, & sine sotio illam aggressus fuisset, alter vero est timidus, qui sine sotio non auderet, tunc primus in solidum, secundus vero partem tantum à se ablatam restituere

tuere tenetur. Ratio est, quia solus audatior est causa iniustæ acceptionis. timidus enim sine illo furtum non commisisset.

Hinc contra Hostiensem, vt refert Adri. sequitur, non omnes concurrentes teneri semper in solidum restituere. APPEN.

VIII Diffic. An liceat ad vitandum maius malum, consulere minus hac intentione: vt obstinatus a maiori malo abstineat?

Duæ sunt opiniones. Caieta. partem negantem tenet. Adr. contrarium opinatur. *2. 2. q. 78. art. 4. Adr. quolib. 2. Scot. d. 34. q. 3. Sot. art. citato.*

CONCLVSIO.

Quando vtrumque malum est intrinsece malum, non licet malefactori minus malum persuadere: vt à maiori abstineat. non enim sunt facienda mala, vt inde veniant bona. nam minus malum consulens, malum consulit. quia causa minoris mali, causa mali dicetur esse. *ad Rom. cap. 3.*

Hinc, intelligitur peccasse Loth offerendo Sodomitis filias stuprandas, vt illos à nefando malo deterreret. Hæc est Nicolai lyrani opinio. APPEN. *Gen. ca. 19.*

CONCLVSIO.

Quando duo mala concurrunt, vnum intrinsece, aliud vero extrinsece malum, integrum est animo redimendi vexationem propriam, consulere malefactori extrinsece malum, vt ab intrinsece malo abstineat. V. g. interficere hominem est intrinsece malum, accipere pecuniam est extrinsece malum, vnde licebit consulere malefactori accipere pecuniam, vt ab homicidio abstineat. nam apud Hieremiam legitur, quod cum Ismael vellet interficere viros, obtulerunt ei Thesauros dicentes, noli interficere nos. Quia Thesauros habemus in agro &c. *Iere. cap. 41.*

IX. Dif. Qui verbo tenus potest furtum, siue damnũ alienum impedire, & non impedit, tenebiturne ad restitutionem?

CONCLVSIO.

Qui ratione officij tenetur prohibere latronem, vel malefactorem, si non prohibeat, ad restitutionem obligatur, quia est causa damni, quod ex officio prohibere tenebatur. APPEN. *Alex. Alen. vbi supra,*

Hinc, si Prælatus, Dominus, pater &c. nouerit subditum seruum, filium &c. commissurum furtum, vel damnum, & non prohibuerit, cum possit, restituere tenebitur. *S. Tho. 2. 2. q. 2 art. 7. Ric. art. 6 5. q. 4. Scot. q. 2. Adri. q. de restitution.*

Hinc, consiliarij Regis, Principis, Comitis, vel Ducis, si non prohibeant bellum iniustum, aut peculiare damnum, cum possint, erunt restitutioni obnoxij.

Hinc, APPEN.

Hinc, confessor, siue concionator certo intelligens, se publice, aut priuatim admonendo, separaturum aliquos à maleficio, si tacuerit, ad restitutionem tenebitur. Constat exemplo Isaiæ, qui cum ex officio teneretur Regē Achab arguere, quia non reprehendit, dixit: ve mihi quia tacui. & B. Pau. væ mihi, inquit, si non Euangelica vero. Hæc omnia sunt Ric. Sco. Adri. S. Thom. & Caiet.

APPEN. *Soto. q. 7. ar. 3. Medina. q. 9. Esaia. cap. 6. 1. Co. cap. 9. Scoti & Adri. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Qui verbo, terrore, consilio, clamore, aut alio quouis modo furem à delicto terrere potest, non terrens, si ei ex officio non incumbat, mortaliter peccat, ad restitutionem tamen minime tenetur. agit enim contra charitatem, cum non seruet bona proximi, atque ita peccat, & non contra iustitiam. quia non competit ei ex officio. & ideo non tenetur ad restitutionem. Adria. addit quod siquis cum dolo vel sine illo, non impediat maleficium, cum ei non competat ex officio, non tenetur ad restitutionem. Soto latius opinatur dicens, non teneri vicinum ad restitutionem, etiamsi prætium à latrone, vt taceat, accipiat: dummodo prætium oblatum non sit pars furti: tunc enim esset particeps, & restituere teneretur. Hæc est contra Caiet. & Ric. vbi supra, qui tenent illum, qui sine damno suo, aut periculo potest impedire rapinam, & non impedit, teneri ad restitutionem: etiamsi ex officio non incumbat. quia est causa indirecta damni. Angelus vero dicit non teneri, si metu quodam, & absque dolo non prohibeat.

Alex. Ric. Medina & Soto vbi supra.

X. Diffic. *Non impediens maleficium, quod ex officio impedire tenebatur, eritne obnoxius restitutioni?*

CONCLVSIO.

Dominus temporalis, iudex, &c. cui ex officio incumbit à republica pessimos homines expellere, & potest, ne furtum fiat, præuenire, quod per suam negligentiam factum est ad restitutionem damni illati obligatur. quia est causa iniustitiæ, quam prohibere tenebatur. quemadmodū nauta negligens, est causa vt nauis submergatur.

APPEN.

Hinc, maxime est animaduertendum confessoribus, dominorum temporalium, & iudicum, vt restituere præcipiant damna, propter eorum negligentiam aliis data: quēadmodum ex cap. Iubetur. de iniuriis constat.

Alexan.

Art. II. Quando aliquis à restitutione liberatur?

Alex. q. 86. m. 2. Sot. q. 4 art. 7. Medina. q. 3.

Multi sunt casus, qui sequentibus difficultatibus exponuntur.

I. Diffic.

I. Diffic. Qui in extrema necessitate positus aliena rapuit, ad pingiorem fortunam veniens, eritne restitutioni obnoxius?

Duæ sunt opiniones. Vna Sco. asserentis acceptum ante extremam necessitatem, & in illa consumptum esse restituendum, si pinguior fortuna superuenerit. quod autem in extrema necessitate acceptum, & consumptum fuit, nunquam esse restituendum. Altera, & contraria opinio est Adri. in materia de restitutione. *Soto q. 2. ad 4. Medin. q. 3. Soto. lib. 5 q. 3. arti. 4.*

CONCLVSIO.

Quando aliquis tenetur proximo in extrema necessitate existenti subuenire donando rem aliquam ad vitandam mortem naturalem, poterit tunc in tali necessitate constitutus necessaria sibi rapere: ita vt ad restitutionem, etiamsi postea ad pinguiorem fortunam deuenerit, non teneatur. Ratio est, quia tantum ius accipiens acquirit, quantum Dominus rei transferre poterat, & tenebatur, & cum Dominus, teneretur transferre dominium, accipiens propria authoritate illud acquisiuit: atque ita ad restitutionem minime tenetur.

Hinc, pauper ægrotans, ad cuius salutem est necessaria medicina aliqua, poterit, si pharmacopola dare noluerit, propria authoritate ex eius officina accipere, & qui veste caret sufficiente ad vitandam mortem imminentem ex frigore, & asperitate à ditiore illam sumere poterit. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando ad vitandam mortem violentam proximi non tenetur aliquis donare, sed mutuare tantum: qui, vt mortem tunc fugiat alienum accipit, non peccat. verum necessitate, & periculo recedere ad restitutionem tenetur. quia non plus iuris acquirit, quam Dominus rei transferre tenebatur. & Dominus tunc non donare, sed mutuare tantum tenebatur. hoc enim erat satis ad mortem violentam fugiendam.

Hinc, si aliquis, vt fugiat mortis insidias, equum alienum artipiat, superato periculo illum reddere tenebitur. APPEN.

Hinc, si latrones comminentur viatori certissimam mortem, nisi 100. aut plures ducatos offerat, & sciat viator certo in loco proximum certã auri massam deposuisse, illam sumere, & latronibus tradere poterit, posteaque ad restitutionem tenebitur. Et ratio est, quia talis mors per solam pecuniæ accommodationem vitari poterat.

II. Diffic.

II. Diffic. An si debitor a creditore remissionem impetret, a restitutione debiti liberetur?

Alex. Alen. m.2. & Medina. vbi supra, Soto liber 4. in fine ad 1.

Duę sunt opiniones. Prima est Dionysij, & Ioannis Andreæ, quos citat glossa in regula non dimittitur. de reg. iur. in 6. qui affirmant nō liberari debitorem, quin prius actualis restitutio fiat.

CONCLVSIO.

Quando creditor liberè donat, aut remittit debitum, ad nullam restitutionem tunc debitor tenetur. Ratio est, quia radix restitutionis est detentio rei alienæ inuito Domino, & ille, cui fuit facta libera remissio, nihil iā inuito dn̄o retinet.

CONCLVSIO.

Necessarium non est creditori pecuniam offerre, vel vt debitor animum restituendi habeat: vt ex parte creditoris donatio debiti libera censeatur. Ratio est, quia libertas donantis ex dispositione illius, cui fit donatio, haud pendet, satisque erit ad donationem, vt precibus remissio impetretur, etiamsi pecunia creditori non offeratur.

CONCLVSIO.

Quando remissio debiti non est libera, debitor non manet liber à restitutione. Constat ex definitione donationis, cuius fundamentum est libertas donantis.

APPEN. Hinc, habens dominium, & carens administratione non poterit debitum remittere, nec debitor erit liber à restitutione, quia donatio non est libera, id est, facta ab illo, qui donandi potestatem, & libertatem habet, talis est minor sub tutore, aut curatore, & vxor sub viri potestate existens.

APPEN. Hinc, nec valebit remissio facta à creditore, quando vi illata, vt minis ad remittendum cogit creditorem debitor.

Hinc, neque valebit remissio ex verecundia mediatoris facta. Et ratio harum appendicum est, propterea quod, nulla istarum remissionum est libera.

I. Dubium. Quando remissio non valebit, neque potest per creditorem fieri, nisi omnino restitutio fiat?

PROPOSITIO.

Quando iudex Ecclesiasticus, vel sæcularis titulo exercendi rectam iustitiam munus aliquod recipit, præter esculentum, aut poculentum, quod paucis diebus consumi potest, mera liberaritatem donatum. Definita est in ca. statuum § insuper de rescriptis in 6. & tenetur iudex ad restitutionem faciendam pauperibus, etiamsi à donante fuerit facta remissio.

PRO-

PROPOSITIO.

Visitator diœcesis, qui aliquam pecuniam in visitatione, præter stipendium sibi consensum, recipit, pauperibus, etiã facta remissione, restituere tenetur. Ita definitur in cap. Fœlices. de censibus in 6. Et ratio, istarum omnium propositionum est, quia tales pecuniarum translationes à iure prohibentur. & hac de causa tenebitur in his casibus recipiens pecuniam illam, danti restituere, qui si accipere noluerit, pauperibus erit eroganda. hæc est communis sententia, vt Syluest. Verbo Concussio docet. cæterum non videtur verisimile, creditore remittente, debitorem ad pecuniam pauperibus largiendã obligari. quia in donatione turpi ex vtraque parte donantis, scilicet, & recipientis, melior est possidentis conditio: vt lex secunda de condicionibus ob turpẽ causam docet, quod si turpitudo fuerit tantum ex parte recipientis, vt si iudici aliquis det pecuniam ad redimendam vexationem, tunc danti facienda est restitutio, quo remittente, nulla apparet ratio ob quam dominium in recipientem non transferatur. Ita vt pecuniam illam pauperibus erogare teneatur.

III. Diffic. *An cedens bonis ad restitutionem, quando ad pinguiorem fortunam venerit, teneatur?*

CONCLVSIO.

Tenetur quidem, si ad pinguiorem fortunam venerit quia per talem bonorum cessionem non extinguitur obligatio, neque fit libera remissio. vt constat ex cap. Odoard. de solutionibus, & lege ibidem glossam verb. pinguiorem fortunam.

Hinc, mercatores fidem frangentes, & cum creditoribus conuenientes, vt soluta certa debiti parte, reliquum remittatur ad pinguiorem fortunam venientes tenentur ad restitutionem. quia non fuit libera remissio. APPEN.

IIII. Diffic. *Liberaturne debitor timore infamiæ aut alterius detrimenti à restitutionis onere?*

De hac re disputat Adr q. 1. De restitutione, & in q. An auferens alteri famam; qui ponit exemplũ de adultera habente filium spurium, qui legitimus esse censetur.

Scot. in solutione ad argumenta. Ric. ar. 5. q. 4. Medin. q. 3. Soto. lib. 4 q. 6. arti. 3.

CONCLVSIO.

Adultera quæ filiis legitimis partem hæreditatis quã filius spurius tulit sine mortis periculo restituere non potest, ad restitutionem non tenetur. Constat ex cap. officiis de pen, & remissi, Et ratio est; quia non est facienda

restitutio,

restitutio, quando timetur grauius periculum restitueriti, quam sit rei restituendæ valor, & vita adulteræ bonis fortunæ præstat. Hæc est Sco. ad argumenta. cuius oppositum tenent Adr. & Syluest. vbi supra, & Innocentius in cap. citato.

dist. 15. q. 2.

CONCLVSIO.

Quamuis mulier ex reuelatione nullum periculum vitę vel indignationis, vel infamię timeat, si tamen eius vir spurium hæreditate priuare non potest, propterea quod legitimus cēsetur, & talis in iudicio declarabitur, adulterium reuelare minime tenetur. Ratio est, quia frustra niti, & nihil aliud quam odium detegendo crimen quærere, extrema dementia est.

APPEN.

Hinc, si in tali casu maritus posset spurium exhæredare, quia ipse est primogeniti institutor, tenebitur marito partū suppositiium, vel adulterinum declarare. quia nullum est periculum vitæ, aut famæ quod restitutionem impediebat.

Ric. vbi supra, ad vltimum. Adri. q. 1. de restitut. Medi. q. 3. Soto lib. 4. q. 7. art. 2. ad 1.

II. Dubium. Quid, si adultera nouit filium sibi fidem adhibiturum, & hæreditati renunciaturum?

CONCLVSIO.

In tali casu tenebitur spurio adulterium reuelare. Ratio est, quia quando fama non est alteri necessaria, homo non tenetur illam conseruare, vt infra patebit, cum sine peccato illam dimittere, & perdere possit. Non enim adultera habet præceptum cōseruandi famam in particulari. hæc cōcl. non est contra Scotum, quia Scotus intelligitur, quando publica infamia oritur, id est, ne adultera reuelet suum crimen coram iudice, quamuis illud probare possit.

Oppositum affirmant Innocen. Ricar. & Hostien. quos Syluest. loco citato refert.

CONCLVSIO.

Quando adultera aliunde potest soluere, & satisfacere hæredibus, nullo modo crimē suum reuelare tenetur, quia causa reuelationis, quæ est restitutio facienda, cessat, & cessante causa, cessat effectus.

III. Dubium. Teneturne filius in foro conscientiæ matri reuelanti credere, & credendo hæreditati renuntiare?

Soto & Medina locis citatis.

CONCLVSIO.

Si mater omni suspicione fraudis caret, scilicet, quod neque maleuolentia in spurium, neque ex amore erga filios legitimos, affirmat se ex adulterio concepisse: vt spurium hæreditate priuet, & alios ditet, spurius tunc matri credere tenetur.

tenetur. quia ex lege naturali est alicui credendum. præsertim testibus omni suspicione fraudis carentibus: qualis nũc dicitur esse mater & filius, nihil mali de matre suspicans retinendo hæreditatem, ageret contra conscientiam.

V. Diffi. Tenebiturne adulter præter adulterum ad restitutionem? *Medina & Soto vbi su.*

CONCLVSIO.

Adulter in conscientia propriis, & veris hæredibus, quantum spurius accepit ex patris putatiui bonis, restituere tenebitur. Definita est cap. finali citato fuit enim causa damni veris hæredibus, & qui causam damni dat, damnũ dedisse videtur. hæc sunt intelligenda mortuo viro, & obtenta ab spurio hæreditate. est autẽ consulendũ adulteræ: vt legitimis filiis partem suorũ bonorũ enel. 3. y 5. augeat.

VI. Diffic. An solutio facta creditore creditoris, liberet debitorem in conscientia à restitutione? *Medin. q. 3.*

CONCLVSIO.

Si debitor creditori creditoris sui debitum soluat, etiam inuito creditore soluendo non peccat. Ratio est; quia nemini nocet. poterit enim creditor in foro iudiciali à debitore debitum exigere.

CONCLVSIO.

Qui soluit creditori creditoris sui, est à restitutione liber, si res, quæ soluitur, functionem admittat, id est, quando, quod debetur, non est idem numero restituendũ, sed specie, & valore, alioqui enim non satisfacit. quoniã esset rem alienam inuito Domino contractare: vt V. g. si mihi equũ accommodasti, eundem tibi reddere teneor.

VII. Diffic. Re interempta, & consumpta sine culpa debitoris, erit liber ab æquiualentis restitutione? *Medina q. 3. Soto lib. 4 q. 7. ar. 2.*

CONCLVSIO.

Quando debitor non eandẽ rem numero, sed æquiualentẽ: vt in mutuo soluere tenetur, tunc rei interitus illum à restitutione non liberat: vt si mihi frumentum pro frumento accommodaueris. Et ratio est; quia in mutuo dominium rei mutuatæ in mutuatarium trãsfertur atque ita illi, & non mutuanti periit.

CONCLVSIO.

Si res eadem numero est restituenda: vt in pignore, vel accomodato, &c. si possidens fuit in mora restituendi, vel causa interitus rei, possidenti peribit; sin minus Domino. Ratio est; quia existẽs in mora fuit causa interitus rei, quæ

fortaſſis apud Dominũ nõ periiſſet, & qui cauſa dãni dat, &c. eſt autẽ in mora reſtituendi, qui nõ reſtituit, quãdo tenetur. vnde fur ab hora cõmiſſi furti, niſi aliqua cauſa excuſetur, eſt in mora reſtituendi, & qui non reſtituit ſtatim, vt eſt conſcius rei alienæ. ex tunc enim furtum committit. & tandem qui ad terminum præfixum non reſtituit.

Medina ibidem.

IIII. Dubium. Quid ſi res apud verum Dominum eſſet quoque peritura?

CONCLVSIO.

Tunc quamuis fuerit in mora reſtituendi, non erit reſtitutioni obnoxius; licet non reſtituendo tempore præfixo peccauerit. Definita eſt expreſsè in lege final. §. finali ff. ad legem Rhodiam de iaptu.

Quidã, quos refert Syluc. vbi ſupra, affirmãt hãc cõcluſione eſſe verã in obligationibus, quæ oriũtur ex cõtractu.

CONCLVSIO.

Si Dominus erat illam venditurus ante interitũ, debitor exiſtens in mora tenetur ad reſtitutionẽ. Ratio eſt; quia eſt cauſa damni. intellige, ſiue ſit debitor ex obligatione, ſiue ex delicto. quia dilatando ſolutionem furtum committit.

CONCLVSIO.

Si non erat illã alienaturus, exiſtẽs in mora nõ tenetur ad reſtitutionem. quia debitoris mora nõ fuit damni cauſa.

Med. vbi ſu.

VIII. Diffic. An qui poſſidet aliquid authoritate legis, vel ex iudicis ſententia à reſtitutione liberetur?

CONCLVSIO.

Poſſeſſor bonæ fidei legis authoritate ab onere reſtitutionis liberatur. Hæc toto titulo de præſcriptionibus demõſtratur. & confirmatur Cano qui peccat. 23. q. 4. vbi B. Aug. inquit. nemo peccat, legis authoritate vtens.

D. Aug.

CONCLVSIO.

Debitor, qui eſt malę fidei poſſeſſor, in cõſcientia ad reſtitutionẽ tenetur quia agit contra conſcientiã, & ædificat ad gehennã. omne enim quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt.

Ad Ro. c. 14

Hinc, licet nõ detur actio emptori decepto intra dimidiũ, tenetur tamẽ venditor ad reſtitutionẽ. Quia retinendo agit contra conſcientiã. Idẽ eſt iudiciũ de poſſeſſore malę fidei, qui legis authoritate ſe tuetur, & de Dño nõ ſoluẽte ſtipẽdium famulo intra annũ legis authoritate, & de nõ ſoluẽte vectigal propter negligentiã quæſtoris iuxta legẽ regiã. tenetur enim in conſcientia ſoluere, licet quibus facienda eſt ſolutio, ad petendam in iudicio actionem non habeant.

CON-

CONCLVSIO.

Quando sententia iudicis est iusta, tantum in foro exteriori, debitor ab onere restitutionis nō liberatur. Nam ageret contra conscientiam non restituendo.

CONCLVSIO.

Quando sententia est in vtroque foro iusta, debitor est liber à restitutione. Ratio est; quia nulli tūc fit iniuria priuatur enim dominio iudicis authoritate damnatus.

V. Dubium. Debitor propter rei assignationem liberaturne à restitutione?

Vt si dolium vini apud venditorē assignatū remaneat.

Syluest. Verbo restitutio §.4 Soto li. 4. q. 7. ar. 2.

CONCLVSIO.

Si venditor, qui est tunc depositarius, non fuit in culpa, in emptoris detrimentum peribit. Iam enim facta venditione, fuit translatum Dominium.

IX. Diffic. Liberaturne debitor à restitutione per ingressum religionis, & professionem?

Duæ sunt opiniones, Prima S. Tho. affirmantis debitorem, si cessit bonis, posse ingredi religionem. Contra hoc est communis religionum cōsuetudo, in quibus nullus ære alieno grauatus admittitur.

2. 2. qō. ultima art. 6. ad. 2 Medina de restit. quæst. 3.

CONCLVSIO.

Qui potest restituere debitum, peccat mortaliter ingrediens religionem, & illum etiam recipientes. quia cooperātur peccato illius, iure enim naturali, & diuino tenetur debitor alienum restituere: quamuis bonis cesserit. & ingrediendo religionem constituit se in periculo non restituendi, vix enim, aut nunquam ibi restituere poterit.

CONCLVSIO.

Valebit tamen eius professio in religione facta. quia ad professionem satis est: vt persona sit libera, & iure profiteri non prohibeatur. qualis est minor 14. annorum; huius autem debitoris professio à iure non prohibetur.

CONCLVSIO.

Facta iam professione tenetur, quantum in se est, vel remissionem à creditore obtinere, vel, quærere modum, quo illi satisfacere valeat. Ratio est; quia per professionē ab obligatione naturali, & diuina restituendi non liberatur.

CONCLVSIO.

Si non potest creditori satisfacere, nisi dimittendo habitum: vt quærat substantiā ad satisfaciendū deponat habitum, dūmodo fiat sine scandalo: vt recedēdo ad Indos, vel

ad alia longissima loca, atq; ita propria industria lucretur bona, quibus restituat. Ratio est; quia obligatio ad religionem, naturalē, & diuinam restituendi obligationem non tollit. alioqui enim religio multis peccandi fomitem ministraret. quod absit. nam prius ære alieno grauarentur, & postea, vt liberarentur, religionem ingrederentur.

VI. Dubium. Quid, si Prælatus nolit dare facultatem dimittendi habitum. poteritne illo inuito dimittere?

CONCLVSIO.

Medina negat posse.

CONCLVSIO.

Poterit quidem dimittere habitum. Ratio est; quia nō tenetur obedire nisi in licitis, & honestis, & Prælatus rem illicitam facit impediendo medium ad restitutionem.

Verbo. excō. municatio 5. § 9. Medina q. 3.

X. Diffic. Differturne obligatio restituendi, quando creditor est excommunicatus?

Syluester affert contrarias Canonistarum opiniones.

CONCLVSIO.

Quando obligatio nascitur ex voluntate, aut ex lege creditore existente excommunicato, non est adimplēda. Constat ex Cano. Nos sanctorum 15. quæst. 6. vbi vassalli absoluuntur à iuramento fidelitatis, quod Domino excommunicato præstiterunt. & ex Cano. Sacerdos 2. q. 7. vbi dicitur Episcopo excommunicato non esse obediendum.

CONCLVSIO.

Quando obligatio oritur ex contractu illicito, aut ex acceptione, siue detentione illicita, debitor creditori excommunicato, si aliter non potest, soluere tenetur. quia soluere debitum est de iure naturali, & diuino, & ita magis obligat, quam vitare hunc excommunicatum. Notanter dicitur, si aliter fieri non potest, quia si habet vxorem, filios, aut familiares, illis est restitutio facienda; vt ad creditorē deferant, vel petenda est ab Episcopo facultas: vt quantū ad debiti solutionem cum illo communicare liceat.

S. Tho 2. 2. q. 32. ar. 7. Alex. Alen. q. 86. art. 6. §. 9. Ric. art. 5. q. 8. Medina q. 20. Soto lib 4. q. 7. art. 1 ad 2. idē S. Tho. q. 62. art. 5.

XI. Diffic. Meretrix, quæ propter meretricum accepit, teneturne restituere?

CONCLVSIO.

Meretrix publica ad restitutionem non tenetur. Quia nihil tam naturale est, quam, vt per voluntatē proprij Domini dominiū in aliū transferatur. & amās voluntariè dat, & nulla lege dominiū transferri in meretricē prohibetur. Vide legem quartam, ff. de conditionibus ob turpē causam.

VII.

VII. Dubium. Recipitne precium Meretrix titulo venditionis, an donationis?

Caietanus vbi supra, S. Tho. tenet titulo venditionis recipere: vnde in foro exteriori prætium petere poterit, & amans in foro conscientiæ, restituere tenebitur. eandem opinionem tenet illustrissimus Dominus, Couaru. in repetitione regulæ non dimittitur peccatum. parte. 2. §. 2. Et ratio huius opinionis est; quia huiusmodi actus turpes vendi minime prohibentur.

Medina de restitutione q. 20. tenet recipere præcium titulo donationis, ex qua opinione sequitur; amantē nō teneri ad soluendū præciū. Securior tamen est prima opinio.

VIII. Dubium. Meretrix occulta, quæ non est in lupanari, teneturne restituere precium? *Medin. & Soto vbi supra.*

Duæ sunt opiniones. Prima quam refert Adrianus, dicit teneri ad restitutionem Secunda, & contraria est eiusdem Adriani, cui neoterici Theologi adhæserunt.

CONCLVSIO.

Meretrix occulta, quæ habet dominium sui corporis, titulo venditionis precium prostibuli retinere poterit, quia cùm sit domina sui corporis, si de facto illud vendiderit, iuste retinet precium. Venditio enim non est prohibita, licet peccet, propterea quod actus prohibetur.

CONCLVSIO.

Meretrix coniugata, occulta, quæ sui corporis dominium nō habet, si pecuniā pro adulterio, vel sacrilegio titulo donationis factæ ab adultero, recipiat, iuste illā retinere poterit. Propterea quod talis donatio nulla lege prohibetur.

Idem dicendū est de Moniali, & de illa, quæ habet simplex continentiæ votū. quia nō sunt sui corporis Dominę. APPEN.

Hinc, si amās nihil promiserit, nihil dare tenebitur. si autem titulo venditionis vsus fuerit corpore mulieris, etiam si nihil promiserit, precium soluere tenebitur. APPEN.

CONCLVSIO.

Si, quod titulo donationis promissum est, non fuerit superfluum, erit adimplendum. Constat exemplo Iudæ Patriarchæ, Gen. 38. qui promisit Thamar nurui suæ, hædū quæ se meretricem finxerat; & cùm non inueniretur dixit: certe mendacij arguere me non potest: ego enim misi hædum quem promiseram; & non inuenisti eam. Notanter dicitur (si non fuerit superfluum.) nam tunc censetur facta promissio absque libertate. Quia excessus amoris extenua- *Gen. 38.*

 uit

uit libertatem, & si fuerit promissio iuramēto firmata, erit petenda iuramenti dispensatio; quæ omnia sunt vera in foro conscientiæ. nā in foro exteriori dabitur meretrici actio.

Soto & Medina ibidē.

IX. Dubium. Meretrix, quæ accepit ab amante minore viginti quinque annorum sub potestate tutoris constituto, & filio familias, tenebiturne restituere?

CONCLVSIO.

Tenebitur, nisi voluntate præsumpta curatoris, vel patris excusetur. quia tales non habent suorū bonorū administrationem, atque ita dominium transferre non possunt: nisi voluntate præsumpta curatoris, &c. quando enim precium est modicum, curator, & pater consentire tenentur. non autem si fuerit preciū superfluum: vt quando aliquid amplius, quam sit preciū meretricibus sui status taxatum, datur. quapropter interrogādæ sunt meretrices à confessoribus, acceperintne aliquid ab istis superfluum. Nam tunc ad restitutionem tenentur; atque etiam quando præsumitur; patrem, aut tutorem non consensurum, nisi isti peculium castrense, vel quasi castrensia habent. nam istius peculij Domini sunt, & dominium transferre possunt.

APPEN. Meretrix, quæ accepit à milite preciū prostibuli, vel donationem aliquam, non tenetur ad restitutionem.

Hæc est Adri. vbi supra contra Medinam, & alios defendentes; teneri ad restitutionem per legem affectionis. ff. de donationibus, cùm lex illa non obliget, nisi subditos Imperatoris, inter quos Hispani non recensentur.

S. Tho. q. 66 ar. 5. ad. 2. & Med. & Soto vbi su.

X. Dubium Donatio facta Meretrici per dolum, vel fraudem ipsius, estne danti necessario restituenda?

V. G. si Meretrix dixerit, se esse virginem: vt maius precium sibi daretur.

CONCLVSIO.

Tenebitur tunc superfluum restituere. quia est inuoluntariè donatum, nempe, ex ignorantia, & deceptione: secus autem si blanditiis, non tamen mendaciis adolescentem ad sui amorem allexerit.

S. Tho. 2. 2. q. 32. ar. 7. Ad. in q. an extorta per cōcussionē. & Medina q. 5. Soto lib. 4. de iust. & iur. q. 7. art. 3. ad. 2.

XII. Diffic. An iudex pecuniam per concussionem acquisitam restituere teneatur?

Duæ sunt opiniones. Prima est Caiet. Adria. Medi. Soti asserētium esse necessario talem pecuniā restituendam; ita vt ante condemnationē possit fieri restitutio danti, vel pauperibus, post condemnationē vero pauperibus sit facienda.

Secunda & cōtraria opinio est Angeli in summa verbo

Cõcussio, & Sylu. verbo Restitutio §. 2. & verbo Iudex §. 8

CONCLVSIO.

Iudex, vel quicunque alius iustitiæ minister, qui accipit pecuniam pro sententia iniuste ferenda, vel pro quocunq; actu iniusto, si actus fuerit consummatus, nõ tenetur dantĩ pecuniam restituere Constat ex l. si ob turpem causam. ff. de conditionibus eodem titulo. vbi habetur. datum ob turpem causam causa subsequuta à dante repeti non posse, & cùm lex prohibeat repetitionem, & dans voluntarie dederit, non erit accipiens tunc restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Iudex, aut quicunque iustitiæ minister, tabellio, executor, &c. pecuniã pro actu illicito acceptã pauperibus restituere minime tenetur. Nam radix restitutionis est iniusta acceptio, vel detentio inuito Domino, & minister iustitiæ pro damno alteri inferẽdo pecuniam accipiens, nec recipit inuito Domino, neq; retinet tum etiam; quia nulla est lex ciuilis, aut canonica, quæ pecuniam acceptã per concussionem ante recipientis condemnationẽ restituere præcipiat.

CONCLVSIO.

Si minister iustitiæ pecuniam accipiat: ut bene iudicet, & dans solum det ad redimendam vexationẽ, ne iudex à parte contraria corrumpatur, iudex tunc non pauperibus, sed danti restituere tenebitur. quia trãslatio dominij ex volũtate Domini fit, & qui dedit pecuniam ad redimendam vexationem, inuitus dedit.

CONCLVSIO.

In omni euẽtu, licet sit turpitudo ex vtraque parte, danti pecuniam est facienda restitutio. Ratio est; quia minister iustitiæ ante cõmissum flagitiũ, pro quo accipit pecuniam, tenetur rescindere contractum, iuxta consilium Isidori. In malis promissis rescinde fidem. quod fieri non potest, nisi pecuniam acceptam restituendo. nam qui dedit pecuniam sub conditione, non amittit dominium, si conditio nõ adimpleatur. Hæc est contra aliquos Doctores, quos Medina de restitutione refert. q. 3. notabili 10.

CONCLVSIO.

Iudex à sede Apostolica delegatus accipiens à litigantibus præter esculentum, aut poculentum, quod paucis diebus consumi potest, illud restituere tenetur. Definita est expresse in cap. statũ de rescriptis in 6. ex hoc textu colligit dist. 11.

Gabr. omnem iudicem teneri ad restitutionem pauperibus faciendam. quod est verum de iudicibus delegatis, non autem de Ordinariis. nam textus ille est pœnalis, & non est ampliandus.

CONCLVSIO.

Qui accepit pecuniam pro actu licito, quem gratis exercere tenebatur: vt iudex pro puniendo latronē, si dans non illa tribuat ad redimendam vexationem, sed vt facilius iustitiæ ministrum ad illam exercendam alliciat, tunc ministter non tenetur ad restitutionem. Ratio est; quia dans voluntarie, & libere dedit, & non timore ductus. nam, vt precibus, & pollicitationibus, ita & precio aliquo exhibito aliquem ad bonum inducere licet.

APPEN. Hinc, qui accipit pecuniam: vt ab adulterio, vel homicidio, aut alio quouis peccato abstineat, vel vt latronem, aut seruum fugitiuum reuellet, nō tenetur ad restitutionem, si dicens non ad redimendam vexationem propriam, sed ad deterrēdum à peccato, vel ad rem suam facilius recuperandam, dederit. quia voluntarie, & libere dat.

Soto vbi supra. & lib. 5 q. 8. art. 4.

XIII. Dif. Qui accipit pecuniam: vt falsum testimonium dicat, vel vt veritatem taceat, quam rogatus à iudice manifestare tenebatur, eritne restitutioni obnoxius?

Adria. de restitutióne in q. cum ex torta, &c. opinatus teneri ad restitutionē danti, vel pauperibus faciendā. Contraria opinio videtur esse summæ Angelicæ.

CONCLVSIO.

Ita pecuniam accipiens, licet teneatur damnum illatum resarcire, ad pecuniam tamen acceptam restituendam non obligatur. neque enim tenetur illam danti restituere; quia voluntarie dedit, neque pauperibus; quia illis nullam irrogauit iniuriam, neque innocenti, quia satis est, vt illi damnum illatum restituat.

S. Tho. 2. 2. q. 100. artic. vlti. Medina q° 3. Soto lib. 9. q. 8 art. 1.

XIIII. Diffic. Accipiens pecuniam pro beneficio, vel sacris ordinibus conferendis per symoniam realem, tenebiturne ad illius restitutionem ante iudicis condemnationem?

Quædam opinio fuit negans, quam citat Medina de restitutione.

Contraria, & affirmās est. S. Tho. quia lex canonica prohibet dominij translationē recipiendo eius restitutionem.

XI. Dubium Pecunia symoniaca cui ante condemnationem erit restituenda?

S. Tho. vbi supra ad 4. dicit non esse ementi restituendam. Soto lib. 6. de iust. & iure q. 3. art. 1 existimat ante cōdemnationem esse emptori restituendam. *Med. q. 1. de restit.*

CONCLVSIO.

Danti ante condemnationē est facienda restitutio. quia accipiens pecuniam pro beneficij collatione, tenetur nō solum penitere, verumetiam quantum in se est, contractum rescindere: quod fieri non potest, nisi reddēdo preciū danti, & quemadmodū venditio consummatur traditione rei, & acceptione pecuniæ, ita saltem quantum ex parte vendentis, eiusdem pretij, siue pecuniæ redditione rescinditur.

XII. Dubium. Quid si Papa dispenset cum symoniaco vt beneficium teneat? *DD. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Tunc necessario est emptori facienda restitutio. quia post dispensationē non ratione pecuniæ datæ, sed ex collatione legitima Papæ beneficiū retinet. illa enim dispēsatio collatio beneficij fuit. Patet exemplo illius, qui sciens emit vas argenteum furto sublatū, & postea à vero Domino ignorante furtū illud obtinuit. Tunc huic, & non Domino erit precium à latrone restituendum. quia non retinet vas ratione iniustæ venditionis, sed ex veri Domini voluntate.

CONCLVSIO.

Post sententiam contra Symoniacū datā, etiam si antea sit danti pecunia restituta, erit denuo Ecclesiæ restitutio facienda. Definitur expresse in ca. de hoc autem. de symonia. Iudex enim solum debet attendere crimen cōmissum esse puniendum; non autem an sit iam danti facta restitutio.

CONCLVSIO.

Quando dans pecuniam fuit deceptus, quoniam arbitrabatur inuincibiliter ignorans se Symoniam committere, tunc ante, vel post sententiā danti erit restitutio facienda. Definita est expresse in cap. Veniens de Symonia. quāobrem quādo turpitudo solum est ex parte recipientis, debet danti fieri restitutio. quia propter ignorantiam inuincibilem fuit à Symonia alienus.

CONCLVSIO.

Pecunia accepta propter collationē ordinū, & sacramentorum administrationē, ante sententiam est danti, etiamsi fuerit in culpa, restituenda. quia lex irritat contractum, &

prohibet, dominij translationem. & cùm ante sententiam dans non amiserit dominium, erit sibi restituenda.

XV Diffic. Symoniacus mẽtalis teneturne ad restitutionem?

Canonistæ in cap. Vltimo de Symonia, & Caiet. 2. 2. q. 100 art. vltimo tenent non esse restitutioni obnoxium. Adrian. autẽ Quolib. 9. & Soto de iust. & iure lib. 9. q. 8. ar 1. ad. 6. affirmant obligari ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Symoniacus mentalis, aut realis nõ tenetur iure diuino ad restitutionem. quia ius Canonicum non est contrarium iuri diuino; quod quidẽ in cap. vltimo de Symonia Symoniacum mentalem ab onere restitutionis absoluit.

CONCLVSIO.

Neque iure Canonico, symoniacus mentalis ad restitutionem tenetur. vt constat ex cap. citato. & hæc fuit opinio S. Tho. vbi supra in solutione ad argumenta.

APPEN. Hinc, omnes familiares Episcoporũ, qui nullo stipendio accepto, & sine vllo pacto, sed sola intẽtione obtinẽda beneficia Episcopis seruiunt, mortaliter peccant propter deprauatũ animi affectũ, nec sunt absoluendi. dum ita famulantur, nec obtento beneficio ad resignationem tenentur, neq; Episcopus, aut patronus ad soluendũ stipendiũ famulatus obligatur. Oppositum sequitur ex cõtraria opinione.

APPEN. Idem etiam est iudicium de illis, qui Episcopo aut patrono munera à manu, vel à lingua aliquo precio æstimabilia intentione corrupta consequendi beneficium Ecclesiasticum offerunt.

PROPOSITIO.

Solum tenetur ad restitutionẽ symoniacus, qui pacto expresso vendidit beneficium, ordines, aut religionem. quia in his tantum præcipit ius Canonicũ, non autẽ in venditione cæterorum spiritualium, fieri restitutionẽ. hæc propositio est valde notãda, & est Pano. super cap. Vltimo de Symonia, & Caieta. in summa verbo excommunicatio. cap. 27.

Syluest. verbo restitutio. 8. §. vltimo. Medina q. 3. Soto. lib. 4. q. 7 art. 1. ad. 3.

XVI. Diffic. Liberaturne aliquis per bullam compositionis Cruciatæ à restitutione?

CONCLVSIO.

Quando creditor sit bene notus debitori, bulla compositionis nullum habet locum. quia restitutio alieni, quando Dominus est certus, est illi facienda de iure naturali, & diuino, in quibus Papa, quando nulla subest legitima causa, dispensare non potest.

CON-

CONCLVSIO.

Quamuis creditor sit bene notus debitori, si tamẽ longe absit: ita vt ad illum pecunia transportari nõ possit, sed sit pro vita spirituali creditoris pauperibus diuidenda, tunc locum habebit cõpositio. Hæc est Illustrissimi Domini Couarruuias in relectione Non dimittitur peccatum in 3. p. §. 1. Et ratio est, quia bona creditoris longissime absentis æquiualent bonis incertis, cùm sit in loco adeo distanti: vt nullo modo sua bona recipere possit, & in bonis incertis habet locum compositio.

CONCLVSIO.

Quando bona sunt incerta, id est, incogniti creditoris, siue sint per contractum licitum, siue illicitum acquisita potest in illis fieri compositio. Ratio est, Quoniam huiusmodi bona iure Ecclesiastico sunt pauperibus distribuenda, in quo quidem iure Papa dispensare potest.

CONCLVSIO.

Compositionem hanc nullus à Rom. Pon. efficere potest. quia hæc compositio est tantum iure Canonico præcipiente; vt restitutio pauperibus fiat, & cùm in hoc iure solus Papa dispensare possit, solus quoque compositionem concedere valebit.

PROPOSITIO.

Quando bona incerta restituenda sunt ab aliquo inuenta, potest in illis per Dominum temporalem fieri compositio. quia ipse est Dominus rei inuentæ, quæ vulgo (mostrenco) appellatur, & in hoc tantũ casu est vera Soti opinio, qui per Dominum temporalem, & regem compositionem fieri posse asseruit. Et nota compositionẽ à Rom. Pont. concedi propter maiorem Reipub. vtilitatem: vt ad defensionem fidei, vel basilicam ædificandam.

XVII. Diffic. An per compositionem debiti debitor à restitutione liberetur?

Alexan. Alen. q. 86. ar 1. m. 3. S. Tho. 2. 2. q. 66. art. 5. & ibid. Caie. Medin. q. 16. & 1. de restitutione Soto li. 5. qõ. 3. ar. 3. ad 1

CONCLVSIO.

Compensatio in deposito locum minime habet. non enim possum, si tu debes mihi 100. & totidem apud me deposuisti, hac via quod mihi debes compensare. Definita est expresse in cap. bona fides. de deposito.

CONCLVSIO.

In cæteris contractibus bonæ fidei potest fieri compensatio. Hæc est Panor. in cap. bona fides citato Et ratio illius est; quia in aliis contractibus à iure non prohibetur.

CON-

CONCLVSIO.

Si volens compensare debitum iurauit absolute, sine vlla conditione, creditori suo debitum soluere, solutionē rationē compensationis differre non poterit. Constat ex capitione compensationis differre non poterit. Constat ex cap. Ad nostrum,& cap. Debitores de iure iurādo. Et ratio est; quoniam qui sub iuramento aliquid promisit, non solum homini, cui promissio facta est; verumetiam Deo, quē proposuit sui promissi fideiussorem, tenetur, quamuis creditor non lædatur, ita habetur in cap. Debitores de illis, qui promiserunt soluere vsuras.

XIII. Dubium. Quæ sunt conditiones in compensatione seruandæ?

Respondeo, sequentes. Et prima est; vt debitū sit liquidum, & non dubium. nam si dubius quis recompenset, & peccat, & ad restitutionem tenetur. in rebus enim dubiis tutius est eligendū, & tutius est proximū seruare indemnē.

Secunda, ne compensator speret authoritate iudicis debitum recipere posse, vel propter defectum testium, siue instrumentorum, vel ob malitiam iudicis, vel propter debitoris potentiam, quem non facile in iudicio conuincere poterit, vel illū graui odio prosequetur, aut in aliis nocebit, aut non sine maximis expensis debitum extorquebit. Nam tunc propria authoritate, quod debitori minime nocet, recipere poterit.

Caie. & S. Tho. est. Tertia, ne ex tali acceptione periculum famæ accipientis timeatur. posset enim tunc iudex in illum: vt in furem agere. quia extra iurisdictionem accepit.

Quarta, ne damnum alicui sequatur. nam fortassis à domesticis sumptum fuisse existimabunt.

V. Ne agat contra conscientiā, sed hoc sibi licere credat.

Sexta, vt verissime opinetur, nunquam esse sibi solutionem à debitore faciendam, etiam si debitum petierit.

Septima, ne res propria authoritate vsurpanda, sit debitori valde necessaria. alioqui enim peccabit.

CONCLVSIO.

Qui his 7. conditionibus concurrentibus alienum ratione compensationis accipit, non peccat. Quia nec facit iniuriam debitori, cùm sibi debitum accipiat, neque legi prohibenti, ne quis propria authoritate ius suum exequatur. nam intelligitur lex, quando creditor secundum iuris ordinem rem suam recuperare potest. quod si non possit. vt in præsentia, non agitur contra legis intentionem.

CON-

CONCLVSIO.

Si debitum sit liquidum, siue certum, cæteris conditionibus deficientibus, peccabit mortaliter recompensans, non tamen ad restitutionem tenebitur. quia in cæteris cõditionibus præter primam, non agit contra iustitiam, agit tamen contra iuris ordinem, & ideo peccat in rempub. vt constat in cap. Olim de restitutione expoliatorum.

XIII. *Dubium. Si iudex excõmunicet omnes, qui ex tali domo aliquid acceperunt, comprehendenturne compensantes?*

Angelus negat. Rossella affirmat; vt Syluester docet. *Verbo furtũ. §. 1. Medina. q. 11. Sot. vbi sup.*

CONCLVSIO.

Si recompensans omnes conditiones seruauit, non ligatur, etiamsi in sententia hoc ipsum exprimatur. quia talis sententia contineret intolerabilem errorem, vt definitum est in cap. Per tuas. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Quando iudex absolute profert sententiam, nihil contra recompensantes addens, dummodo primam conditionem seruauerint, illa sententia minime ligantur. Et ratio est; quia non retinent alienum.

CONCLVSIO.

Quando iudex profert sententiam, excommunicationis sub hac forma, volumus excommunicare, & ligare recompensantes, qui omnes conditiones iustæ cõpensationis non seruauerunt, tunc ligantur, & restituere tenentur, nõ quod retineant alienum, si primã seruarunt conditionẽ, sed quia contra iuris ordinẽ bona vsurpauerũt. Et iudex Ecclesiasticus potest istos cõpellere ad seruandũ iuris ordinẽ, qui est de iure naturali, & diuino. iuste enim dicit Scriptura iuste, quod iustũ est, prosequeris. *Deut. ca. 16.* Cauendũ tamen est, ne iterum debitor creditori, vel eius heredibus soluat, & ne creditor in fametur, vtrumq; autẽ euitabitur, si debitũ secundo solutum; per mediatorem eidẽ debitori restituatur, vel si in testamẽto hæredib⁹, ne aliquid ab illo recipiant, præcipiatur.

18. *Dif. An qui ex culpa leui, siue leuissima alteri damnum intulit, in conscientia ad restitutionem teneatur?* *Ricar.*

Duæ sunt opiniones. Vna Innocen. in cap. sicut dignũ. de homicidio, quã Syluest. dicit communẽ, scilicet, in foro iudiciali ex culpa leui, aut leuissima teneri ad restitutionẽ, non tamẽ in foro cõscientiæ. Altera & cõtraria opinio est Adr. de restitutione in q. vtrũ in foro animæ teneatur resarcire, quãtũ dãnũ ex culpa sua leui, aut leuissima alteri dedit *Verbo culpa §. 1. & 3. Ricar. art. 5. q. 1.*

CON-

CONCLVSIO.

Omne damnum quacunque culpa damnificantis illatũ in foro conſcientiæ eſt reſarciendum. Definita eſt expreſſe in cap.finali de iniuriis, vbi dicitur. qui occaſionem damni dat, damnum, &c. ſecus autẽ eſt de illo, qui, vt non occideret, vel damnum inferret, nihil de contingentibus omiſit, quod quidem omittere dicitur, qui negligens fuit.

APPEN. Hinc, variæ ſoluuntur quæſtiones cõtra accommodatarios, depoſitarios, negociorũ geſtores, qui ſua culpa damni cauſa extiterunt, cõtra nutrices, quæ incaute interdormiẽdum paruulos ſuffocant, quæ ſunt homicidij reæ, & contra medicos, & pharmacopolas, qui ſua imperitia, vel negligentia alienum mancipium interficiunt, cuius pretium ſoluere tenentur, & contra iumẽtorum medicos, ſi culpa ſua leuiſſima iumentum moriatur, vel minoris pretij defixo in pede clauo factũ fuerit, aut per aliquod dies quieuerit. Nam tenetur omne damnum, aut lucrum ceſſans reſtituere. Et idem eſt de ſimilibus iudicium.

QVAESTIO DE RESTITVTIONE FACIENDA PROPTER NEGLIGENTIAM ECCLESIASTICORVM.

Art. 1. An clericus omittens horas canonicas ad fructuum reſtitutionem teneatur?

Adria. in q. an mala diſpenſans beneficium Eccleſiſticũ, & c. Soto lib. 10. q 5. art.7. Caiet. eſt in ſumma verbo hora Canonica.

CONCLVSIO.

Clerici Eccleſiaſtica beneficia in Eccleſia cathedrali poſſidentes. & in choro non reſidentes, quotidianarum diſtributionum dominium non acquirunt, atque ita ad illarum reſtitutionem tenentur. Definita eſt cap. 1. de Clericis non reſidentibus lib. 6. decretalium.

CONCLVSIO.

Clerici beneficia Eccleſiaſtica poſſidentes, ſi non ſint ſacris ordinibus initiati, & nullum fructũ beneficij recipiant, & non ex culpa ſua, ſed aliorũ horas canonicas ſoluere nõ tenentur. Et ratio eſt, quia non habens ſacros ordines nulla ratione horas canonicas ſoluere tenẽtur. quapropter ſi nullum recipiant ſtipendium, liberi, erũt ab horarum ſolutione, notanter dicitur, & non ex culpa ſua. nam ſi fuerint excommunicati, vel negligentes in petendis fructibus tenebuntur ſoluere horas canonicas. peccatum enim ſuum aliis nocere non debet.

CON-

CONCLVSIO.

Clerici habentes beneficium Ecclesiasticum, & horas canonicas non soluentes, tantum pro rata restituere tenentur, quantum singulis diebus, quibus horæ fuerunt prætermissæ, respondet. Definita est expresse in Concilio Lateranensi Sess. 9.

Magister Soto non est admittendus in hoc loco dicens, se nescire an hoc Concilium sit in vsu, additq; quod si per vnum, aut duos dies clericus officium omiserit non esse restitutioni obnoxium, si autē amplius dimittat, ad restitutionem teneri. Cæterū si hoc Conciliū plenā habet authoritatem, confessor cū clerico per vnum, aut duos dies officiū diuinum prætermittēte dispensare nō poterit: si vero nullam habet authoritatē, tunc ratione Concilij, etiam si per decem dies clericus diuinum officiū omiserit, ratione Concilij ad fructuum restitutionem nunquam tenebitur.

Hinc, erit clerico per aliquot dies diuinum officium prætermittenti consulendum: vt facta fructuum computatione, bullam compositionis accipiat, vel à Rom. Pon. siue ab eius commissario Cruciatæ restitutionem petat, atque hac ratione neque omnia, quæ Concilium Lateranense præcipit restituet, & in conscientia tutus erit. APPEN.

I. Diffic. An clerici non residentes fructus beneficiorum restituere teneantur?

CONCLVSIO.

Clericus habens beneficium Ecclesiasticum curatū iure diuino in Ecclesia eiusdē beneficij residere tenetur. quod enim Christus Iesus tradens Petro Ecclesiam dixit, pasce oues: & reliquis Prelatis in persona Petri dictū fuit, & pasce & hædos lacte doctrinæ, & correptionis absens non potest.

Caiet. 2.2. qō 185. art. 5. Gabri. d. 15. q. 8. Sot. lib. 3. q. 6. artic. 3. Ioan. 21.

CONCLVSIO.

Iure quoque naturali ad residentiam obligatur. nam quod est apud omnes rationi consentaneum, illud est de iure naturæ, & hoc est rationi maxime consonum: vt Prælati per seipsos, & non per Vicarios, militent quemadmodum miles, qui per seipsum non militat, stipendio dignus minime censetur.

CONCLVSIO.

Et iure quoque positiuo residere tenetur: vt constat ex toto titulo de clericis non residentibus. nam in cap. finali decretum est, clericum non residentem esse beneficio priuandum, si monitus non corrigatur.

CON-

CONCLVSIO.

Habens beneficium simplex, cui seruitiũ est annexum, naturali, diuino, & positiuo iure residere tenetur. Dicit enim B. Paul. altari seruientes futuros esse fructus altari participes. Et hac eadẽ ratio esse de iure naturæ constat. & tandem de iure canonico quam plurimæ Canonicæ sanctiones toto titulo de clericis non residentibus testantur.

1. Cor. 9.

I. Dubium. Quando habenti beneficium curatum abesse erit licitum?

CONCLVSIO.

Ratione alicuius impedimenti ab extrinseco, si impedimentũ non fuerit voluntarium, nõ residere licebit: vt si tyrannus Episcopũ relegaret. Et patet exemplo S. Tho. Cantuarien. qui fuit à rege Angliæ in exiliũ relegatus, tũc enim si Ecclesia non periclitatur in fide, sustinendũ est exilium. alioquin etiam cum proprij capitis periculo erit residendũ. quia bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.

Ioã. cap. 10.

APPEN. Hinc, etiam integrum erit recedere ab Ecclesia ad tempus propter salutem corporalem. est enim impedimentum inuoluntarium.

CONCLVSIO.

Potest quoque ratione qualitatis negocij non residere, vel quia est in bonum vniuersalis Ecclesiæ: vt si Episcopi ad Concilium vocentur, vel propter propriæ diœcesis bonum: vt si propter defendendam suæ Ecclesiæ immunitatem expediat Episcopum ad curiam Romanam se conferre, vel tandem propter bonum spirituale totius reipublicæ: vt si Episcopus ad componendas lites, & ad bella inter reges legatus constituatur.

CONCLVSIO.

Potest etiam ratione conditionis personæ esse absens: vt si expediret Ecclesiæ propter excellentiam personæ, aliquem duo habere beneficia curata. tunc enim integrum esset in altero non residere: vt habetur in cap. de multa, de præbendis.

APPEN. Hinc, Episcopus Cardinalis non poterit ratione cardinalatus à sua Ecclesia abesse, vel in curia Romanâ residere: vt expresse in capit. bonæ memoriæ de postulatione Prælatorum habetur, neque poterit abesse Episcopus prorex constitutus. Quia gubernatio temporalis non est spirituali præferenda.

APPEN. Hinc, neque erit absoluendus talis Prælatus, cùm contra diuinum

diuinum & naturale præceptũ vagetur, in quo præter prędictas causas Papa dispensare haud potest.

CONCLVSIO.

In residentia beneficij non curati, & habentis annexum ministerium, Papa ex ligitima causa dispensare potest. Constat ex cap. Ad audiendam, vbi cõceditur Episcopo: vt possit duos canonicos ad suũ seruitium deputatos eligere qui in sua Ecclesia residere non tenentur.

CONCLVSIO.

Ratione studij extra beneficia residere licet. Difinita est in cap. Cùm ex eo de electione lib. 6. Ratio est, quia tunc gerit Ecclesiæ negotium.

CONCLVSIO.

In beneficiis non habentibus ministerium annexum vt in præstimoniis, residẽcia de iure non requiritur. quia non habent annexum ministerium aliquod, ratione cuius personæ præsentia desideretur.

CONCLVSIO.

Clerici non residentes, & per vicarium administrantes ad restitutionem fructuum tenẽtur. Definita est in Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1. de reformatione. Gabr. d. 15. qõ. 8. ar. 2. tenuit olim non esse restitutioni obnoxios.

CONCLVSIO.

Sacræ Theologiæ Doctores, publice in aliqua vniuersitate cathedram regentes, in beneficio, etiam curato residere minime tenentur. Definita est expresse in cap. finali de magistris. Vbi fructus præbendarum, & beneficiorum dum in scholis docuerint, conceduntur, inseruiunt enim publicæ vtilitati, quæ priuatæ est anteponenda.

II. Diffic. An clericus habens plura beneficia compatibilia, siue incompatibilia ad alterius fructus restituendos, tanquam iniustus possessor, obligetur?

Adria. de restitutione, Gab. vbi supra, Syluester verbo beneficiũ quo ad pluralitatẽ, S. Th. quolib. 9. Soto vbi supra.

CONCLVSIO.

Potest aliquis plura beneficia nullam residentiam exigentia sine dispensatione obtinere. Definita est in cap. gratia de rescriptis, lib. 6.

CONCLVSIO.

Non potest aliquis absque dispensatione plura beneficia simplicia habentia residentiã possidere. Definita est in dicto cap. gratia. In simplicibus quantum ad pluralitatem,

præter quam in præbendis, & dignitatibus Ecclesiæ collegiatæ, vel cathedralis Episcopus dispensat.

Syluester verbo beneficium 4. §. vltimo.

CONCLVSIO.

Qui ex dispẽsatione sine rationabili causa plura obtinet beneficia curata non est tutus quoad Deũ, licet sit quoad Ecclesiam. Quia Papa non est beneficiorum Dominus, sed dispensator, & vt dispensatio contra voluntatem Domini non valet, ita neque dispẽsatio in beneficiis curatis contra voluntatem Domini valebit. dicit enim D. Ber. ad Rupertum; quid tibi blandiris de dispensatione, cuius conscientia tenetur diuina sententia ligata.

S.Thom.est. artic. 5. & Gab. & Adria. vbi supra. D.Ber.

II. Dubium. Quotuplex est causa, ob quam ex iure, seclusa dispensatione Papali, plura licet habere beneficia?

Respondeo quadruplex. Prima, quando beneficium est exiguum, ita vt Sacerdos conuenienter ali non possit. vt habetur in cap. eam de ætate ordinandorum.

Secunda, quando vna Ecclesia habetur sub titulo commendationis ad tempus, donec idoneus Sacerdos inueniatur. Ita habetur in Cano. qui plures 21 q. 1.

Tertia, quando vna Ecclesia est alteri annexa, vel quãdo ex duabus Ecclesiis fit vnũ beneficiũ. Ita habetur expresse in cap. eam de ætate, & qualitate ordinandorũ. & in cap. qui monasteriũ. de religiosis domibus. Hæc aut Ecclesiarũ vnico inutilitatẽ nõ personæ, sed Ecclesię tantũ fieri debet.

Quarta, si essent rari Sacerdotes ad curam animarũ idonei. tunc enim liceret vni plures habere Ecclesias, ita definitur in cap. clericus 21. q. 1.

III. Dubium. Quando ex dispensatione iuris hoc idem licebit?

Respõdeo, propter sublimes, & literatos personas, quãdo, scilicet, genus & scientia sunt Ecclesiæ necessaria, vt si esset necessaria nobilis potentia. vt Ecclesia à tyranno liberaretur, liceret alicui nobili plures conferre Ecclesias, vel literato propter Ecclesiæ vtilitatem, vbi vigerent hæreses, atque ita intelligenda est Concilij Lateranensis, definitio. vt in cap. multa. de præbendis habetur.

CONCLVSIO.

Facile potest dispensatio concedi in beneficiis exigẽtibus residentiam, non tamen habentibus annexam curam animarum; vt duo, vel tria beneficia possideantur: dummodo non sint plura, vel scandalum inde sequatur. ita enim intelligenda est Clementina prima, vt lite pendenti, &c.

CON-

CONCLVSIO.

Qui obtinuit dispensationem absque legitima causa in beneficiis curatis, licet non sit in conscientia tutus, ad restitutionem tamen fructuum non tenetur. Nam in fructibus beneficiorum potest Papa dispensare, & illos Regi contra Turcas, vel aliis conferre. dispensando nãque in pluralitate beneficiorũ duo facit, primũ concedit, vt quis possit duos titulos, & eorundẽ titulorum fructus habere, & licet non valeat quoad titulũ, valebit tamen quoad fructuum retentionem. Hactenus ex sententia Theologorum, quorum iudicio nullus absque legitima causa plura beneficia curata possidens absoluendus est, donec vno retento alia dimittat. *Gabr. vbi supra.*

Caietani sententia in summa verbo beneficium cap. 1. est notanda. qui ait; non esse facile negandam absolutionem huiusmodi hominibus: quia non facile est iudicare, an sufficienter per vicarios beneficia regantur, tanta enim potest esse vicariorum solicitudo, & diligentia, vt merito pastores dici mereantur.

III. Diffic. Retinens beneficium curatum propter fructus recipiendos, non animo residendi, sed dimittendi post tempus tenebiturne ad fructuum receptorum restitutionem? *Soto lib. 10. q. 5. artic. 6.*

CONCLVSIO.

Tenebitur quidẽ, nisi voluntate mutata promotus fuerit. quia illos fraudulenter recipit, expresse. Definita est in cap. Commissa. de electione lib. 6.

IIII. Dubium. Definitio huius textus in beneficiis non curatis habetne locum?

Gabr. vbi supra dubio primo dicit teneri ad restitutionẽ qui recipit beneficium fraudulenter. Contraria opinio est Soti de iust. & iur. & ratio est; quia illa definitio est in odium curatorũ, & ideo erit restringenda, & non amplianda ad beneficia simplicia. fauores enim sunt ampliandi, & odia restringenda.

V. Dubium. Eritne expectanda iudicis sententia, an statim facienda fructuum restitutio?

CONCLVSIO.

Statim ante iudicis sententiam erit restitutio facienda. quia lex hæc non est pœnalis, sed conditionalis. hac enim conditione recipit, quis beneficium curatum, vt intra annum ordinem sacrum recipiat. *Soti est.*

VI. Dubium. Quid si postquam accepit beneficium curatum animo recipiendi ordines intentionem mutet tenebiturne ad fructuum restitutionem?

CONCLVSIO.

Tenebitur quidem. Et ratio est; quia textus citatus punit iniustitiam recipientts beneficium, sine animo promouendi seipsum ad sacros ordines; & cū eadem sit iniustitia accipientis, & retinentis rem inuito Domino, eidē quoque Domino ad restitutionē tenebitur. cæterum animaduerte solū teneri ad restituendos fructus, quos dum perseuerauit in animo non recipiendi sacros ordines, recepit. dicit enim textus citatus, in voluntate mutata promotus fueris, & c. quare solum, durante iniqua voluntate, durat iniustitia. Quapropter ad fructus interim receptos restituendos obligatur: deducto tamen stipendio, quod Vicario dedit. quia tunc fuit per Vicarium verus minister: vt Gab. docet.

S. Tho. 2. 2. 62. art. 2. Soto lib. 4. q. 6 art. 3. ad 6. Adria. est q. 4. de restitutione.

IIII Diffic An Episcopus, siue patronus eligens indignum, vel dignum prætermisso digniori, ad beneficium, ad restitutionem aliquam teneatur?

CONCLVSIO.

Conferens beneficium indigno scientia, & moribus tenetur Ecclesiæ damnum illatum propter indigni promotionē restituere Probatur per cap. finale de iniuriis, & damno illato. vbi dicitur. damnum dedisse, qui causam damni dat: & qui confert beneficium indigno causa damni Ecclesiæ fuit. inde enim sequitur damnum spirituale in ministerio sacramentali.

CONCLVSIO.

Qui confert beneficium digno, prætermisso digniore, qui est longe præstantior, peccat mortaliter; non tamē digniori aliquid restituere tenetur. Ratio est; quia ita conferens beneficium digno, nihil iustitiæ abstulit à digniore. alioqui enim beneficij Dominus non diceretur, & obligatio restituendi ex iniusta acceptione, & detentione ortum habet. neque vllā illi iniuriam irrogauit. Hæc est Adr. vbi supra, quem sequitur Soto contra Caiet.

2. 2. q. 62. artic. 2.

CONCLVSIO.

Eligens dignum nihil Ecclesiæ restituere tenetur, quamuis potuerit eligere digniorem. Ratio est; quia eligens dignum ad sufficiens regimen animarum, non infert Ecclesiæ damnum: & constituere digniorem non est opus præcepti, sed supererogationis, & consilij; & qui agit contra consi-

consilium, non peccat: vt can. Vltimo 14.q. habetur.

Adriani est loco citato.

V.Diffic. Qua ætate poterit quis beneficium obtinere?

CONCLVSIO.

Nullus non attingens, 25. annum beneficium curatum possidere potest, quod si sine dispensatione obtinuerit, ad fructuum restitutionem tenetur. Diffinita est expresse in cap. licet de electione lib. 6. & est Concilij Lugdunen.

CONCLVSIO.

Nemo potest ad Episcopatũ ante 30. annum promoueri, & licet promotus peccet, ad restitutionem non tenetur. Definita est in cap. cum in cunctis, vbi talis Episcopi electio prohibetur; non tamen irritatur.

CONCLVSIO.

Pueri post septennium citra dispensationem beneficium simplex, aut canonicatũ obtinere possunt. Ratio est; quia iam ex tunc possunt minores ordines recipere, in choro canere, Ecclesiæ seruire; quod satis est ad simplex beneficiũ, vel canonicatũ obtinendũ. licet in capitulo vocẽ non habeant: vt in cap. ex ratione de ætate, & qualitate definitur.

CONCLVSIO.

Nullus in Decanum, vel Archidiaconum ante 25 annum promoueri potest, & promotus ante præfatũ annum ad nullã restitutionẽ tenetur. Constat in cap. Cum in cunctis. vbi talis electio, licet prohibeatur, non tamen irritatur.

VI. Diffi. An habens beneficium, & nondum recipiens sacros ordines ad fructuum restitutionẽ teneatur?

CONCLVSIO.

Curatus intra annum, ex quo recepit beneficium, ad Sacerdotium promoueri tenetur. Alioquin beneficiũ ipso iure vacat, & ad restitutionem receptorum fructuum obligatur. Definita est expresse in cap. licet lib. 6. de electione, & est Concilij Lugdunen.

CONCLVSIO.

Episcopus cum curato, ne intra septennium ad Sacerdotium promoueatur, dispensare potest: finito tamen septennio, intra annũ Sacerdotium recipere tenetur. Definita est in cap. Cùm ex eo de electione in 6. est autẽ vnica dispensationis causa, scilicet, ratione studij: nihilominus tamẽ infra primum annum Subdiaconatus ordinem recipere tenetur.

CONCLVSIO.

Nullus beneficium simplex habere potest, quin sit clericus saltem primæ tonsuræ Alioquin erit ad restitutionem

obligatus. definita est in cap. in Ecclesia de institutionibus.

CONCLVSIO.

Mere laicus, & coniugatus potest in Ecclesia cathedrali præbendam, non tamen canonicatum habere. constat ex glossa in cap. cum tamen. de constiturionibus. est autem præbenda stipendium tãtum sine titulo, quale est quod citharœdis, & cantoribus laicis datur.

CONCLVSIO.

Quicunque est inhabilis ad beneficium obtinendum, tenetur ad restitutionem, dummodo electio sit ipso iure nulla. vnde excommunicatus, si eligatur erit restitutioni obnoxius. Vt constat ex cap. Si celebret de clerico excommunicato ministrante. & idem est iudicium de filiis presbyterij; vt constat ex toto titulo de filiis presbyterorum.

VII. Dubium. Vacante beneficio, fructus cui erunt restituendi?

Fructus cuiuscunque beneficij Ecclesiastici vacantis iure canonico successori reseruantur. Definita est expresse in cap. finali de officio ordinarij lib. 6. & in cap. Sæpe de electione in 6. nisi consuetudine, aut præscriptione patronus beneficij, siue Episcopus aut capitulum dominium acquisierit: vt in eodem cap. finali habetur.

VII. Diffic. An impediens aliquem à consequutione beneficij ad aliquam restitutionem teneatur?

S. Tho. vbi supra ar. 6. ad vltimũ. Scoto. q. 2. ad vltimũ Ric. ar. 5. q. 4. Soto. li. 4. vbi supra.

S. Tho. Scot. Ricardo, ibidem affirmant impedientẽ aliquem animo nocendi ex odio teneri ad aliquã restitutionẽ faciendam. non autẽ si vt sibi tantũ consuleret, impediuit. Vide Adria. vbi supra, qui refert aliam opinionem Geraldi Oldonis, qui ponit hanc regulam: damnum in eo, quod nõ erat suum, aut sui iuris, non est necessario restituendum.

CONCLVSIO.

Impediens dignum à consequutione beneficij, etiã postquam collator decreuit illud conferre, solum animo sibi, aut alicui amico digno consulendi, ad nullã restitutionem tenetur. Ratio est; quia integrum est vnicuique suum negocium sollicite agere: dummodo nullũ iniuriam afficiat. quã non infert, qui vt digno beneficium conferatur, procurat.

CONCLVSIO.

Impediens dignũ, aut dignior ẽ; vt detur digno ex odio, vel inuidia, in illum, cui non erat beneficium conferẽdum, ad restitutionem non tenetur: dummodo collatorem non decipiat, sed precibus ab illo, impetret: vt alteri conferat. li-

eet enim peccet contra charitatẽ proximi, contra iustitiam tamen minime peccat. proptereaque qui impeditur nõ erat Dominus beneficij, atque ita cùm non auferatur ab illo, quod suum est, nulla iniuria afficitur.

CONCLVSIO.

Quando impediens non solum animo nocendi, verum etiam fraude, & mendacio dignũ, vel digniorẽ à cõsequutione beneficij conatur impedire, non totũ sed partem restituere tenetur. quia nondũ erat decretum, cui esset cõferendum: vt si quis imponeret alicui aliquã falsam notam, cuius ratione à cõsequutione beneficij impediretur, teneretur satisfacere impedito consideratis circũstantiis personæ, negociis, & præbendæ, à cuius assequutione fuit impeditus; propterea quod in tali casu iniuriam impedito irrogauit. Nam ratione notæ fuit impeditus à petitione, cùm inde collator illum, tanquam inhabilem habeat. & hac de causa aliquid æquiualens illi petitioni restituere tenetur.

CONCLVSIO.

Si collator decreuit apud se, & dixit se velle. N. beneficiũ sine mutatione sententiæ conferre, qui ante collationem fraude, vel mendacio, vel aliqua alia ratione facit collatorẽ mutare sententiam, tenetur quantum valet beneficiũ, restituere. Ratio est; quia expoliatur, beneficio, quod certissime erat habiturus. quod enim parum distat, Aristotile authore, nihil distare videtur, & de proximo accingẽdus, habetur pro accincto. atque ita intelligitur Scot. quãdo dicit, impedientem animo nocendi teneri ad restitutionem.

Hinc, si impedimentum fiat absque fraude, & dolo, licet fiat animo nocendi, ad restitutionem non tenetur. Nam etsi contra charitatem proximi, non tamen cõtra iustitiam operatur. APPEN.

Idem censendum est de eo, qui impedit aliquem à consequutione donationis inter viuos, vel ne hæres constituatur, vel legatum aliquod illi relinquatur. APPEN.

Hinc, cui erat compertum Ioannem morientẽ velle Petrum instituere hæredem, vel legatarium, & ex fraude detinuit tabellionem: vt ab intestato succederet, impedito vniuersam hæreditatem restituere tenetur. APPEN.

Hinc, si absque fraude, & dolo induxit testatorem: vt reuocaret testamentum, non tenetur aliquid restituere. non enim fit iniuria hæredi, quãdo ex voluntate testatoris, vel sponte, vel aliquo modo inducti testamentum reuocatur.

VIII. Diffic. Qui simulata sanctitate, vel ficta paupertate bona aliqua acquisiuit, tenebiturne illa restituere?

Duæ sunt extremæ opiniones, & vna media Angel. verbo restitutio 1. §. 8. quem refert. Adrianus de restitu. affirmat, tunc nullam esse obligationem restituendi. Contraria opinio est Alexan. Alen. & Altisiodorensis, quos citat, & sequitur Adr. vbi supra.

Sot. lib. 4. q. 3. ad 3. Tertia opinio media, est Soti asserētis solū teneri quādo eleemosynæ sunt pinguiores; non autē quando tenuiores.

CONCLVSIO.

Obtinens beneficium simulata sanctitate ad illius resignationem non obligatur; sed satis erit deprauatos mores in bonos, & fictam in veram sanctitatem conuertere Alex. est vbi supra, quia Episcopus, vel patronus conferens beneficium hypocritæ habet duplicem causam, vnam impellentem, seu impulsiuam, & est simulata sanctitas, alteram finalem, quæ est vt in Ecclesia optimū ministerium, & ministrum constituat. Vnde si hypocrita optimum gerat ministerium, optime ministrat prædicando, consulendo, & confessiones audiendo, nō erit irrita beneficij collatio, cum non cesset finalis causa concedentis.

CONCLVSIO.

Qui simulata sanctitate eleemosynam pinguem, siue tenuem obtinuit, ad eius restitutionem tenetur; si modo finalis causa donantis fuerit hypocritæ subuenire, non propter eius paupertatem, sed ob sanctitatem: vt particeps suffragiorum illius efficiatur. V.g. si diceret, accipe Eleemosynam, vt pro me ores. Et ratio est; quia cessante causa finali, donatio est inuoluntaria, & Eleemosyna ex consequenti restituenda. si autem simulata sanctitas fuerit causa impulsiua, nulla est facienda restitutio: vt si quis libentius, & facilius fingenti sanctimoniam, quam cæteris pauperibus eleemosynam tribuat.

CONCLVSIO.

Sot. q. 2. ar. 3. & aliorū est. Eleemosyna titulo fictæ paupertatis acquisita est restituenda; si tamen existimata, vel ficta paupertas, fuerit finalis causa tribuendi Eleemosynā. Ratio est; quia propter deceptionem in causa finali, talis donatio est inuoluntaria, propterea quod ignorantia in voluntarium efficit.

Hinc, si paupertas existimata non fuerit causa finalis, sed compulsiua, pauper ad restitutionem non tenebitur.

CONCLVSIO.

Restitutio Eleemosynæ propter simulatam sanctitatem, vel paupertatem collatæ; non danti sed cæteris pauperibus facienda est. Ratio est; quia donans ad subueniendum pauperi propter Deum, & respiciendo personam huius hypocritæ dedit. imo Christo illam elargitus fuit dicenti, quod vni ex minimis meis fecisti, &c. *Mat.ca.25.*

IX. Diffic. An clerici, vel Episcopi, qui luxuriose consumunt Ecclesiæ redditus, ad restitutionẽ pauperibus faciendam teneantur, ac si non essent veri redituum Domini?

Duæ sunt opiniones. Prima Canonistarum asserentium non esse Dominos, sed dispẽsatores tantum fructuum, hos refert, & sequitur Palud.d.24.

Altera contraria opinio est quorundam Theologorum. S.Tho. affirmantis clericũ esse redituũ beneficij Dominũ. *2.2.q.185. ar.7. Alex. Ale. in. 3. p.q.36.m. 5.artic. 2. Thomas Vualdensis tomo 1. lib. 4.q.42.& 4 sequentibus Adria in materia de restitutione Caieta. vbi supr.S.Tho. Soto lib.11. q. 4. art.3.*

CONCLVSIO.

Episcopi, & clerici veri Domini sunt Ecclesiasticorũ redituũ. Definita est in cap. 1. de Canonicis non residẽtibus lib. 6. & cap. olim el. 2. de restitutione expoliatorum, & alibi.

CONCLVSIO.

Clericus redituum Ecclesiæ in stipẽdium sibi assignatorum ed nullam restitutionem tenetur. Ratio est; quia nec iniuste detinet, neque alienam accipit, neque aliquẽ damnificat; quæ tria sunt restitutionis origines.

CONCLVSIO.

Episcopus Ecclesiæ bona distrahens, quæ sibi sunt data tantum in administrationem; ad restitutionẽ tenetur. Propterea quod non est Dominus, cùm sibi in administrationem tantum data sint, talia sunt opida, quæ cameræ Episcopi appellantur.

X. Diffic. Extrahens alium à regione, vel ne ingrediatur impediens, tenebiturne monasterio aliquid restituere?

Adria. dicit teneri ad ingrediendam religionem si aliquem à religione extraxit, & non potest reducere, eiusdem opinionis videtur esse Scotus. *de restitutione.*

CONCLVSIO.

Extrahens aliquem professum à religione titulo correptionis fraternæ tenetur illi persuadere: vt ad monasteriũ redeat. quia professus vagans extra religionem sine legitima dispensatione est in statu damnationis perpetuæ. atque ita, qui illum extraxit multo magis, quã alij corripere tenetur. & hac ratione Scotus est intelligendus. *dist, 15.q. 2. in sol. ad argumẽ. Ric. arti 5. q.4. Soto li. 4.q: 5.artic 3.*

CONCLVSIO.

Non tamen titulo restitutionis ad hoc tunc tenetur. propterea quod obligatio restituendi præsupponit iniuriam illatam, & cum professus sit volēs à religione extractus nulla est illi facta iniuria volenti enim, & consentienti non fit iniuria, vnde nulla erit facienda restitutio.

CONCLVSIO.

Neque monasterio à quo extractus est, restitutio facienda est, nisi ratione damni illati propter Monachi recessum. Ratio est; quia restitutio ratione damni illati est facienda; & si monasterium nullum recipit damnum, nulla erit illi facienda restitutio quod si monachus erat cathedraticus, & monasterio eleemosyna ratione cathedræ tribuebatur, ratione huius damni erit tunc restitutio facienda & est intelligenda hæc conclusio, quando monachus est extra monasterium, vel nulla, vel illegitima dispensatione. Nam si legitima dispensatione vagetur, neque extrahens, neq; monachus erit restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Qui impedit aliquem, ne religionē ingrediatur, non ex præcepto, sed ex cōsilio. vt ingrediatur, persuadere tenetur. quia volenti nō fit iniuria, & volēs fuit impeditus: neq; est necessario corrigēdus propterea quod correctio est faciēda, quando quis diuinū præceptum præuaricatur, & ingressus religionis non est præceptū, sed consilium diuinū, atq; ita impidiens loco alterius religionem intrare non tenetur.

XI. Diffic. Lædens aliquem in bonis animæ, teneturne ad restitutionem?

Ric.d.15. ar tic.5.q. 2. Syluest. verbo restitutio 3.§.1. Soto lib. de iust. & iur. q.6. art. 3.ad 4. Sco.q.2.et 3

Duæ sunt opiniones. Prima affirmans Ricar. & Sco. & Adria. de rest. Contraria opinio est Syluest. & Sot.

CONCLVSIO.

Qui damnificauit aliquē in fide, quātum in se est laborare tenetur, vt ad fidē Romanæ Ecclesiæ cōuertetur. quia damnum illatū possessore inuito est necessario restituendum, & qui in fide damnificatur, inuitus est. quia decipitur ignoranter: & vbi est ignorantia, est inuoluntarium.

CONCLVSIO.

Decipiens aliquem circa virtutem spei, tenetur illum ad spem reuocare. Patet eadem ratione, qua proxima conclusio. quia inuolūtarie læditur. vt si quis dicat peccatori, benedic Deum, & morere. neque enim aliquis potest misericordiæ diuinæ desperationem sine errore fidei persuadere.

CON-

CONCLVSIO.

Qui inducit aliquem ad peccandum contra charitatem; vt quando inducitur aliquis contra charitatem præceptorum decalogi, siue Ecclesiasticorum, si inductus in peccato perseuerat, non ex præcepto, sed ex Consilio ad restitutionem tenetur. Ratio est; quia nemo id, quod abstulit volente, & cōsentiente possessore, restituere tenetur. Volēti enim non fit iniuria; & ad peccandum, seclusa ignorantia, nisi sciens, & volens inducitur nemo.

CONCLVSIO.

Inducens aliquem ad peccatum, intelligensque illum in peccato perseuerare, ex præcepto correptionis fraternæ illum ad resipiscentiā inducere tenetur. Cōstat apud Matth. si peccauerit in te, &c. *Matth. cap. 18.*

QVAESTIO DE RESTITVTIONE FAMAE.

Art. I. Teneturne aliquis cum detrimento vitæ proximo famam restituere?

Caiet. affirmat nunquam esse faciendam restitutionem rei inferioris ordinis cum detrimento superioris. Soto oppositum tuetur, affirmans in aliquo casu esse famam restituendam cum periculo vitæ. *2. 2. q. 62. artic. 7. libr. 4. q. 6. art. 3. ad 4.*

CONCLVSIO.

In his, quæ frequentius accidūt, homo ad restitutionem bonorum inferioris ordinis non tenetur, quando aliter, nisi cum dispendio bonorum superioris ordinis restitui non possunt. nemo enim tenetur restituere bona fortunæ, quā do aliter, nisi cum detrimento famæ restituere non potest. neque bona famæ cum periculo vitæ restituere tenetur. quia restituens bona inferioris ordinis, cum detrimento superioris ordinis plus redderet, quam abstulit, quod est contra iustitiam, cum nemo plus damnificato reddere, quam ab illo abstulit, teneatur. notanter dicitur, quādo aliter non possunt restitui. propterea quod restiturus inuestigare debet secretissimos restituendi modos, sine bonorū superioris ordinis dispendio. *Scoti est. qō 2. artic. 3.*

Hinc, qui imposuit alteri crimen adulterij, aut hæresis, & non potest sine dispendio vitæ restituere, ad restitutionem non tenetur. vita enim temporalis famæ alterius præstat. APPEN.

CON-

CONCLVSIO.

Quando ex infamia vnius personæ, vel familiæ toti reipublicæ magnum detrimentum, scilicet, bellum, vel inter ciues graue dissidium nascitur: tunc infamator, si aliter respubilica sedari non potest, etiam cum dispendio vitæ alienam famam restituere tenetur. fortis enim politicus, teste Aristotele; pro salute patriæ ad mortem subeundam obligatur. tum etiam; quia salus, & tranquillitas reipub. salute, & vita particulari alicuius ciuis præstantior est.

APPEN. Hinc, qui magno duci proditionis crimen imposuit, vnde vniuersa ciuitas, seu exercitus in armis constituitur, & multorum cædes timentur; tunc infamator, etiã cũ dispendio propriæ vitæ famam restituere tenetur. quia ratione circunstantiæ non plus reddit, quam abstulit. præstantior si quidem est fama ducis tunc, quam diffamatoris vita.

CONCLVSIO.

Quando ex infamia imposita mors infamati timetur, tunc infamans, etiam cũ periculo vitę obligatur ad restitutionẽ. si. n. alteri crimen latrocinij, aut hæresis imposuisti propter quod, innocens cõburendus, vel suspendendus est; teneberis mortem subire, si aliter illum liberare nõ potes. Adria. est q. de restitutione famæ. nam teneris vitam propriam expendere, ne innocenti iniusta mors inferatur.

1. Diffic. qui negat in iudicio verum crimen, de quo accusatur, tenebiturne ad restitutionem famæ accusantis, eo quod sit notatus calumnia, in probationibus deficiens?

Sco. q. 3. ar. 4. Ric. ar. 5. q. 3. Nauar. ca. 25. numero. 35. Soto lib. 5. q. 6. artic. 1. 2. 2. q. 62. artic. 2. & q. 69. artic. 2.

Opinio Scot. & Ricar est, vt non teneatur, quando non tenetur confiteri crimẽ, quia neque plene, neque semiplene probatum est. addit præterea Scot. salubre esset consilium, si reus diceret, non est credendum accusatorem animo calumniandi me accusasse, sed bono zelo.

Altera opinio est Caieta. scilicet, teneri reum ad restitutionem, quando defitetur crimen in iudicio, etiam præter iuris ordinem.

CONCLVSIO.

Reus, quando conuincitur plena, aut semiplena probatione, negatque in iudicio verum crimen, nihil contra accusatorem dicens, ad restitutionem famæ illius non tenetur, nisi accusatorem calumniatorẽ esse dixerit. Ratio est; quia nihil dicens contra accusatorem, & negans crimen, licet peccet mortaliter, non tamẽ calumnia accusatorem notat. cùm crimen in iudicio sufficienter probauerit. at vero dicẽs contra

contra calumniatorem mẽtitur, atque ita ad restitutionem tenetur, si accusantis fama læsa maneat.

I. Dubium Quomodo igitur restitutionem faciet?

R. si iudicium durat, confitendo crimen, etiamsi illud sępe negauerit: si autem iudicium finitum est, tenebitur etiã iudicium confiteri accusatorem nõ fuisse calumniatorẽ. sed de hac re supra in qõ. de correptione fraterna. *Ric. vbi sup. & S. Tho. 2. 2. q. 69. artic. 2.*

CONCLVSIO.

Reus accusatus sine aliqua probatione, neque tenetur crimen confiteri, neque si negãdo dixerit accusatorẽ fuisse calumniatorem, ad aliquam restitutionem erit obligatus. nam calumniator non solum dicitur qui falso accusat; Verumetiam qui nullis præcedentibus probationibus accusat. vt ex cap 2. de calumniatoribus colligitur. Vnde reus notãs accusatorem calumnia non mentitur. *Ric. & Scot. est contra Caieta. Ric. vbi sup. Caieta 2. 2. q. 62. art. 2.*

II. Dubium. Qui famam alterius læsit, teneturne post quodcunque tempus ad restitutionem?

R. si diffamator non habet, certitudinem de obliuione infamiæ eorum, apud quos alium diffamauit ad restitutionẽ tenetur. si vero quibusdã coniecturis, illos oblitos iam fuisse colligit, minime tenetur. propterea quod cum innocẽs nulla tunc laboret infamia, nihil erit restituendum. intelliget autẽ fuisse oblitos, si interroget, meminerit ne, aliquo tempore de Catherina optima fœmina aliquod crimen fuisse dictum, qui si dixerint se audiuisse olim tale crimen, tenebitur ad restitutionem; sin minus nequaquam.

III. Dubium. Estne locus cõpensationis in restitutione famæ?

R. cum Soto, est quidem: dummodo sint cætera paria. Nam si tu infamasti Petrum crimine hæresis, & Petrus te adulterij, restitutioni eris obnoxius. quia vt in pecunia compensatio non habet locum, nisi quando debita sunt æqualia, ita & in famæ restitutione. Tumetiam debet vterq; esse suæ famæ Dominus. Nam si fama vnius est aliis necessaria, quia est Prælatus, non est compẽsationi locus. Et ratio est, quia vbi non est locus remissioni famæ, aut pecuniæ, neq; compensationi: cum compensatio sit mutua debiti remissio. Adria. est q. penultima de restitutione. Et constat ex cap. tua fraternitas. de adulteris. vbi habetur paria delicta mutua compensatione tolli. *Soto lib. 4. q. 6. artic. 3. ad 4.*

II. Diffic. Potest diffamatus detractori restitutionem dimittere, aut compensare pro pecunia?

Tres sunt opiniones. Prima Adriani affirmatis; integrũ esse

q. penultima de restitutione. esse vnicuique propriã contemnere, vel remittere famam.

Secũda, & cõtraria est Caiet. Tertia, & media est S. Tho. ibidẽ art. 4. ad primũ dicẽtis, in arbitrio hominis esse detrimentũ suæ famę pati, nisi hoc vergat in periculũ aliorum.

2.2. q. 63. art. 2. Soto li. q. de iust. & iur. q. 6. art. 3. ad 5.

CONCLVSIO.

Quando fama non est aliis necessaria, quia diffamatus non habet descendẽtes, quibus eius infamia nocere possit, remittendo famæ restitutionem, vel pro pecunia illam recompensando, non peccat quia cum fama sit bonũ temporale, & proprium diffamati, sitque famæ Dominus, poterit illam prodigere, suoque iuri cedere remittendo detractori famæ restitutionem. Aristot. namque Ethicorũ gloriam, & honorem partes fœlicitatis, bonumque proprium, & non commune esse docet.

CONCLVSIO.

Quando infamia vnius in descendentium, vel familiæ detrimentum temporale, vel famæ redundat, diffamatus tunc famæ restitutionem remittere haud potest. propterea quod aliis nocet. vnde infamatus crimine hæresis, & publica pœnitẽtia notatus, non poterit suo iure cedere. quia toti Reipub. & eius familiæ noceret.

CONCLVSIO.

S. Thom. & Soti est. Si infamia vnius resultat in detrimẽtum spirituale alterius, diffamatus iure suo cedere non potest. quia contemnendo propriam famam multis ruinæ occasionẽ præbet.

APPEN. Hinc, pater, iudex, Prælatus, cõcionator famæ restitutionem remittere non possunt. Nam cuius vita despicitur, restat: vt eius doctrina contemnatur.

B. Greg.

CON.

Potest fama pro pecunia remitti, siue cõpensari, quando sine peccato famæ restitutionẽ condonare licet. Ratio est; qui fama est bonũ temporale, & pecunia æstimabilis, & illam remittẽdo, vel pro pecunia cõpensando nemini nocet.

Nota nõ omnibus criminibꝰ omnes infamari. fornicatione namq. simplici fama religiosi, nõ autẽ sęcularis denigratur. nõ enim pluris faciũt dicere, fornicatꝰ sum quã cœnaui.

Adr. quolib. 11. q. 1. Sot. lib. 5. q. 10. ar. 2. Caiet. in opusculo. 16. res. 9. d. 15. q. 4. Sco.

IIII. Dubium. An sit mortale diffamatum in vno loco iudicis authoritate, in alio infamare?

CONCLVSIO.

Neque est mortale, nisi in quo animo fiat, neq; detegens crimen ad restitutionẽ tenetur. Ratio est, quia punitus publice ob crimẽ aliquod. nullã secundũ leges habet famam: cùm iuxta illas sit infamis, & colligitur ex Scoto dicente, qui

qui accusat aliquem in iudicio, & cōuincit duobus testibus non infamat, quia crimen coram duobus commissum est publicum, & solum facit vt magis publicum sit.

V. Dubium. Restituens famam tenebiturne cum iuramento se falsum dixisse testari?

R. tenebitur, si ad faciendam fidem fuerit necessarium.

VI. Dubium. Qui non potest famam restituere, tenebiturne loco famæ pecuniam dare?

R. cum Ric. & Adr. in hac materia, qui asserunt famam esse restituendā, si non in toto saltem in æquiualēti. & per æquiualens aliqui pecuniā intelligūt. quia fama est pecunia æstimabilis. & vt lædens in bonis corporis, quia membrum resarciri nō potest, tenetur pecuniam restituere: ita qui non potest restituere famam, &c. idem est iudicium de rest. honoris: vt si quis aliū fustibus percutiat, aut alapā impingat.

Soto li. 4. q. 6. art. 3. ad 4. Syluest. verbo detractio.

QVAESTIO DE RESTITVTIONE EX BELLO INIVSTO.

Alex. Alen. q. 47. m. 3. in 3. p. S. Tho. 2. 2. q. 40. Ric. art. 5 q. 4. Soto lib 5. de iust. & iure q. 3. art. 5.

Art. An sit licitum Christianis bellum gerere?

CONCLVSIO.

Integrum est aliquando bella gerere. hæc est de fide, & oppositum est hæreticum. Ratio est: quia aduersatur diuinæ scripturæ asserere, bellū nunquā fuisse licitū, vt 1. Reg. 15. vbi præcepit Deus Sauli: vt demoliretur Amalech & vniuersum, &c. iratusque est Deus Saul. quia regem viuum seruauit. & D. Ioan. Bap. Luc. 3. dixit militibus cōteri estote stipēdiis vestris. vnde si illicitum fuisset bellum primum, vt à bello abstinuisset, persuasissent.

1. Reg. cap. 15. Luc. cap. 3.

I. Dubium. Vt bellum sit iustum, quot desiderantur?

R. tria. Authoritas, iusta bellandi causa, & recta militantium intentio.

CONCLVSIO.

Authoritas tunc ad bellandum concurrit, quando bellū gerens superiore caret, vel si habet, illius authoritate expeditionem bellicā parat. nam quia deest, qui satisfaciat, pro iniuria passo illata, ideo bellum geritur. & quando vterque lædens. s. & læsus sunt subditi, non est necessarium bellum, cùm possit læsus corā proprio iudice conuenire lædentem. atque ita requiritur principis, siue superioris authoritas. nō. n. sine eius facultate subditus multitudinem conuocare potest, si hoc ad sui defensionem faciat.

CON-

CONCLVSIO.

Causa iusta bellandi, vel est defensio innocentium, correptio viuentium cōtra legem naturalem, vel reperitio iniuste ablatorum, vel iusta delinquentium punitio: si enim sit gens damnans innocentes, illas debellare licet pro innocentium salute. dicitur namque in prouerbiis, Innocentem necesses liberare. tertiam & quartam per. concl. probat D. Aug. lib. 83. quæst. vbi ait, iusta bella, solent definiri, quæ vlciscuntur iniurias, si gens, vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est.

Prou. c. 14.

D. Aug.

CONCLVSIO.

Tunc recta est bellantium, siue militantium intentio, quondo bellum hostibus non animo sumendi vindictam, vel rerũ cupiditate, vel dominandi ambitione, sed propter aliquam proximæ conclusionis causam bellum infertur. præsertim, vt in pace viuatur. ait enim D. Aug. ad Bonifacium, non quæritur pax, vt bellum geratur & exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Et 10. Ethico. bellũ, inquit Aristot. geritur, vt in pace viuamus.

D. Aug.

Heresis.

Hinc, expugnatur hæresis Manichæorum omnia bella damnantium, & Lutheranorum error asserentium bellum aduersus infideles nullo modo esse licitum. quas confutat pater à Castro lib. 3. contra hæreses verbo bellum.

I. Diffic. Tenenturne gerentes bellum ad restitutionem, quando bellum ex defectu tantum authoritatis est iniustum?

De hac difficultate disputat Adr. in q. de restitutione belli.

CONCLVSIO.

Qui propria authoritate debitorem publicæ, siue occulte expoliat, vt rem suam, siue æquiualens assequatur, cùm possit illam iudicis authoritate recuperare, si armis aut cũ scandalo istud faciat, mortaliter peccat; non tamen est ad restitutionem obligatus. accipit namque contra ordinẽ iuris rem suam, & agit contra legem naturalem, & diuinum iuste enim, dicit Scriptura; quod iustum est, exequeris, & cum rem suam titulo recompensationis retineat, non erit restitutioni obnoxius.

Deut. 16.

Adr. vbi supra, Syluester. verbo bellum §. 9. Gabr. d. 15. q. 4.

II. Dif. qui plura intulit damna in bello, quam fuerit valor rei occupatæ. eritne restitutioni obnoxius?

CONCLVSIO.

Qui defendendo seipsum plus æquo aduersarium lædit ad

ad restitutionem damni illati tenetur. Ratio est, quia vnicuique licet seipsum defendere, & vim vi repellere, cũ moderamine inculpatæ tutelæ. Et est definita in ca. olim primo de restitutione expoliatorum. vbi habetur, excedentes modum in defensione teneri ad restitutionem excessus: est autem moderamen inculpatæ tutelæ, quando quis tantã defensionem, aut tantum aduersario nocet, quantum ad propulsandam iniuriam, & non amplius requiritur.

Intelligenda est conclusio de defendentibus se, & habentibus superiorem. nam si non habent, poterũt non solum seipsos defendere, verumetiam hostes in pœnã delicti punire, & persequi. *Limitatio*

CONCLVSIO.

Quando bellum est iustum, & superioris authoritate infertur, qui plus abstulit, quam ab hostibus debebatur, siue aggressor, siue defensor sit, ad restitutionem minime tenetur. Et ratio est; quia quando bellum est omnino iustum, qui gerit bellum est minister iustitiæ Diuinæ, & humanæ; atque ita poterit, vt iudex, & minister, in pœnam delicti retinere omnia, quæ ab aduersariis vltra rem à tyranno occupatam abstulit. quemadmodum iudex punit latronem in septuplum vltra rei furtiuæ precium. *Adria. Syluester & Gabri. est.*

Hinc, nostri Christianissimi Hispaniarũ reges, iure, quia iusto bello, regnum Nauarræ possident. APPEN.

Hinc quoq; reges, & principes iusta bella gerentes ciuitates, & oppida, quæ durante iusto bello occupauerunt, restituere non tenentur, quamuis hostis non abstulerit castella. APPEN.

CONCLVSIO.

Inducens bellum sine superioris authoritate, & iusta de causa ad recuperãdas res proprias ab aduersariis vsurpatas, quicquid vltra sibi debitum abstulerit, restituere tenetur. quia cum non sit iustitiæ minister aduersarium punire, vel ab illo quicquam, vltra sibi debitum auferre non potest: quemadmodum Dominus rei furto sublatę, furem in quadruplo punire nequit: vt potest iudex.

II. Diffic. Estne militi Christiano licitum pro redemptione alterius Christiani iusto in bello capti exigere, & recipere pecuniam? *Syluester. verbo seruitus. §. 3.*

CONCLVSIO.

Poterit miles tunc certam exigere pecuniam. Ratio est; quia princeps, durante bello iusto, est iudex contra hostes iniquum bellum gerentes: atque ita non solum morte, ve- *Caieta in summa verbo bellũ §. 3*

rum etiam priuatione bonorum illos castigare poterit. integrumque erit non solum bellantes; verumetiam cuiuscunque principis iniquum bellũ gerẽtis subditos capere, & pro illorum redemptione pecuniam exigere.

CONCLVSIO.

Princeps iniustum gerens bellum omne damnum suis subditis illatũ ab aduersarijs resarcire tenetur est enim causa damni subditorum, & qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. vt ex cap. finali de iniuriis constat.

Caiet. vbi supra. *3 Diffic Teneturne iustum bellum gerens statim, vt satisfactio offertur, à bello abstinere?*

CONCLVSIO.

Quando ante bellum inceptum satisfactio offertur, qui iustũ bellũ parat abstinere tenetur. Ratio est; quia bella gerere non est actus voluntatis, sed necessitatis. vt D. Aug. testatur, & refertur in cã. noli & oblata pace in principio belli nõ est amplius bellum necessarium. dummodo sit facta integra satisfactio, idest, restitutum ablatum, & omnes expensæ ad bellum gerendum factæ.

D. Aug.

CONCLVSIO.

Si pax, & satisfactio ab hostibus offeratur, quando iã semi præliatum est, vel prope finem belli, & sunt multæ hominum cædes factæ, gerens bellum iustum, neque satisfactionem admittere, neq; à bello abstinere tenetur, tametsi possit iudex quando incepit in causa criminali cognoscere, incepta causa nõ tenetur satisfactionem admittere, sed vsq; ad diffinitiuam sententiam procedere potest. & gerens bellum iustum contra suos hostes est in causa criminali iudex.

Gab. vbi supra. *IIII. Diffic. Licetne hostem iniuste bellantem interficere, quando deposita contumacia se subijcit?*

CONCLVSIO.

Quando hostes sunt damnati crimine proditionis: vt si princeps contra suos subditos rebelles pugnet, huius principis milites hostes etiam seipsos non defendentes occidere possunt. quia tunc milites sunt ministri iustitiæ, & vt hostes per carnificem erant suspendendi, ita gladio militum iuste interimi possunt.

CONCLVSIO.

Quando hostes non sunt tali crimine damnati, & libenter se in manus hostiũ deposita contumacia tradunt, quod vulgo dicitur, rendirse, nõ sunt interficiẽdi. nam cum gerãt bellum iniustum, sunt in mortali, atque ita illos impenitentes oc-

tes occidere nō est licitum. tum etiam bellum non geritur, nisi contra hostem iniuste pugnātem, & qui se subijcit deposita contumacia, nec pugnat, nec se defendit.

V. Diffic. Possuntne monasteria, & Ecclesiæ, clericorumque domus expoliari quando militibus oppidum expoliandum traditur?

CONCLVSIO.

Si bellum iustum contra Prælatum Ecclesię iniuste pugnantem geratur, clerici expoliari possunt. Ratio est, quia sunt subditi Prælati iniuste pugnantis.

CONCLVSIO.

Si bellum nō est contra Prælatum, sed aduersus tēporalem Dominum, neq; clerici, neque monasteria expolianda sunt, & damna à militibus illata sunt restituenda. hæc conclusio definitur in c. Innouamus. de tregua, & pace. & est Concilij Lateranensis sub Alexan. III. sunt etiam milites excommunicati Papali excommunicatione; vt in capite cō quæsti de sententia excommunicationis habetur. similiter expoliantes terras Romanæ Ecclesiæ: vt in bulla cœnæ Domini habetur.

VI. Diffi. An gerens bellum iustum quoscunque subditos, etiā innocentes partis aduersæ expoliare possit?

CONCLVSIO.

Quando ciuitas militibus in prædam datur, omnia bona ciuium, etiam innocentium, expoliari possunt. Quia omnes illi hostes censentur, & tota ciuitas vnum hostē repræsentat: atque ita milites inter vnum ciuem & alium discernere non tenētur Hæc Caietanus. Nihilominus tamen, si militibus constaret aliquem ciuem esse innocentem tenerentur illi ignoscere. Nam iniquum est innocentem punire. Quando ciuitas in prædam datur, quidam iure Canonico excipiuntur, qui quidem in canone. Innouamus. citato referuntur. Nam excipiuntur peregrini, & mercatores, hospites ad nundinas veniētes, & rustici eūtes, & redeuntes ad agriculturā; non autē domi existentes, & alij de qua re legē Caietanum vbi supra & Canonem patrenarum. 24. q. 3.

VII. Diffic. An princeps, qui iuste se defendit, possit pactum cum gerente bellum iniustum facere, ne damnum illatum suis subditis restituere teneatur?

Adria. tenet partem affirmantem; teneri tamē dicit principem ad resarciendum damnum, suis subditis per hostes illatum.

CONCLVSIO.

Quando aliter hostes expugnari non possunt, nec opidum ab hostium iniuria defendi, licitum erit remittere aduersariis damnum iniuste illatum, & non aliter. Ratio est; quia princeps quando expedit Reipub. vt in casu cõclusionis, ciues parte suorum bonorũ priuare potest. gerit. n. personam totius Reip. & habet maius dominium supra bona cuiuscunq; ciuis, quam ipsemet ciuis habeat. Sunt. n. dominia à iure ciuili introducta. tunc enim negociũ ciuium vtilius gestum est, cùm à maiori dispendio liberetur.

CONCLVSIO.

Si princeps pacem cum aduersario iniuste pugnãte constituat, & ne damnum ciuibus illatum restituere teneatur, concedat, tenebitur aduersarius, omne damnum restituere. quia omnis donatio, & remissio inuoluntaria est nulla: talis est hæc remissio. quia fit metu belli iniusti, & omnis talis metus facit actionem inuoluntariam.

VIII. Diffic. An qui ex negligentia subditos ab aduersariis non defendit, ad restitutionem damni illati teneatur?

Supra responsum est quando explicauimus non obstantem, & non manifestantem, scilicet, iudicem, dominũ, ducem, aut principem, teneri ad restitutionem, quãdo possunt damnum impedire, & non impediunt: nisi forte iustã causam timendi aduersarium, habeant. tunc enim quamuis hostibus ciuitatem aliquam ad vitandum maius periculũ tradat, non peccat; neque ad restitutionem tenetur: vt ex difficultate proxima constat.

IX. Diffic. Tenenturne milites causam belli. iusta ne sit, an non examinare, an sola principis obedientia, illos compellentis, excusat?

Soto li. 5. q. 3. arti. 3.

Adria. vbi supra & Caieta. Verbo bellum, in summa de hac difficultate verba faciunt.

CONCLVSIO.

Milites, qui sunt principi gerenti bellum subditi, belli iustitiam examinare nõ tenentur, sed ratione obedientiæ excusantur. si tamen iniustitia fuerit illis ignota. nam vt carnifex non tenetur examinare causam hominis suspendendi, ita neque milites belli causam. Definita est in cap. quid culpatur 23. qõ. 1. & est beati Augustini.

B. Aug.

CONCLVSIO.

Milites conducti, vel vocati, prius belli iustitiam examinare

nare tenētur; sin minus solum ad illud, in quo facti sunt locupletores, restituendum obligantur. Ratio est; quia possessor bonæ fidei, posteaquam distraxit alienum, non tenetur æquiualens, sed illud tantum, in quo locupletatus est, restituere: vt si ex gēma in bello capta locupletatus sit vsq; ad quinque, licet ipsa decem valeret, quinque dumtaxat restituere tenebitur.

X. Diffic. Tenēturne omnes milites iniuste bellantes prædam ciuitatis insolidum restituere, an quod vnusquisque tantum abstulit?

Caieta. 2. 2 q. 62. art. 7.

CONCLVSIO.

Tenentur in solidum ad totam prędam, nisi impotentia restituendi excusentur. quia quilibet est causa prædæ. mutuo enim se adiuuabant; quandoquidē vnus solus totā ciuitatem expoliare non poterat. si autem fuerit præda Romanæ vrbis, vel terrarum Romanæ Ecclesiæ, milites, & ad restitutionem tenētur, & Papali excommunicatione Cœnæ Domini ligantur.

Caietā. verbo excommunicatio cap. 1.

XI. Diffic. Teneturne milites restituere, quæ ab hospitibus & ex alienis vineis, aut agris accipiunt?

CONCLVSIO.

Potest consuetudine introduci, vt rustici alicuius principis iustum bellum gerentis milites tempore belli alere teneantur, præsertim, si bellum est ad rusticorum possessiones defendendas. Ratio est; quia talia alimenta naturā tributi habent; & vt est consuetudine introductum milites hospitio gratis recipi, ita introduci potest, vt quilibet ciuis gratis suum militem alat.

CONCLVSIO.

Tenentur milites restituere omnia spolia, ex omnibus vicinis, vel eorū agris, qui non sunt hostes, ablata, vbi nō fuerit talis consuetudo, quia alienū in vito Domino auferunt.

QVAESTIO DE RESTITVTIONE VECTIGALIVM.

Soto lib. 3. q. 6. art. vltimo & lib. 4. q. 6. artic. 4.

Primo loco explicandum est, qua ratione hæc nomina Vectigal, Census, Pensio, Tributum, Duana, Pedagium, Talia, & Gabella differant, quæ à Sylue. Verbo gabella explicantur.

Census est nummus, qui soluitur à Republica secūdum quantitatē, quam quisque possidet. & Hispanicè dicitur,

(pecho) Vnde hodie idem sunt Cēsus, & tributum. Nam olim Census erat pensio, quā ciues pro capite principi tribuebant, & in aliquibus locis hodie (martiniega) vocatur. daturque in signum subiectionis.

Vectigal est pensio, quæ ex mercibus venditis soluitur, & differt a Censu fine, & materia. finis enim Cēsus est subiectionis protestatio, & materia nūmisma; Vectigalium autem finis est rerum publicarum, scilicet, murorum, pontium, &c. reparatio. Vocatur Hispane, alcauala; & idē omnino est gabella, soluiturque decima mercium pars.

Pedagium est pensio, quæ à viatoribus ad custodiendas vias à latronū incursu soluitur. Hispanicè (portazgo) nominatur.

Duana idem est, quod vectigal, distinguiturque in hoc quia soluitur pro rebus venalibus, quæ ab vno regno ad aliud vendendæ transportantur.

Talia est collecta, siue pensio, quæ principi secundum quantitatem bonorum cuiuscunque ciuis datur. & est idē quod Census.

Tributum proprie est pensio, quæ pro alendis militibus soluitur. & stipendium appellatur.

Art. An vectigalia quæ hodie Regi, & magnatibus in Hispania soluuntur, licita sint?

Absoluetur Art. duobus expositis. Primum, quis possit Vectigalia imponere. Secundum quibus de causis licite imponantur.

CONCLVSIO.

Princeps quicunque superiore carens vectigalia imponere potest. Definita est in Concilio Lateranen. & habetur in cap. Innouamus de Censu: vbi excommunicationis sententia feriuntur noua vectigalia sine authoritate, & consensu Regum, & Principum imponentes. & latius ab Innocentio 111. in cap. super quibusdam de verborum significatione, confirmatur.

APPEN. Hinc, Respublica nulli subiecta. vt Venetorum, & Genuensium noua vectigalia imponere potest. Nam princeps quoque dicitur, qui nulli subijcitur.

APPEN. Hinc, duces, & comites regi subditi noua vectigalia, vel obsequia imponentes sine principis authoritate, excommunicati sunt, & ad restitutionem tenentur.

APPEN. Hinc, vectigalia, vel obsequia, quæ antiqua consuetudine Dominis soluūtur, iuxta Concilium Lateranen licita sunt.

CON-

CONCLVSIO.

Octo sunt causæ, quibus noua vectigalia imponi possunt Prima, ratione expensarum ad bellum pro defensione ciuitatis, aut regni ineundum.

D. Anton. 2.p.cap. 13. §.2. Gabr. dist. 15.q.5. art. 2.

Secunda, propter expensas ad bellum iustum alijs inferendum.

Tertia, ad redimendum Dominum in bello iusto pro ciuibus captum. nam si bellum esset iniustum, esset ex proprio patrimonio redimendus.

Quarta, pro vtilitate publica: vt ad construendū, aliquod ædificium. & habetur in cap. cum Apostolus de Censibus

Quinta, ad redimendam rēpublicā ab alio onere: vt si ciues inter se pecuniam ad tributum redimendū colligerent.

Sexta, quando princeps non haberet patrimonium ad regiam maiestatem conseruandam. & est S. Tho. in Epistola ad Ducissam Brabantiæ.

Septima, propter locandam regis filiam, siue prolem regiam commode alendam.

Octaua, ad redimendam prolē regiam ab hostibus captam, vel liberandum regnum ab aliquo obsequio, quod hostibus soluitur. Additur his vltima ad satisfaciendum læsis in bello iniusto: vt si aliqua Respublica iniusto aliquos dānificauerit. & hæc satisfactio vocatur Sissa, quæ imposita fuit, finitis bellis ciuilibus, quæ (Cōmunidades) Hispanicè vocabātur. rationi si quidē consentaneum est, vt Respublica quibus damnū intulit, satisfaciat. Ratio autem harū omnium causarum eadem est, nēpe, cōmunis vtilitas. nā quicquid in maiestate regia commode, & nō superflue sustentanda expenditur in communem vtilitatem redundat.

CONCLVSIO.

Quæ modo in regno Castellæ vectigalia imposita sunt, iuste à rege exiguntur. sunt enim necessaria ad custodiēda regna in terris maritimis. Vbi cōtinuo milites propter incursum Saracenorum, & aliorum infidelium existūt: & ad alendum exercitum triremium, quibus via maris defenditur, quæ omnia sine magnis expensis à ciuibus collectis diu conseruari haud possent.

CONCLVSIO.

Iuste quoq; à rege Hispaniarum, etiā si nulla essent bella exigerentur. nam ciues tenentur regiam maiestatem alere. Alioqui enim non haberetur aliquod patrimoniū, quo rex, & regia proles sustentarentur.

Hinc, cū magnates Hiſpaniæ à rege vectigalia emerint iure optimo illa poſſidere dicuntur.

APPEN.

I. Diffic. An Princeps immolerata Vectigalia exigere poſſit?

CONCLVSIO.

Rica. in. 2. diſt. 44. ar. 3. q. 1.

Rex, ſeu Princeps iniuſta vectigalia exigere non poteſt. dicuntur autem iniuſta, ſiue immoderata, quando aliqua cauſa iuſta exigendi ex dictis in proxima difficultate, non ſubeſt. Et ratio eſt; quia bona ciuium ſunt propria, & non Dominorum. Vnde ſi iniuſtis vectigalibus grauarētur, Rex tunc ad reſtitutionem eorum, quæ iniuſte exigit teneretur.

CONCLVSIO.

Omnes magnates noua obſequia à ſubditis, vel à priuatis exigentes, & peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur. Definita eſt in cap. ſuper quibuſdam de verborum ſignificatione.

Gab. vbi ſupra. q. 6. Caietan. in ſumma verbo vectigal.

II. Diffic. Defraudans vectigalia iuſta teneturne ad reſtitutionem?

CONCLVSIO.

Qui non ſoluunt vectigalia iuſta, quando exactores conducentes vectigalia petunt, mortaliter peccant, & ad reſtitutionem tenentur. ſunt enim reditus Reipublicæ vel principis, & qui non ſoluit reditus vero, & iuſto Domino mortaliter peccat. & eſt reſtitutioni obnoxius, quid? quod Chriſtū Ieſum legimus ſoluiſſe tributū, & dixiſſe, reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari.

Matth. 22. Luca ca. 20.

I. Dubium. Tenebiturne ſoliturus vectigalia, tributorum exactores quærere ad ſoluendum?

CONCLVSIO.

Secundum conſuetudinem Hiſpanicam nullus tenetur vectigalia ſoluere, donec à quæſtoribus exigantur; tenetur tamen non conſummare venditiones occulte, aut ſi occulte vendat, quæſtori ſignificare, vel ſi pedagium fuerit ſoluendum, tenetur nō diuertere à via, ne quæſtores, vel portitores decipiantur. El ratio eſt; quia retinens vectigal donec exigatur, & eſt paratus ſoluere, non retinet inuito Domino, atque ita non peccat.

APPEN.

Hinc, vendentes proprias merces in foro, nec quæſtorem vectigalis quærere, neq; venditionem manifeſtare tenētur. ſatis enim ſuperq; in petendis vectigalibus vigilant.

APPEN.

Hinc, faciens contractum palliatum titulo, nimirū donationis, cùm ſit vera venditio; vt quæſtorem decipiat, ad vecti-

vectigalium restitutionem tenetur. Similiter, qui extra terminum ciuitatis, aut coram scriba occulte venditionem cælebrant.

CONCLVSIO.

Non soluens vectigalia tenetur habere animum paratũ soluendi, quandocunq; petantur, sunt enim debita ex lege, & aliena, alioquin mortaliter peccabit: iniusta vero vectigalia non sunt soluenda. Et si soluantur, sunt restituenda.

III. Diffic. Domini temporales pedagia exigentes pro tutandis vijs, si fuerint negligentes, tenenturne viatoribus spolia à latronibus capta restituere? Gab. q. 1. ar. 7. Medina. q. 14.

CONCLVSIO.

Si sufficientem diligentiam in relegandis latronibus non adhibeant, spolia capta restituere tenentur. Nam inter soluentes pedagia, & Dominos temporales est contractus mutuus assecurationis, & licitus: quapropter, si viæ non fuerint tutæ, viatoribus damnũ resarcire tenentur. sunt enim Domini temporales præsides viarum, & præsides prouinciarum tenentur omne damnum per suam negligentiam innocentibus illatum restituere: vt constat toto titulo. ff. de officio præsidis.

Hinc, si sufficientem adhibuerint diligentiam, non tenebuntur capta à latronibus restituere. quia tunc non sunt damni causa. APPEN.

Est autem sufficiens diligẽtia, quando satellites ad compræhendendos latrones mittuntur.

IIII. Diffic. Quando Domini sunt negligentes eruntne viatores obligati ad soluenda pedagia?

Gabr. & Angelus tenent viatores tunc, neque peccare, neq; obligari ad restitutionem. Oppositum defendit Medina de restitutione. *Vbi supra. q. 14.*

CONCLVSIO.

Tunc defraudantes pedagia neq; peccant, neq; tenentur ad restitutionem. quia cessante causa finali legis in lege expressa, cessat legis obligatio. & in lege pedagiorũ exprimitur causa. s. pro tutãdis vijs. quare si via latronibus abũdat. cessat obligatio soluendi pedagia.

V. Diffic. Quæ personæ excipiuntur à solutione gabellarum?

CONCLVSIO.

Clerici in maioribus ordinibus constituti à sub diaconatu, scilicet, vsq; ad Sacerdotium, & monachi, atq; moniales

les à cuiuſcunque tributi ſolutione exēpti ſunt, exactores quod excommunicati ſunt, & ad reſtitutionem tenentur. Definita eſt in cap. quanquam de cenſibus lib. 6.

APPEN. Hinc, principes Eccleſiaſticos, aut religioſos compellere non poterunt: vt hoſpites recipiant, vel Siſſam ſoluant, quæ in cibis emendis imponi ſolet. Medina vbi ſupra tenet, clericos primæ tonſuræ hac immunitate gaudere, quod eſt contra totius Hiſpaniæ vſum, & in iure Canonico non habetur. nam in cap. quanquam citato, ſolum fit mentio Eccleſiaſticorū, & in cap. aduerſus, & in cap. meminimus de immunitate Eccleſiarum. habentes autem primam tonſuram non ſunt Eccleſiaſtici. quāuis. n. priuilegio canonis, ſi quis ſuadente, gaudeant, non tamen priuilegio fori, iuxta decretum Concilii Tridentini. Seſſ. 23. cap. 7.

APPEN. Hinc, portitores pedagia à clericis, vel pro ſeipſis, vel pro rebus ſuis deportandis exigentes excommunicati ſunt, & ad reſtitutionem tenentur, ſi ſint in maioribus ordinibus conſtituti: non autem ſi in prima tonſura.

CONCLVSIO.

Quando Reſpublica penuriā patitur, ex conſenſu Rom. Pont. à clericis, & religioſis gabellæ exigi poſſunt. Definita eſt in cap. aduerſus, de immunitate Eccleſiarum.

CONCLVSIO.

Clerici ementes merces, non vt illis vtantur, ſed negotiādi cauſa, illarum vectigal, & pedagium, cæteraque tributa, quæ à laicis ſoluuntur, ſoluere quoque tenentur. Definita eſt expreſſe in cap. quanquam, allegato.

II. Dubium. Suntne clerici iure diuino, an humano a tali ſolutione immunes?

Medina de reſtitutione q. 15. defendit iure regio, & non Canonico eſſe immunes.

CONCLVSIO.

Non ſunt iure regio tātum exempti. Neque enim poſſet Papa tunc excommunicare reges reuocantes ſua priuilegia: vt de facto excommunicat. quemadmodum ex text. proxime citatis conſtat. quid? quod in cap. quanquam prædicto, clerici iure diuino immunes à ſolutione gabellarum eſſe dicuntur.

VI. Diffic. Suntne alij præter Eccleſiaſticos à ſolutione tributorum liberi?

CONCLVSIO.

Si noua Siſſa, quæ ab emptoribus ciborum exigitur. ſit,

sit, v. g. in vtilitatem huius solius Reipublicæ, à peregrinis exigi non potest, quia iniquum est, vt damnum patiantur, qui nullum sentiunt commodum. Secus est si ex antiqua consuetudine, vel in vtilitatem totius regni soluatur. tunc enim exigi potest. vt constat in cap. super quibusdam de verborum significatione lib. 6.

CONCLVSIO.

Temporales Domini, mercium quæ in suis nundinis vendendæ deferuntur; vectigalia exigere possunt. quia parati sunt eos defendere, & ius dicere, & à quauis iniuria liberare. non tamen collectas, quæ sunt quoddam genus tributorum à suis tantum soluendum, à peregrinis possunt exigere.

CONCLVSIO.

Iniquum est in ingressu ciuitatis vectigal exigere pro rebus, quæ non ad vendendum, sed ad propriam vtilitatem deferuntur. quia materia vectigalium sunt tantum res venditæ: vt cōstat in lege vniuersi, Codice de vectigalibus, nisi ratione antiquæ consuetudinis soluantur, vt in cap. super quibusdam, citato habetur.

III. Dubium. Qui lege prohibente sub pœna confiscationis merces ab vno regno in aliud vendendas defert, teneturne merces confiscatas restituere?

R. non tenetur ante confiscationem. Ita tenuit glossa communiter recepta in cap. fraternitatis. 12. q. 2. licet tales leges sæpissime ad mortale obligent propter damnum, quod ex tali deportatione Reipublicæ infertur. sed de iis infra.

IIII. Dubium. Custos, qui merces impedire tenebatur, si corruptus pecunia, vel ex malicia, aut negligentia, non impediat, tenebitur quæstori conducenti reditus pœnales ad restitutionem?

Medina. q. 15. de restitutione ad finē citat D. Bernard. dicentem, non plus teneri custodem, qui fraudem committit, quam qui illum prætio corrupit: & cum iste non teneatur nisi per sententiam, neq; custos tenebitur. Oppositum defendit Medina dicens teneri; ratione fraudis. sed probabilior est sententia D. Bernardi. Et ratio est, quia corruptor etiam commisit fraudem, tamen restituere non tenetur ante sententiam. D. Ber.

QVAE-

Soto. lib. 4. de iust. & iure. q. 6. art. 4. & Medina q. 12.

QVAESTIO DE RESTITVTIONE PROPTER VENATIONEM.

Art. Vtrum qui venatur bestias, vel aues in alieno prædio teneatur ad restitutionem?

CONCLVSIO.

Si predium est vndiq clausum, ingrediens ad venandum bestias furtum committit, & ad restitutionem tenetur. quia quãuis bestiæ illæ sint feræ: sunt tamẽ captæ, & veluti passeres in vinculis, & constitutæ sub Dominio detinentis.

CONCLVSIO.

Si illas extra prædium clausum venetur, & non consueuerunt ad prędium redire, furtum minime committit, secus autem si ad prædium redire consueuerunt. Patet; à simili, vt si quis nutriret seruum domesticum consuetum domũ, vbi nutritur., redire, habet illius dominium, etiam si extra domũ vagetur. & idem est iudicium de aliis. amittitur autem dominium, si redire nõ consueuerunt: vt definitur expresse in §. fere bestiæ instistuta de rerum diuisione. Nam iure gentium per fugam à custodia bestiæ pristinã libertatẽ assequuntur. atq; ita cuiuscunq; capientis efficiuntur.

CONCLVSIO.

Si prædium est apertum, etiamsi Dominus prædij possit alicui venationem impedire, qui bestias, ibi habitãtes venatur, restituere non tenetur. Quia nullius sunt Domini, cum ibi neq; captæ neq; detentæ sint, atque ita capientis efficiuntur; vt ex §. proxime citato constat.

Soto Medin vbi supra.

I. Diffic An capientes columbas alieni columbarij ad illarum restitutionem teneantur?

CONCLVSIO.

Qui occidit columbas intra alienum columbarium furtum committit, & ad restitutionem tenetur. quia tales columbæ sunt peculiaris Domini, qui illis cibum, & domum ministrat.

CONCLVSIO.

Interficientes columbas extra columbarium vagantes, & ad columbarium redire consuetas, furtum committit, nisi statuta municipalia hoc permitstant post certum à columbarijs spacium, nam vt est reus furti, qui occidit gallinam extrra domũ vagantem, ita qui columbam interimit, quæ ad co-

ad columbarum redire consueuit: post spacium autē decretum à lege iam Syluestris, & nullus Domini esse iudicatur.

CONCLVSIO.

Qui columbarium ædificant absq; consensu habentium agros finitimos mortaliter peccant, & rei sunt furti. Propterea quod columbæ, quamuis habeāt pastum sufficientem, finitimas segetes deuastare solent. Concensus tamen debet esse, vel expressus, vel tacitus, & si tacitus consensus præcesserit, tenebitur Dominus columbarij quocunq; tempore contradicentibus, vel satisfacere, vel columbarium destruere; nisi consuetudo regionis, vel legitima præscriptio illi suffragetur. Nam visi sunt ad tempus consentire, nō tamen in perpetuum. quod si expresse cō senserint, & postea reclamauerint, non tenetur Dominus columbarium destruere. quia prior concensus expressus, fuit donatio, & tributum super finitimas terras constitutum. Caiet. in summa verbo columbarium.

CONCLVSIO.

Aedificans columbarium si artificiose grana proponat: vt ad se alienas comlumbas trahat, furti est reus. Nam vt est reus furti qui ingreditur alterius columbarium, ita quī artificiose facit, vt pristinum columbarium deserant.

CONCLVSIO.

Habentes columbaria tenentur columbis pastum administrare. alioquin ad damnum finitimis agris à columbis illatum resarciendum obligabuntur. quia habens columbarium sine pastu est damni causa.

CONCLVSIO.

Leges ciuiles prohibētes Venationem, siue piscationem, siue aucupium, capiētes ad restitutionem minime obligāt. Propterea quod, cum bestiæ feræ nullius sint Domini, illas capientes nō accipiunt alienum, quod est restitutionis prinpium. sunt tamē tales leges iustę, & Reipblicę vtiles. quia tēpore, quo animalia suos nutriunt fœtus, illarum captionem prohibent.

QVAESTIO DE CAEDENTIBVS LIGNA, ET PASCENTIBVS OVES IN ALIENIS AGRIS.

Soto libr. 4. q. 6. art. 4. Medi. vbi supra.

Art. An cadentes ligna, ex alieno nemore, vel pascentes ibidem oues ad restitutionem teneantur?

CON-

CONCLVSIO.

Quamuis nemora, & montes de lege naturali sint communia, nihilominus tamen aliquis eorum dominium præscribere potest; quãtum ad pœnam tãtum abscindentibus ligna & arbores exigendam non tamen præscribere potest: vt ante condemnationem ad aliquam restitutionem ligna scindentes teneantur. Nam vt aues, & pisces sunt cõmunes, ita nemora, montesque lege naturali communia sunt, & vt nõ potest quis præscribere dominium ferarum, ita vt illas capiens in conscientia ad restitutionem teneatur, perinde de nemoribus, & montibus censendum est.

CONCLVSIO.

Quando nemora sunt communia alicuius oppidi, oppidani ligna scindentes, neque peccant, neque ad restitutionem tenentur. Quia alienum non accipiunt. nam quod est commune, est etiam singulorum. Hæc conclusio sequentibus conclusionibus explicatur, & limitatur.

CONCLVSIO.

Oppidani magnam stragem in communi nemore facientes tenentur ad restitutionem. fit enim iniuria toti illi Reipublicæ, perinde enim est magnam partem lignorum cædere, atque illa comburere.

CONCLVSIO.

Qui scindunt ligna ex nemore finitimi oppidi, aliud habentis nemus, non committunt furtum. quia oppidani finitimi ligna sibi ipsis condonare videntur.

CONCLVSIO.

Si autem vicinum oppidum non habet nemus, illius oppidani ligna ex nemore vicino sine crimine furti scindere haud possunt. Quia vicini hoc consentire minime censentur.

CONCLVSIO.

Si nemus peculiaris Domini fuerit, ex illo ligna scindentes, & mortaliter peccant, furtumque committunt, & ad restitutionem tenentur. Propterea quod alienum inuito Domino accipiunt. cum arbores non communes, sed particulares sint.

Idem omnino quod de scindentibus ligna dictum est, est etiam de pascentibus oues, & armenta in alieno agro, tenendum.

QVAE-

QVAESTIO DE RESTITVTIONE INIVSTITIAE IN IVDICIO COMMISSAE.

Alexan. Alen. 3. q. q. 40. S. Tho. 2. 2. q. 64. art. 3. Ric. art. 3. q. 26 Syluester. verbo iudex. 2. §. 2. Soto lib. 5. 4. art q. 2.

Art. Iudex proferens sententiam contra conscientiam, & iudicans secundum allegata, & probata, teneturne innocenti satisfacere?

V.G. si Petrus duobus testibus fide dignis de furto, aut homicidio conuincatur, quem iudex innocentem esse nouerit.

Duæ sunt opiniones. Prima tenet iudicem teneri ad absoluendum innocentem. Secundam & contrariam opinionem graues Doctores defendunt, quos citat Caiet. 2. 2. q. 67. s. Alex. Alen. S. Tho. Ric. Palu. suntque pro vtraque opinione multa, & probabilia argumenta. Adrian. vero quolib. 2. & 3. asserit, in causa criminali nō licere iudici dānare innocentem, bene tamen in causa ciuili.

CONCLVSIO.

Si in tali casu iudex fuerit inferior, non est iudicaturus secundum allegata, & probata, neque contra conscientiā, sed debet superiori causam definiendam remittere; ita vt testis efficiatur. Nam aliter damnando innocentem contra conscientiam, & absoluendo illum contra Rempublicam ageret. quia omnes hunc reum esse mortis secundum allegata, & probata arbitrantur. tum etiam, quia tunc concurrunt duo præcepta incompossibilia, vnum, quo secundum allegata, & probata iudicare tenetur. Alterum quo ad liberandum innocentem obligatur: & cum huius secundi trāsgressio, magis quam primi obliget, causam reuocare, & testis fieri tenebitur.

Prouerb. 24.

CONCLVSIO.

Iudex inferior, qui scit accusati innocentiam, & testium malitiam, poterit malitiam varijs interrogationionibus detegere, & si res postulauerit publice proclamare. manifestā do accusati innocentiam. Quia tunc nulla fit testibus iniuria. Nam ipsi sibi ipsis iniuriam irrogarunt falso innocentem accusando.

CONCLVSIO.

Iudex superior causam delegare, & testis fieri debet. quia quantum in se est, semper media ad liberandum innocentem quærere tenetur.

CON-

Quæstio

CONCLVSIO.

Iudex damnans contra conſcientiam innocentem, probatum nocentem, omne damnũ illatum reſtituere tenetur quia potuit illum liberare, cauſam alteri remittendo, & tamen noluit.

S.Tho. 2.2. qõ.67.art.1 3.& 4. Alexã. Alen. vbi ſupra art.3. Sylueſt.verbo iudex. 1.§. 12.

I. Diffic. Quando iudex propter iniquam ſententiam ad reſtitutionem tenebitur?

CONCLVSIO.

Iudex litigantem damnificans ex malicia, vel negligentia ſtudendi, aut ex ignorantia craſſa iuris ciuilis, ſiue municipalis damnum illatũ reſtituere tenetur. Quia fuit cauſa dãni; vt conſtat ex cap.finali de iniurijs.

APPEN.

Hinc, iudex ex malitia iniquam proferens ſententiã, & principale, & expenſas reſarcire tenetur: perinde ac ſi ex negligentia ſtudendi, ſi tamen ſententia fuerit exequutioni mandata. Si autem pars læſa appellauerit, expenſas tantum reſtituere tenetur. Idemq. eſt dicendum de iudice ex ignorantia craſſa iniuſtam ſententiam proferente.

APPEN.

Iudex, qui ſententiam vltra terminos iuris differt, cum illam finire poſſit, expenſas reſtituere tenebitur. quia eſt huius damni cauſa.

CONCLVSIO.

Iudex inferior delinquenti, vel accuſatori pœnã ex lege fiſco applicandã remittens, illã ſoluere tenetur. propterea quod cõmittit iniuſtitiam cõtra alterum litigantium, cui erat pœna applicanda, cum ſecundum legem pœnalẽ ſententiam ferre teneatur.

CONCLVSIO.

Iudex reum non ſibi ſubditum condemnans ad totius damni reſtitutionem obligarur. quia agit contra iuſtitiam; cum nõ ſit niſi ſuorũ ſubditorũ iudex, eſt autẽ non iudex, qui neq; eſt ordinarius, neq; delegatus, neq; arbiter.

Hinc, iudices laici, qui plerumq; clericos primæ tonſuræ ad tribunal Epiſcoporum appellantes puniunt, expenſas in iudicio factas, & principale ſoluere tenentur.

CONCLVSIO.

Iudices ab Eccleſia per violentiam aliquem extrahentes, omnia damna templo illata tenentur reſarcire. quia iniuſte tunc procedunt.

CONCLVSIO.

Iudex non condemnans partem aduerſam in expenſis condem-

condamnandam, illas soluere tenetur. Constat per l. sanximus C. de iudicibus; si tamen pars hoc in libello petierit. Alioqui non tenetur proferre sententiam, nisi circa petita in libello.

CONCLVSIO.

Iudex condemnans reum nocentem, non conuictum legitimis probationibus confessione, scilicet, & duobus testibus, sed semiplena tantum probatione, vel indiciis, vel vnico tantum teste, damnum, etsi fuerit vere reus, restituere tenetur. nam agit contra iustitiam. quia deficientibus legitimis probationibus, iudex iurisdictione caret.

CONCLVSIO.

Iudex reum nocentem inauditum, neque edicto vocatum, condemnans, licet vere sit reus, tenetur ad damni illati restitutionem. agit enim contra ordinem naturalem, & diuinum condemnãdo partem inauditam. & ideo tunc desinit esse iudex.

CONCLVSIO.

Iudex in ciuili, vel criminali causa reum etiam nocentem sine accusatione condemnans, tenetur ad totius damni restitutionem. Constat ex cap. inquisitionis, & qualiter, & quando de inquisitionibus. & nota ex Gloss. Gen. 4. tria esse, quæ vicem accusatoris supplent; scilicet, publicum delictum, vel infamia, & contumatia contra Ecclesiam, qua ratione per viam inobedientiæ Ecclesia contra hæreticos, & alios contumaces procedit. & quando crimen coram iudice, & aliis committitur. Iudex autem sine aliquo istorum iniuste damnat.

Hinc, Prælati religionum non poterunt delinquẽtes publice nulla damnatos infamia condemnare. est enim cõtra cap. inquisitionis citatum. APPEN.

I. Dubium. Tenenturne iudices accepta per concussionem restituere?

Supra teneri ad restitutionem responsum est.

II. Diffic. Quando accusator ad restitutionem tenetur? *Alexan. Alen. 3. p. q. 42.*

Nota accusatorem posse iniustitiam committere, vel per calumniam, falso accusando, vel præuaricando, vt quando partem deserit, & cõtrariæ parti, quam impugnare debebat suffragatur, vel tertio per tergiuersationem desistendo à causa publica.

CONCLVSIO.

Accusator altero istorum trium modorum iniustitiam

committens, tenetur accusato ciuiliter condemnato, damnũ illatum restituere, quia agit iniuste, & est damni causa.

PEN. Hinc, accusator proprio nomine, vel alieno, vt procurator, sindicus, solicitator, cui dictum est causam esse iniustã, si per calumniã in accusatione perseueret, ad restitutionem tenetur.

APPEN. Hinc fiscus qui nomine Reipublicæ accusat, si tacite reũ defendat, aut per tergiuersationem ab accusatione desistat, si causa fuerit ciuilis tenetur Reipublicæ principale, & expensas restituere, si autem criminalis expensas tantum; & si aliquod aliud damnum illatum est.

III. Diffic. Quando accusatus ad restitutionem tenebitur?

Alexan. Alen. 3. p. q. 41. S. Tho. 2. 2. q. 69. ar. 4. Soto lib. 5. de iu. & iur. qõ. 6. art. 4. Soto vbi supra.

CONCLVSIO.

Si reus in iudicio ciuili, aut criminali semiplena probatione conuictus veritatem negauerit, omnia damna parti læsæ restituere tenebitur. Ratio est; quia diffitendo veritatem, quam confiteri tenebatur, aduersæ parti damnum intulit.

II. Dubium. Accusatus aliquo crimine poteritne ante, vel post condemnationem, carcerem fugere, vincula dirumpere, & fores absq; peccato infringere, & se a ministris iustitiæ sine aliqua iniustitia defendere?

CONCLVSIO.

Si damnatus ad mortẽ fuerit legitimis probationibus conuictus, aut conuincendus, seipsum armis à ministris iustitiæ ne compræhendatur defendere nõ poterit. qui enim inquit

ad Rom. 13 B. Pau. ad Ro. 13. potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

CONCLVSIO.

Si accusatus fuerit innocens, & probatus nocens, à ministris iustitiæ & à iudice armis se defendere põterit. Nã vt licet defendere se à latronibus, ita & à falso iudicio, licet iudex recte secundum allegata, & probata, procedat. nisi, vt dicit S. Thomas vbi supra, ex tali defensione scandalum timeatur. nam tunc potius mortem subire, quam scandalũ in detrimentum spirituale cæterorum, admittere tenebitur.

CONCLVSIO.

Quando carcer datur in pœnam iuste damnato, siue dãnando ad mortem, aut alias pœnas, sine peccato carcerem fugere aut vincula dirumpere non licebit; quia iustæ sententiæ iudicantis parere tenetur. qui enim potestati resistit &c.

ad Rom. c. 13.

APPEN. Hinc, si alicui in pœnam præcipiatur: vt intra Ecclesiã, vel castrum, vel alium locum maneat, talem locum egrediendo peccat.

CONCLVSIO.

Si carcer datur ante iudicis sententiam in custodiam tātum, reus etiam ad morrem damnatus carcerem fugiendo, vincula frangendo &c. non peccat. quia tunc nō præcipitur reo; vt aliquid agat, atque ita non facit contra iudicis obedientiā. solum namque tenetur habere animum paratū ad subeundum pœnas infligendas. Hæc est contra Henricum quolib. 25.

III. Dubium. Licetne etiam cuicunque alteri opem reo fugienti ferre?

CONCLVSIO.

Si minister iustitiæ fugæ delinquentis cooperatur, mortaliter peccat, & parti læsæ damnum resarcire tenetur. quia graue facinus iniustitiæ, & aduersus Rempublicam, & contra partem, cui nocet, committit.

CONCLVSIO.

Cæteri vero, qui ministri iustitiæ non sunt consiliū, vel auxilium reo fugam paranti præstantes, neque peccant, neque ad aliquam tenentur restitutionem. nisi ad illam, quā reus in conscientia parti læsæ facere tenebatur. quia nullus à cooperatione alicuius actionis licitæ, nisi per accidens ratione status prohibetur. Quare non peccabit occulte cooperando: vt si limam porrigat, dum modo non timeatur scandalum ex tali auxilio, seu consilio. quod non est timendū. si occulte auxilium præstetur. publice autem reo etiam innocenti auxiliari non licet.

CONCLVSIO.

Quamuis integrum sit carceri mancipato vincula, & parietes rumpere, nemini tamen licitum erit illū à carcere parietem rumpendo aut feras carceris frangendo extrahere. hoc enim est Reipublicæ manifestā vim & scandalum inferre. Nā hoc non esset reo auxilium præstare, sed illum aripere, & Deo, resistendo publicæ potestati, contradicere. si enim esset morte dignus frangēs fores priuatæ domus, quā to magis carcerem publicum rumpens? *ad Ro. 13*

CONCLVSIO.

Si existente in triremibus fugiant, mortaliter peccāt. Ratio est, quia caacer illis non in custodiam, sed in pœnā datur; nihilominus tamen redire nō tenentur. quia nullus tenetur se tradere iudici, nisi apprehendatur.

Alexan. Alen. 3. p. q. 43. m. 5. Caieta. 2. 2. q. 70. art. 4.

IIII. Diffic. Quando testes restitutioni sunt obnoxij?

CONCLVSIO.

Testis alium falso testimonio damnificãs ad restitutionem tenetur. est enim damni causa.

IIII. Dubium. Quid si præter intentionem, & ex obliuione falsum testimonium in iudicio deponat?

CONCLVSIO.

Si facta diligenti inquisitione, testis ex obliuione falso iurauerit, tenetur in continenti suam sententiam retractare, fidesque illi est adhibenda. ita expresse definitur in cap. præterea de testibus.

CONCLVSIO.

Si post aliquod temporis spacium testis suum testimonium retractauerit, eius retractatio secũdum iuris rigorem non est admittenda. Cæterum si iudex intellexerit testem esse fide dignum exequutionem sententiæ dilatare, & parti contrariæ: vt à causa desistat consulere tenetur. ita docet glossa in cap. præterea citato.

CONCLVSIO.

Si sententia fuerit iam exequutioni mandata ob falsum testimonium dictum ex inculpabili ignorantia, testis, tũc ad nullam tenetur restitutionẽ: non enim causa damni fuit, sed solum occasio. verum enim vero si sibi fidem adhibendam existimet, suam sententiam retractare tenetur. nõ coram iudice, sed corã parte aduersa, quæ ratione testimonij sententiam in iudicio obtinuit. quod si arbitretur se non posse aduersarium flectere, ad nullam retractationem erit obligatus. stultum si quidem est, frustra laborare.

Alexan. Alen. vbi supra Caietã. 22. q. 71. ar. 3. Soto q. 8. art. 3. vbi supra.

V. Diffic. Quando aduocati ratione iniustitiæ ad restitutionem tenentur?

CONCLVSIO.

Aduocatus, qui sciens, & volens causæ iniustæ patrocinatur, principale, & expensas parti læsæ restituere tenetur. est enim damni causa.

V. Dubium. Aduocatus, qui defendit causam iniustam ex ignorantia, tenebiturne ad restitutionem?

CONCLVSIO.

Si Aduocatus in principio litis causam ex negligẽtia non examinauit, & erat paratus ad quamlibet causam sine discrimine admittendam, est in statu pessimo, & parti læsæ omne damnũ cũ expensis restituere tenetur. quia ex causa damni: si vero illam discussit, & visa est probabilis, vel iniusta, est-

sta, estque aduocatus mediocriter eruditus, ad restitutionē tenetur, etiamsi postea causa iniusta appareat.

VI. Dubium. Quo tempore litis poterunt aduocati causa iustitiam, vel iniustitiam intelligere?

R. in quæstionibus de facto post testium apparitionē: at vero in quæstionibus de iure, vel principio litis, vel quocūque alio tempore, posteaquam recte studuerint, & intellecta iniustitia causam deserere, nō autem partem aduersam admonere tenentur.

V. Diffic. Quando tabellio erit restitutioni obnoxius?

CONCLVSIO.

Quando ex ignorantia suæ artis alicui damnum infert, v. g. si testamentū ex ignorantia fuit minus solemne, quam ob causam Petrus institutus hæres, hæreditatem amisit. Constat per regulam non est sine culpa, qui rei, quæ ad eū non pertinet se immiscet. de reg. iur. in 6. & intelligitur quoque regula de iudice, assessore, aut medico, qui ex ignorantia suæ artis aliquem lædit. *Alexan. Alen. & reliqui vbi sup.*

CONCLVSIO.

Quando tabellio instrumēta falsificat, falsos testes scienter recipit, testamenta, aut scripturas iustitiæ aliquorū suffragantes rumpit, vel compulsus à iudice non vult instrumenta alteri ad consequendam iustitiam necessaria exhibere; vel quando non seruat scripturas originalium, & in aliis id genus casibus, ad restitutionem tenetur. quia in his omnibus est aliis damni causa.

CONCLVSIO.

Tabellio scripturam continentem vsuram palliatā conficiens est restitutioni obnoxius; quia vsurarię iniustitię cooperatur. atque ita est damni particeps. Notāter dicitur; vsura palliata. nam si manifestam contineat, cum ratione cōtractus in iudicio vsura exigi non possit licet peccauerit mortaliter instrumētū conficiendo, restitutioni tamen non erit obnoxius. propterea quod nemini nocuit. nisi fortassis, quia contrahentes ad talem induxit contractum.

QVAESTIO DE RESTITVTIONE LEGIS POENALIS.

Art. An leges pœnales ad restitutionem obligent, antequam reus per iudicis sententiam condemnetur?

Duæ sunt extremæ opiniones. Prima affirmans Abbatis

in cap. canonum de constitutionibus, & in cap. delicti de arbitris, & Patris à Castro de lege pœnali.

Secunda, & negans est omnium Theologorũ, quos Sot. de iustitia, & iure citat. hanc quæstionẽ difficilem reddunt varia, & probabilissima pro vtraque parte argumenta.

Lib. 1. de iust & iur. q. 6. art. 6. Iacobus de Symancas in tractatu de institutionibus catholicis Medin. q. 1.

CONCLVSIO.

Nulla lex pœnalis dominio bonorũ temporaliũ priuans delinquentem, priuat illũ possessione, aut vsu fructũ suarũ rerum, ante iudicis condemnationem, siue declarationem, ita vt reus se à possessione, & vsu fructu abdicare teneatur. Constat ex definitione, & natura pœnæ, quæ est, vt pœna ab exequutore infligatur, & illã reus inflictam ab alio patiatur: homicida enim occidendus seipsum suspendere non debet. neque latro ex lege in quadruplo puniendus, pœnam in seipsum exercere, sed ab aliis impositam pati tenetur. nã lege naturali reus patiens ab infligente pœnam distinguitur. priuatio autem bonorum temporalium legis pœnalis pœna est.

CONCLVSIO.

Quamuis hæreticus iuste ante condemnationem, fructũ, & possessionem bonorum retinere possit; dominium tamen non habet, ita vt pro libito bona alienare valeat. Definita est in cap. cum secundum leges de hæreticis lib. 6. vbi dicitur, bona hæreticorum ipso iure esse confiscata, id est, à die commissi criminis: vt glossa ibidem docet.

APPEN. Hinc, hæreticus mortaliter peccat vendendo bona. quia iam sunt aliena; neque dominiũ in emptorem transfertur. quia post condemnationem emptores bona fisco reddere tenentur. peccauit quoq; emptor, si erat criminis conscius. Propterea quod peccato illius cooperatus est.

CONCLVSIO.

Fiscus compellens emptorem, vt bona ab hæreticis empta restituat, prætium reddere non tenetur, nisi in se, vel in suo æquiualenti, apud hæreticum reperiatur. nam vt dominus alicuius rei furto sublatæ, illam nullo restituto pretio sibi vendicare potest: ita & fiscus cum sit verus bonorum hæreticorum Dominus.

Vide glossam in dicto cap. cum secundum leges, citato. Notanter dicitur, nisi in se &c. quia cum sit res aliena. erit à fisco restituenda.

CONCLVSIO.

Non peccat hæreticus sua bona alienando si ex tali alienatione

natione onerosa, vel gratuita nullum fisco detrimentū sequitur, aut timetur. quia ratio ob quam alienatio prohibetur, quæ est fisci, detrimentum cessat.

Hinc, rem hæretici emens, vel dono accipiens, sciensque hæretici crimen, & præstans secretam cautionem reddendi fisco bona accepta, non peccat. APPEN.

CONCLVSIO.

Hæreticus sua bona ignoranti hæresim vendens, etiamsi pretium in arca seruet, vt à fisco ementi restituatur, mortaliter peccat. quia licet iniustitiam non committat, emptorē nihilominus decipiet. *Syluest. ver. hæreticus 1. §. 8.*

CONCLVSIO.

Hæreticus bona ad suam sustētationem necessaria alienare potest Nam, vt ex proxima conclusione constat, fructu suorum bonorum ante condemnationem nō priuatur.

CONCLVSIO.

Emens rem ab hæretico, fructus rei, etiam seclusa propria industria receptos fisco restituere non tenetur. vt si annuū censum emat. Nā, vt hæreticus fructus illos retinere, & cōsumere poterat, quemadmodum in prima conclusione patet, ita hoc ius in alium transferre potuit.

I. Diffic. Lex humana ciuilis, vel canonica poteritne reum ad pœnam obligare ante condemnationem?

Pater à Castro de lege pœnali partem affirmātem tenet. Soto autem de iustitia, & iure, partem negantem defendit, & Medina vbi supra.

CONCLVSIO.

Non potest legislator obligare reum in foro conscientiæ ad soluendam pœnam ante iudicis sententiam. lex enim siue legislator ordinem naturæ peruertere non potest. & ordo naturalis iudici apud omnes nationes est, vt nullus sit sui ipsius in foro exteriori accusator, iudex, vel testis. vnus namque debet esse accusator, & alius reus, aliusque iudex, atque alius testis.

CONCLVSIO.

Hæreticus etiam post latam sententiam iure optimo bona confiscata, donec sententia exequutioni mandetur, possidet. quia illa sententia non obligat reum ad agendum, sed ad patiendum, atque ita seipsum priuare non tenetur.

CONCLVSIO.

Si hæreticus in iudicio crimen neget, quod confiteri tenebatur, quia erat legitime conuictus. & ob negationem absolua-

soluatur. quoniam tormento suspicionem purgauit, fisco bona sua restituere non tenebitur. quia vt hæreticus absolutus ad alias pœnas infamiæ subeundas non est obligatus, ita neque ad hanc pœnam, scilicet, bonorum priuationem. Nam tunc sequeretur obligari ad seipsum infamandum.

FLORES QVAESTIONIS Contractus Mutui.

QVAESTIO DE CONTRACTV MVTVI.

Alexan. Alen 3.p.q. 66.S.Tho. 22.q 78. ar. 1.& 2.Duran.in 3. d. 37.qō. 20. Ric.art. 5. q.5.

Art. I. An liceat mutuanti exigere aliquid vltra sortem, siue accipere vltra pecuniam mutuo datam.

CONCLVSIO.

MVtuum est contractus, in quo pro vna re redditur alia eiusdem speciei; vt si modo detur frumentum pro frumento reddendo post tempus. Hinc colligitur, mutuum differre à venditione, vbi non res eiusdem speciei; sed pecunia redditur, & à contractu permutationis, in quo res diuersæ speciei, vt frumentum pro vino, permutantur. Et ab accōmodato, in quo idem numero redditur.

CONCLVSIO.

Vsura est intrinsece mala, id est, in nullo casu est licita. Ratio est; quia præcepta legis naturæ, quod est intrinsice malum, prohibent. & vsura septimo præcepto prohibetur, cùm sit furtum.

CONCLVSIO.

Hæreticum est affirmare; vsuram non esse peccatū mortale. Definita est expresse in Clementina vnica de vsuris. vbi ita legitur. Si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum. Iniquum enim est exigere duplex pretium vnum pro re ipsa, alterū autē pro vsu, quo res consumitur: vt si pro 10. mensuris frumenti 11. exigātur. vna pro vsu frumenti exigitur.

CONCLVSIO.

Vsura est exigere, aut expectare aliquid pecunia æstimabile præter mutuum. Hæc cōclusio vtramq; vsuram comprehendit. continet enim perfectam vsuræ definitionem. Nam

Nam cũ suo definito definitio cõuertitur, & per ipsam omnes proprietates, siue affectiões vsurę cognoscũtur, ex eaq; multæ conclusiones, quas appendices, seu consectaria nominamus, colliguntur.

Hinc, primo sequitur, mutuantem pecuniam, vt sibi, quã do indiguerit, pecunia rursus mutuetur, esse vsurarium. Ratio est; nã etiã si accipiens beneficiũ lege naturali benefacienti benefacere teneatur; tamẽ si hæc obligatio in pactũ deducatur, ciuilis efficitur; vt habere aliquẽ deuinctum ciuiliter, vt ad mutuandũ obligetur, pecunia æstimabile est. APPEN.

Hinc, neque licebit mutuare, vt pauperibus, aut affinibus, aut amicis, qui mutuum accepit mutuare teneatur. Hæc colligitur ex cap. super eo de vsuris, vbi habetur, pro redimendis captiuis non licere mutuare ad vsuram. APPEN.

Hinc, mutuans pecuniam, si exigat precium, vel munus à lingua, vel ab obsequio, est vsurarius. quia munus à lingua, vt docere patrocinari in iudicio, &c. vel ab obsequio, quod est corporale obsequium. vt si quis diceret, accipe mutuũ: vt meam officinam ad emẽdum adire tenearis, est pecunia æstimabile. S. Tho. est contra Adrianum, & Angelum. integrum tamen erit talia obsequia emere, vt si quis dicat, accipe pecuniam, vt ex mea officina merces emas, aut vt frumentum ad meum molendinum deferas &c. APPEN.

Hinc, mutuans alteri pecuniam hoc pacto, & lege, vt nunquam ab eius amicitia recedat, quia ex illa aliquod temporale commodum, beneficium, scilicet, aut suffragiũ sperat, vsurarius est. Propterea quod non tam amicitia, quam tẽporale beneficium exigitur. APPEN.

Hinc, mutuans alteri pecuniam vt accipiat aliquas merces quas ipse non potest vendere, & postea sibi illas reddat, vel vt retorqueat à debitoribus difficilimæ solutionis pecuniam, &c. vsurarius censetur. quia liberari à pessimis debitoribus, & alienare merces, quæ vendi non possunt, pecunia æstimabile est. APPEN. *Caieta. vbi supra. S. Tho.*

Hinc, mutuans pecuniam alteri hac conditione, vt agrũ suum colere, aut suos reditus sub certo pretio colligere teneatur, quamuis hoc accipienti mutuum sit vtile, est nihilominus absq; dubio vsurarius. quia habere aliũ ciuiliter obligatum est commodum pecunia æstimabile. APPEN.

Hinc, mutuans communitati, vt liber à soluione tributi reddatur, vsurarius est. perspicuum namque est aliquid vltra sortem recipere. APPEN.

APPEN. Hinc, mutuans inimico, vt actioni iniuriarum cædat, est quoque vsurarius, quia hoc pecunia æstimari potest.

APPEN. Hinc, mutuans principi hac conditione, vt tale officium sibi concedat, vsuram committit. accipit enim vltra sortem.

Caieta. vbi supra.

Qui, adueniente termino solutionis, non vult illum protrahere, nisi aliquid vltra sortem sibi tribuatur, vsurarius iudicatur. nam idem est, ac si tunc sub vsura mutuare inciperet, nisi illud ratione lucri cessantis, aut damni emergentis fieret. de quibus infra.

APPEN. Hinc, si statutum fuisset, in aliqua ciuitate, vt mutuanti certam pecuniam, aliquod munus daretur, tale statutũ esset iniustum. quia crimen vsurariũ. Vno verbo hoc est in præsentia animaduertendum, ne aliquid obligatione ciuili vltra sortem recipiatur, hinc enim infinitæ quæstiones soluentur.

S.Tho. vbi supra. art. 2. & Ric. vbi supra.

II. Art. De vsura mentali An sit semper illicitum mutuare pecuniam expectando aliquid vltra sortem, ita vt, si non expectaretur, nullo modo mutuum daretur?

CONCLVSIO.

Mutuans alteri pecuniã hac intentione, vt aliquid vltra sortem non ratione amicitiæ, quia cõtrahere non intendit, sed immediate ratione mutui, sibi reddatur, vsurarius procul dubio est. dixit enim Christus Iesus mutuum date nihil inde sperantes. Constat etiam Conclusio ex vsuræ definitione proximo art. posita.

Luca. cap. 16.

CONCLVSIO.

Qui alteri immeditate pecuniam mutuo dat ratione cõtrahendi cum illo amicitiam, vt sibi indigenti subueniatur, aut aliquod temporale commodum conferatur, & non ratione mutui immediate vsurarius mentalis non est appellandus: nõ enim expectat pro mutuo aliquid vltra sortem. nam amicitia, quam contrahere intendit, est iure naturali illi debita, cum per idem ius benefactoribus benefacere, & amicitia cõiungi, & eisdẽ amicitię opus exigere teneamur.

APPEN. Hinc, licitum erit mutuare alteri immediate ratione cõtrahendi amicitiam, vt cui mutuum datur, si mutuans fuerit artifex, ex eius officina emat, & si mercator ab eo merces emat, & si aduocatus ipsum in patronũ assumat.

APPEN. Hinc, licebit mutuare regi animo obligandi illum, vt cõferat mutuanti aliquem magistratum; non tamen integrũ erit,

erit, hæc in pactum deducere. Quia acquireretur tunc obligatio ciuilis vltra sortem; cum non debebatur nisi solū naturalis quæ manet citra pactum.

Hinc, falsa est eorum sententia, qui dicunt, nihil licere ex mutuo sperare, licet enim sperare opus amicitiæ, ita vt, si non speraretur, licitum esset non mutuare. APPEN.

I. Diffic. Quando vsurarius mentalis recipit aliquid vltra sortem tenetur ne ad restitutionem? *S. Tho. vbi supra art. 1 ad. 4.*

CONCLVSIO.

Quando vsurario mentali datur aliquid, tā ex parte eius, quam ex parte dantis, ratione mutui, vel quia tēpore mutui insinuabit recipienti mutuum, vt aliquid vltra sortem redderet, dicens, facies tempore solutionis, quod alij facere consueuerūt, ad restitutionem tenetur. Definita est in cap. Consuluit. de vsuris. Et ratio est; quia retinetur inuito Domino, qui necessitate, vel rubore compulsus, ne mutuum sibi negetur, soluit.

CONCLVSIO.

Vsurarius, qui recipit aliquid ratione mutui, quia tempore mutui, si non aliquid speraret, non mutuaret. dans tamē vltra sortem non dat ratione vsuræ, sed ratione amicitiæ ob beneficium acceptum, si vsurarius hoc sibi ita dari intellexerit, licet mortaliter peccet, ad restitutionem tamen nō tenetur. Ratio est, quia illud non est restituendum, quod inuito Domino, aut prohibente lege non retinetur: in presentia autem neque lex est, quæ id prohibeat, neque Dominus inuitus dat. Est Scoti, & Ricar. & Caieta. vbi supra contra aliquos Canonistas, quos Caieta. citat.

Hinc sequitur, aliquid per legem Diuinam prohiberi ne recipiatur; quod tamen retinere non vetat. quia non retinetur inuito Domino; & non esse inuitum intelligetur per contando, quo animo dederit. APPEN.

APPENDICES EX DEFINItione vsuræ collectæ.

Qui mutuat alicui 10. hoc animo, vt soluat sibi aliud debitum, quod negat, vel soluere non vult, non est vsurarius. non enim recipit aliquid vltra sortem, sed vexationem tantum redimit. APPEN.

Accomodans alicui pecuniam, & non mutuans, sed solum ad ostētationē, vt ditior appareat. propterea quod fortassis sua interest pecuniæ abundantiā ostentare, si ratione huius accomodati præciū recipiat, nō est vsurarius, ꝓpterea quod APPEN.

S. Tho. & Scoti est. quod non accipit fructum ex alieno, sed ex suo, quia quando accommodatur pecunia, non transfertur dominium.

APPEN. Mutuans tempore Natiuitatis 1000. mensuras tritici, vt totidem mense Maij in grano soluantur, quando annona est carior, & non ante, si erat seruaturus triticum vsque ad illud tempus; non est vsurarius. quoniam non accipit aliquid vltra sortem, si vero non erat seruaturus vsuram palliatam cõmittit; quia, vt Hispanice dici solet; (*Oro es lo que oro vale.*) Hæc colligitur ex Cano. Nauigãti. de vsuris, sunt enim isti contractus æquipollentes, scilicet, accipe modo vnam mensuram frumenti valentem 4. dummodo soluas quando, 5. valebit. & accipe modo 4. argenteos, vt post sex menses, quinque reddas: frumentum namque pecuniæ æquiualet.

APPEN. Si nullum tempus constituatur solutioni frumenti, sed mutuetur frumentum vetus, vt nouum reddatur, est frumentum vetus in corruptionem tendebat, ita vt tempore mutui vilioris esset prætij, contractus erit vsurarius. quia recipit vltra sortem: si vero frumentum vtile, & integrũ sit, non fit vsura, etiam si tempore solutionis carius vendatur, quam tempore mutui, quia cum non certus terminus solutionis præfigatur, creditor rem suam in tuto nõ constituit, contingere si quidem potest, vt vilius vendatur.

APPEN. Hinc, timens corruptionem frumenti veteris, & mutuãs illud, vt non seruata præcij æqualitate reddatur, non est vsurarius. quia non accipit aliquid vltra sortem, si autẽ aliter constituatur, contractus erit periculosus, & melius erit reducere ad formam contractus venditionis.

APPEN. Hinc, quando frumentum datur mutuo, vt totidem mẽsuræ certo tempore reddantur, quo dubitatur, plus, aut minus valiturum esse, non committitur vsura. Quia neuter in tuto constituitur.

APPEN. Hinc, mutuans alteri pecuniam, quam sub vsuris accepit hac lege, vt fœneratori vsuras soluat, si non habet animum ad aliam pecuniam mutuo dãdam, sed quam ipse accepit, quia nondum illam consumpsit, non erit vsurarius. quia solum se indemnem conseruat, & transfert in alium mutũ nondum consuptum.

Si habet autem aliam pecuniam, quam posset mutuare, vel acceptã sub fœnore iã cõsumpsit, proculdubio, vt modo diximus, mutuãs vsurarius erit. Rõ est, quia hac lege mutuãs, vt alius vsuras, quas ipse soluturus erat, soluat, contra-

ctum

ctum mutui in aliũ nõ trãsfert, sed ipse sub fœnore mutuat.

Mutuans aliquid sub pignore vltra sortẽ ratione laboris, quem in conseruando pignore habet, aliquid recipere potest. ita definita est in cap. Ad nostram de rebus Ecclesiæ non alienandis

Accipiens aliquid vltra sortem titulo mutui, verum hoc animo, & intentione, vt debitum, quod negatur, recompenset, vsuram non commit. non enim est vera vsura. quia ratione mutui accipit alienum. v. g. si nõ possum bona mea, quæ apud te sunt recuperare, potero sub specie mutui, & vsurarum, quæ vere vsuræ non sunt, recompensare.

II. Diffic. Poteritne fidelis ab infideli, aut Iudæo iuste vsuras exigere? *S. Thom. 2. 2. q. 66. artic. 8. ad 2. Ric. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Ita iniquum, & iniustum est ab illis, vt à Christianis vsuras exigere. Ratio est, quia infideles, & Iudæi suorum bonorum verum dominium habere possunt.

III. Diffic. An in mutuo aliquid vltra sortem ratione lucri cessantis, aut damni emergentis exigere liceat? *S. Thom. 22. q. 78. ar. 2. ad. 1. Dur. in 3. dist. 37 q. 2. Ricar. Vbi supra.*

Opinio S. Tho. est, vt nõ liceat in pactum deducere, quod erat pecunia mutuata lucrandum. eiusdem sententiæ est Scotus & dicitur esse Ric.

Opinio Soti vtramque partem amplectitur. Adrian. in materia de restitutione, & Syluest. sequuntur recentiores Theologos appositis quinque conditionibus. Et dicit hanc esse communem opinionem Canonistarũ in cap. Cõquæstus de vsuris est autem tota controuersia circa hanc rem quando voluntarie charitate tamen compulsus erga proximum ægestate laborantem, quis mutuum dat.

CONCLVSIO.

Ratione damni emergentis potest aliquis vltra sortem, quantum est illud damnum ratione mutui exigere: dummodo tempore mutui mutuario hoc insinuet. Propterea quod ordinata charitas à seipso incipere debet: & nemo cũ proprio damno, sed salua sua indemnitate alteri benefacere tenetur. Notanter dicitur, dummodo insinuet. &c. Quia fortassis, si mutuatarius sciret tale damnum esse resarciendum, pecuniam ab alio quæreret. *S. Tho. & Sco. est vbi supra.*

Hinc, multæ quæstiones soluũtur. tenebitur enim mutuatarius soluere expensas omnes, omniaque damna creditori ratione mutui illata, vt si corruit domus, vel alia id genus infortunia, eidem acciderunt. APPEN.

CON-

CONCLVSIO.

Ratione lucri cessantis licet exigere aliquid vltra sortem, quando pecunia erat negotiationi statim exponenda, & mutuans non habet aliam pecuniā, quam mutuare possit. Ratio est; quia non solum damnificatur aliquis, quando amittit aliquid, quod habet, verum etiam quando impeditur à lucro, quod quidem habiturus erat. quod enim parum distat, nihil distare videtur; & de proximo accingendus (vt Iuris Cōsulti asserunt) pro accincto est habendus. atque ita poterit aliquid vltra sortem exigere, quia nullus alteri, nisi salua sua indemnitate, subuenire tenetur.

Limitatio. Est autem limitanda conclusio, primo vt pecunia certissime sit negotiationi exponenda 2. vt aliam nō habeat, quā mutuare possit. 3. vt mutuans malit negotiatione, quā mutuatione aliquid lucrari. 4. vt rogatus id faciat. nam si vltro se offerat, nō poterit ratione lucri cessantis aliquid exigere. insinuaret enim tunc se aliquid in fraudem vsurarū mutuare. 5. vt deducantur expensæ. 6. vt minus aliquid, & non totum, quod verisimiliter lucraturus erat, exigat.

APPEN. Ex probatione conclusionis colligitur, teneri ad aliquā restitutionem, qui impedit alium, consequtione beneficij, quod certissime erat habiturus.

APPEN. Hinc, qui habiturus erat censum, si pecuniam non mutuasset, poterit in pactum deducere, vt vltra sortē æquivalens censui pecunia mutuata ementi reddatur.

APPEN. Hinc, vendens merces pecunia credita potest carius illas vendere, quando, si statim fieret solutio, erat pecunia negotiationi exponenda, ex qua lucrum sperabatur: ita tamē, vt conditiones limitationis seruentur.

APPEN. Hinc, quando debitor est in mora restituendi, tenetur in foro conscientię soluere creditori, non solum mutuatam peçuniam; verumetiam omne damnum illatum ratione dilatatæ solutionis. atque etiam omne lucrum cessans.

Sco. est vbi supra. APPEN. Hinc, campsores mutuantes pecunias nullis negotiationibus exponendas, & aliquid vltra sortem ratione lucri cessantis exigentes, in statu damnationis esse dicuntur.

S. Tho. vbi sup. art. 2. & ibid. Caieta. & 4. 6. de vsuris Ric. vbi supra.

I. Dubium. An quando licet petere damnum lucri cessantis, liceat petere totum lucrum cessans?

Caieta. opinatur nullo modo licitum esse exigere totum lucrū cessans, quāuis liceat petere totum damnum emergens. Contrariam sententiam defendunt Innocen. & alij, quos Caiet. citat.

CON-

CONCLVSIO.

Quando aliquid vltra sortē ratione dāni emergentis petitur, totum damnum exigi potest. Ratio est; quia, qui tale damnū patitur, non amittit, quod erat habiturus, sed quod modo quis habet. quamobrem poterit recompensationem bonorum, quæ ratione mutui amittit, petere.

CONCLVSIO.

Quando lucrum cessans ratione mutui est certissimum, & sine periculo assequendum, licitum est totum lucrum cessans ratione mutui vltra sortem exigere: vt qui precibus, & charitate commotus cogitur mutuare pecuniam censui exponendam. Ratio est; quia tale lucrum cessans damno emergenti propter certitudinem lucri æquatur. nam velut actu habetur, & impediri non potest.

CONCLVSIO.

Quando lucrum cessans non est omnino certum, non totum, sed partem ad arbitrium boni viri petere licebit: vt in mercibus, & in alijs negotijs. Ratio est, quia lucrum cessans non est in actu, sed in potentia varijsque rerum euentibus impediri potest. atque ita ad arbitrium boni viri pars illius erit restituenda.

IIII Diffic. An liceat vltra sortem, siue pecuniam mutuo datam ratione pœna conuectionalis. aliquid exigere? *Ric. vbi supra.*

V. G. si mutuetur pecunia sub hac forma, En tibi 100. mutuo ad diem Natalis Domini soluenda, sub pœna soluendi 10. vltra 100.

Scotus affirmat esse licitū, dummodo non fiat in fraudem vsurarum; Syluestr. & alij Canonistæ, quos ipse citat, Scoto subscripserunt.

CONCLVSIO.

Si pœna, vt indemnitas creditoris seruetur, ponatur, quia ex dilatione solutionis damnum emergens, aut lucrū cessans sequitur, licite talis pœna ponitur. Constat, quia nullus est cogendus, vt cum suo damno alteri benefaciat; iuste enim se indemnem seruare potest.

Hinc, mutuans pecuniam vsque ad nundinas Maij, vel Octobris, quam, tunc si solueret, erat mercibus creditor expensurus, poterit pœnam conuentionalem apponere vt totum lucrum cessans, si debitor fuerit in mora, soluatur, & de similibus erit similiter censendum. APPEN.

CON.

CONCLVSIO.

Ad euitandam debitoris negligentiam licet pœnam cõuentionalem apponere, & exigere. Conuenit enim Reipublicæ, vt pacta ſeruentur, & debitoris negligentia puniatur. Intereſt enim Reipublicæ, vt delicta quantumcunque leuia caſtigentur.

CONCLVSIO.

Quando debitor non poteſt ſoluere ad terminum præfixum, pœna ad eius negligentiam vitandam impoſita, iuſtè exigi non poteſt. Quia vbi non eſt culpa (cum ſoluere non poſſit) iniuſte pœna imponeretur.

CONCLVSIO.

Pœna conuentionalis in fraudẽ vſurarum poſita, iniuſtè exigitur. Ratio eſt; quoniam vſura palliata cenſetur. fit autẽ in fraudẽ, vel quãdo creditor fœnerari cõſueuit, vel mauult debitorẽ pœnã incurrere, quam termino aſſignato ſoluere, vel quando eſt pœna grauis, vt ſi dicat; elapſo termino eris ſingulis diebus ad ſoluendã tantã pecuniam obligatus.

CONCLVSIO.

Quando nulla pœna ad damnum emergens, aut lucrum ceſſans vitandum imponitur, ſi debitor ex culpa ſua fuerit in mora ſoluendi, omne damnum in conſcientia creditori reſarcire tenetur. Ratio eſt; quia eſt cauſa damni ſaltem interpretatiue, quamuis intentionem damnificandi nõ habuerit. *Seo. vbi ſupra.*

APPEN. Hinc, ſi non fuerit ex culpa ſua in mora, damnum reſarcire non tenebitur, quia tunc non eſt damni cauſa, licet fuerit occaſio.

APPEN. Hinc, animaduertere debent confeſſores nobilium, qui frequentiſſime reditibus ſuis abutententes mercatoribus ex negligentia, & culpa ſua non ſoluunt, illos ad reſarciendum damnum, & lucrum ceſſans teneri.

V. Diffic. An liceat pecuniam mutuare, & pro aſſecuratione aliquid vltra ſortem exigere?

CONCLVSIO.

Simpliciter pecuniam mutuare, & poſtea in mutuatæ pecuniæ periculum aſſumere, licitum eſt. nullum enim vſuræ colorem habet, quia ſimpliciter fuit pecunia mutuatẽ, & ſine vllo pacto reddendi aliquid vltra ſortem, quamuis poſtea contractus aſſecurationis fuerit factus.

CONCLVSIO.

Mutuare pecuniam hac lege, & cõditione, vt nullus præter

t mutuantem pecuniam assecurare debent, illicitum est. t namque contractus vsurarius. Quia vltra sortem recipit liquid, quia (vt constat) mutuatarius obligatione ciuili li-gatur: perinde enim est, ac si ratione mutui obligaretur ad deferendum triticum in molendinum mutuantis, & ita definitum est cap. Nauiganti. de vsuris.

VI. Diffic. An maritus possit ratione dilatationis dotis aliquid vltra sortem recipere? *Ric. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Maritus vltra dotem sibi promissam ratione dilatationis dotis aliquid exigere potest. Definita est expresse in cap. Salubriter. de vsuris, vbi dicitur posse recipere fundum singulis annis, & nõ teneri ad computandum fructus in sortẽ. Et ratio, inquit, Innocen. III. ibidem est, quia frequenter dotis fructus ad supportanda matrimonij onera nõ sufficiunt. Adrian. non putat hanc causam sufficere, cum illam textus exprimat. Syluestr. quoque (vbi supra) dicit; quod si gener ex dote non est reportaturus aliquem fructum, non poterit ratione dilatationis aliquid exigere, quod est contra rationem textus. Maritus enim tenetur ex dote alere mulierem, & dotem integram seruare, atque ita poterit alimentum vxoris exigere.

Si tamen fructus excedãt sumptus familiæ, excessus fructuum sunt in dotem cõputandi. quia cessante causa, quæ est sustentare familiam, effectus cessare debet. *Limitatio. Syluest.*

CONCLVSIO.

Maritus ratione dilatationis singulis annis tot reditus, quot ad sustentandam familiam sufficiant, poterit exigere; non solum quando pignus fructiferum, verum etiã quãdo nullũ tale pignus datur. Patet ex Ecclesiæ cõsuetudine, quę non cõpellit maritum, vt cum vxore habitet, & illam alat, donec dos soluatur. tenetur enim ex fructibus dotis (salua tamen dote) vxorem alere. Hostiensem in Cap. Per vestras de donat. inter virum. & vxorem, & Syluest. lege.

CONCLVSIO. APPEN.

Quando maritus post certum terminum, & non statim, dotem sibi dari vult, durante termino, vltra dotem aliquid exigere non potest. Ratio est, nam, vt poterat accipere vxorem absque dote: ita potest solutionem dotis ad tempus renunciare, tuncque sine dote, & sine dotis fructibus vxorem alere tenebitur.

Hinc, si pater vxoris, vel alius vxorem, siue familiam

ſine mariti induſtria alat; maritus vltra dotem nihil exigere poterit. Iam enim cauſa exigendi ceſſat.

VII. Diffic. Poteritne vxor viro mortuo ab eius hæredibus ratione dilatationis dotis exigere aliquid vltra dotem?

Variæ ſunt de hac re opiniones. Angelus Sylue. & Soto, tenent partem affirmantem. Panor. in cap. Salubriter. de vſuris apud Syluest. æquū eſſe tenet; vt vidua gratis ab hæredibus viri infra annum alatur, ſi non habet vnde ali poſſit, & vt ſtatim dos poſt annum integra illi reddatur. Idem docet gloſſa in cap. de rei vxoriæ actione lege vnica §. exactio, quia vidua (inquit) intra annū nubere non poteſt. Innocẽtius. Hoſtiēſis. Ioā. Andr. in cap. Salubriter citato defendūt, quod ſequenti cōcluſione explicatur. Quos Syueſt. affert.

CONCLVSIO.

Vidua mortuo viro, nec intra annum, nec poſt à morte viri ratione dilatationis dotis aliquid vltra dotē exigere poteſt. Ratio eſt, quia ipſa non tenetur alere familiam, & integram ſeruare dotem, quemadmodum vir eius tenebatur; vt ex cap. Salubriter conſtat.

CONCLVSIO.

Quando hæredes ſunt in mora ſoluendi dotē, nō propter impotentiam, ſed ob negligentiam, viduæ, etiā ditiſſimæ totum lucrū ceſſans, vel dānum emergens reſtituere tenētur. Neque enim vidua cum proprio detrimento dotis ſolutionem expectare tenetur.

APPEN. Hinc, hæredes vſuras viduæ exſoluere tenentur, quas ipſa propter retentam dotem è culpa hæredum contraxit.

APPEN. Hinc, ſi vidua nullam habebat pecuniam preter dotalē, quæ ſtatim erat negotiationi exponenda, vel ex ea cenſus emendus, hæredes tūc dānū lucri ceſſantis ſoluere tenētur.

CONCLVSIO.

Bona dotalia immobilia; vt fundus, ſiue domus, ſunt ſtatim à morte viri viduæ reſtituenda. Ratio eſt; quia talium bonorum nullum in hæredes transfertur dominium.

CONCLVSIO.

Quando bona ſunt mobilia; vt pecunia, vel ſuppelex, hæredes non tenentur viduæ dotem, niſi poſt annū à morte viri ſoluere. Definita eſt in §. Exactio ſupra citato.

II. Dubium. Si mortua vxore liberi remaneant, poteritne ratione dilationis dotis aliquid exigere vltra dotem?

CONCLVSIO.

Nequaquam poteſt. Et ratio eſt; quia mortua vxore, nō remanet

manet idem matrimonij onus, cum ſit ſolutum, cuius ratione in Cap. Salubriter illud concedebatur.

III. Dubium. An mortuo viro poſſit vxor exigere fructus ex pacto dotali per virum facto.

R. ratione pœnæ conuentionalis, aut damni emergẽtis, vel lucri ceſſantis, non tamen ratione oneris matrimonij (vt diximus) poteſt vxor exigere totũ, quod maritus ratione dotis petere poterat. quia dos magis vxori, quam viro eſt ſoluenda. *Syluest. eſt verbo vſura 7. & 9. Soto lib. 6. q. 1. art. 2.*

Art. II. De vſura ratione emptionis, & venditionis quæ naturam, mutui ſapit?

Hic articulus, quibuſdam difficultatibus poſitis, abſoluetur. *Lege infra de emptione &c. S. Tho. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. & Caiet. 2 2. q 76. ar. 2. ad 7. Syluest. verbo vſura 2. §. 1. 2. 2 q. 78. art. 2. Soto lib. 6. q. 4. art. 1. Medi. q. 38.*

I. Diffi. Sitne vſurarius, qui merces maiori pretio pecunia credita, quam mutuata vendit?

Maxima eſt inter Doctores de hac re controuerſia Syl-ueſt. verbo vſura opinatur nullo modo hoc licere, niſi in caſu primæ concluſionis ſequentis, & in caſu cap. in ciuitate, & cap. nauiganti. de vſuris. de quibus ſequenti difficultate agetur. Idem tenet S. Tho. & Soto.

Opinio contraria eſt Medin. C. de reſtitutione. & Coradi quem ipſe citat, & Ric. (vt Soto ſcribit) quod tamẽ apud Ric. nullibi reperitur; hi Doctores affirmãt licitũ eſſe carius vendere pecunia credita, quam numerata. Caieta. concedit in caſu cap. in ciuitate & in cap. Nauiganti, licere carius vendere pecunia expectata, quam numerata.

CONCLVSIO.

Quando merces rariſſime venduntur pecunia credita, & frequentiſſime numerata pecunia, & mercator nõ erat illas ſeruaturus, venditque pecunia credita, cum poſſit numerata ſtatim vendere, tunc carius ratione lucri ceſſantis vendere poterit. Ratio eſt; quia ſicut mutuans poterat ſe ſeruare indemnem, nec ſuo detrimento alteri benefacere tenebatur, ita neque vendens tenetur alteri benefacere, niſi ſua indemnitate ſeruata, carius, ſcilicet ratione lucri ceſſantis vendendo.

Sed eſt intelligenda in magna rerũ quantitate, vt ſi quis eſſet pecunia numerata ſtatim venditurus vini dolium, & in aliis mercibus pecuniam conſumpturus, & rogatus vendat; nõ autem in mercibus minutis, vt in duobus, aut tribus menſuris vini ſeu tritici, quia in his nullum eſt fere lucrum ceſſans. *Limitatio.*

CONCLVSIO.

Præcio riguroso potest quilibet quasvis merces, etiā minutas, carius pecunia credita, quā numerata vendere, quia cum precium rigidum, siuæ rigorosum non excedat rei precium, nulla committitur iniustitia.

CONCLVSIO.

Mercator merces, quæ rarissime pecunia numerata venduntur, carius pecunia credita vēdens ratione dilationis solutionis, vsuram committit, nam talis contractus est æqualis illi, in quo pecunia mutuatur, & vltra sortem exigitur. Idem enim est mutuare pecuniam, & vltra sortē exigere, atque expectare mercium solutionem, & illas carius vendere. Quia expectatio pretij authore S. Tho. mutui rationem habet.

CONCLVSIO.

Si vero carius vendat tales merces habita ratione ad lucrū cessans, tunc nulla vsuræ macula interuenit. Ratio est, quia vt in mutuo licet exigere vltra sortē ratione lucri cessantis. ita & ratione expectatæ solutionis, cum illa expectatio rationem mutui habeat.

APPEN. Hinc, eadem res, eodem tēpore duo præcia iusta, & differentia habet. quia vlna serica eodem tempore 30. argenteis pecunia credita, & 28 numerata uendi solet.

APPEN. Hinc, mercatores preciosos pannos, & sericos nobilibus carius, quam aliis vendentes non sunt damnandi, quia nobiles sæpissime per integrū annum, vel biennium, seu quadriennium retinēt mercium solutionem, quæ si statim fieret, statim mercatores præcium in aliis mercibus expenderent, ex quibus magnum sibi lucrum acquirent; & idē est de aliis mercibus, vt de iumentis &c iudicium.

APPEN. Non tamen totum lucrū cessans exigendum est; vt supra diximus, quia multū interest, inter habere, & prope esse & inter lucrum in actu, & in potentia; deberent autē mercatores precium, tempore solutionis taxare, vt Coradus optime apud Medinam consulit.

APPEN. *Nota confessor.* Hoc loco animaduertendum nobiles soluentes stipēdia famulis, vel alia debita, sumptis à mercatoribus preciosis pannis, teneri ad restitutionem creditori faciendam, atque etiam mercatores, qui famulis ratione dilatatæ solutionis merces valentes 80. & precio 100. ducatorum vendunt, propterea quod, mercatores fraudi commissæ per Dominum cooperantur. Hic casus est in vsu frequentissimus.

II. Diffic.

II. Diffic. An mercator seruaturus merces in aliud tempus, possit illas carius vendere, quam tempore solutionis res valitura speratur?

Scot. q. 2. ar. 3 Soto art. 2. Medina. ibid.

Animaduerte tria esse capita titulo de vsuris ad hanc rem facientia. & primum est cap In ciuitate. Secundũ cap. Consuluit. Et tertium cap. Nauiganti, vbi tres casus simul definiuntur.

Duæ sunt opiniones. Vna opinio Theologorum, & Canonistarum affirmantium; nullo pacto licere tunc carius vẽdere, ratione expectatæ solutionis; vt aperte in cap. consuluit. & in cap. ciuitate definitum est.

Contraria opinio est Caie. asserentis; non seruaturũ merces, posse statuto præcio tanto carius illas vendere, quanto tempore solutionis valituræ creduntur.

2. 2. q. 78. art. 2. ad. 7.

CONCLVSIO.

Vendens merces carius pecunia credita, quam numerata, si nõ erat illas seruaturus, & prẹciũ determinat, quo ẹstimatur illas certo tempore solutionis futuras, proculdubio est vsurarius. Definita est expresse in cap. consuluit. de vsuris. illa enim expectatio solutionis æquiualet mutuo, vt supra diximus, & intelligimus conclusionem & &c. nõ taxare præcium; creditur tamen merces plus valituras. quia tẽpore contractus se in tuto constituit.

CONCLVSIO.

Quando in casu proximæ conclusionis præcium non determinatur, sed relinquitur tempore solutionis determinãdum, quo tempore dubium est, sit ne plus, aut minus res valitura, quã tẽpore cõtractus, nulla interuenit vsura, quod si plus valitura creditur, contractus erit illicitus. Ratio est; quia neuter constituit, suã rẽ in tuto, neque ibi ratio speciẽ mutui habens, sed indeterminatæ venditionis reperitur.

Soto vbi supra.

CONCLVSIO.

Seruaturus merces potest illas carius vendere pecunia credita, quam numerata, atque etiam præciũ determinare potest Definita est expresse in 3. casu cap. nauiganti. nam licitum est venditori se indemnem seruare, neque vendit tempus, vt recte Scotus dicit. Quia erat illas merces seruaturus, & maius lucrum sperabat.

CONCLVSIO.

Non tamen licet tunc totum precium, quo res valitura tempore solutionis erat, exigere. est enim habenda ratio periculorum, laborũ, & expensarum, quæ in seruandis mer-

cibus erant faciendæ multũ namque intereſt inter habere, & prope eſſe, & inter lucrum in potentia, & in actu.

I. Dubium. Licebitne quando venditur frumentum indeterminato precio ſtatuere, vt eo precio, quo carius valebit in toto menſe Maij ſoluantur?

CONCLVSIO.

Talis contractus eſſet iniquus, quia ſors vẽdentis in tuto collocaretur deberet enim determinari dies ſolutionis, vel eſſent conſtituendæ tres nundinæ, & ſortiendum, quæ illarum eſſet eligenda, vel eſſet arbitris committendum.

CONCLVSIO.

Poteſt, qui erat ſeruaturus merces, & ob hoc carius illas vendit, vt in caſu. 3 & 4. conclu non ſolum pecunia credita, verum etiam numerata carius vendere Et ratio eſt, quia cauſa, ob quam licet carius vendere, non eſt terminus ſolutionis, ſed eſt ſeruare creditorem indemnem. quia ſi ſeruaſſet merces, vt erat illi cordi, plus eſſet lucraturus. eſt autem hoc loco animaduertendum vt venditor precibus amici, & charitate compellatur. nam ſi ipſe ſe offerat, maximã vſuræ ſpeciem inſinuat.

Soto. art. 1. vbi ſupra, adulti Ric. art. q. 5. Medina vbi ſupra 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 7. Gabri. q. 11. d. 15.

III. Diffic. Emptor, qui anticipata ſolutione minus iuſto precio emit, teneturne ad reſtitutionem?

Duæ ſunt opiniones. Soto affirmat talem contractũ nullã habere vſuræ rationẽ. S. Tho. tenet oppoſitum, quẽ Gab. & Medina ſequuntur.

CONCLVSIO.

Vilius ratione anticipatæ ſolutionis emere vſura eſt. ratione enim mutui palliati aliquid vltra ſortẽ recipitur, quia iſta æquipollẽt, accipe 10. vt reddas poſt duos mẽſes 12. & accipẽ 10. vt poſt duos menſes põdus lanæ valẽs 12. reddas.

CONCLVSIO.

Ratione damni emergẽtis, aut lucri ceſſantis poteſt emptor vilius anticipata pecunia emere, vt ſi cõſumpturus erat illam pecuniam in alijs mercibus. ex quibus lucrum ſperabat, & rogatus à venditore emat. Ratio eſt, nam, vt vẽditor ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis poteſt carius pecunia credita, quam numerata vendere, ita & emptor emere.

Medina. & Soto vbi ſupra.

IIII. Diffic Licet emptori vilius emere obligationes, & debita poſt aliud tempus ſoluenda?

Caieta. partem affirmantem tenet. Contrariã defendit Medina, cui ſubſcripſit Soto.

CON-

CONCLVSIO.

Debitor non poteſt redimere debitum vilius poſt annũ ſoluendum ratione anticipatæ ſolutionis, bene tamen ratione lucri ceſſantis, v.g. debeo tibi 100. poſt annum ſoluẽda, nõ licet mihi dicere accipe 90. & 100. dimitte. quia eſt vſura. eſt enim illa anticipata ſolutio habens rationem mutui, ratione tamen lucri ceſſantis poterit, vt ſi erat illis 90. lucraturus 10. & quia rogatur à creditore, vt redimat vilius debitum, illa lucrari deſinit.

CONCLVSIO.

Quando debitum eſt omnino certum, & apud fidelem debitorem vilius obligationem emere ratione anticipatæ ſolutionis haud licet. Ratio eſt, quia talis emptio æquiualet mutuo, in quo aliquid vltra ſortem accipitur. & eſt vſura palliata. Nam illa obligatio eſt pecunia æſtimabilis.

CONCLVSIO.

Si bebitum eſt incertum, vel debitor fugitiuus, vel eſt difficillima ſolutio, neque totum ſperatur recipiendum, licitum eſt vilius anticipata pecunia emere. Ratio eſt, quia tũc emptor ſuum lucrum in tuto non conſtituit. vſu venire namque poteſt, vt non totũ debitum, ſed partem dũtaxat recipiat, atque ita ratione huius dubij poterit vilius emere.

Hinc, licebit emere vilius debita bonorum confiſcatorũ, quæ dicuntur (*pœnas de Camara.*) Ratio eſt; quia hæc debita rariſſime integra ſoluuntur, niſi emptor fuerit prætor, quoniam tunc debitum eſt certiſſimum, cum ſibi facile bona confiſcanda applicare poſſit. APPEN.

V. Diffic. Licebitne alicui mutuare pecuniam palliata venditione ſub forma ſequenti?

V.G. petis à me 100. ſub vſuris, & polliceris 10 vltra 100 ego vero timens ne, vt fœnerator ab Eccleſia condemner, fingo vſurã hoc modo, tu, qui petis mutuo, habes 50. oues, & vere non habes. fiat ita contractus, tu vendis mihi oues 20. ducatis, hac lege vt poſt 4. menſes tenearis mihi reddere has oues integras, aut præcium datum, hactenus non eſt iniuſtitia, ſed mendacium. præterea adiungitur contractui falſæ venditionis alius contractus fictæ locationis, in quo eſt vſura. v. g. ego, qui emi à te oues, eaſdem tibi pro 12. ducatis ſtatim dandis, aut pro tantis hædis per 4. menſes loco hic eſt fucus vſurarum, & dolus manifeſtus ſub prætextu fictæ venditionis. ſi quidem tempore ſolutionis debitor reddit vſurario vltra capitale locationis fictæ præcium mani-

manifestior est hæc iniustitia, atque vsura, quam, vt probatione aliqua indigeat. quod si contractus esset verus, solum esset iniustitia in hoc, quod oues essent seruandæ integræ, cũ deberent potius Domino rei perire, sed de his alibi. quando vero est venditio ficta, est contractus vsurarius, quia æquivalet huic, s. mutuo tibi 20. vt mihi 22. post 4. mẽse reddas.

Alia est forma huius vsuræ palliatæ quando nõ est ficta, sed vera vẽditio; verũ cum pacto retrouẽdendi fitq. hac ratiõe; tu habes 100 oues, quas ego emo à te 50. ducatis, quos statim soluo, hactenus nõ est vsura, additur præterea, verũ hac lege fiat emptio, vt stipendio aliquo constituto, scilicet, 10. ducatorum tenearis tu seruare per 4 menses has meas oues integras, & pascere, hactenus nulla est vsura, nisi forte renueuo. de quo infra. Præterea apponitur alia conditio, scilicet, vt fructus ouium, vt lana, caseus, hædi, sint fœneratoris, neque hic est vsura. Quia cum fœnerator sit Dominus ouium, illarum fructus recipere potest. Ad hæc adiungitur contractui, vt post 4. menses tenearis tu redimere has oues eodem precio, quo à te illas emit, hæc est vsura manifesta, mutuo æquiualens. quia post 4. menses redditur sub obligatione precium acceptum, & augetur fructus lanarum, & casei, atque hædorum qui fructus valent 20. nummos aureos, aut plures.

VI. Diffic. An emens moatras sit vere vsurarius?

Moatra est venditio vera, & venditio rei eiusdem, vel est venditio vera, & cum pacto de statim retrouendendo, ne, scilicet, fiat contractus vsuræ manifestæ.

PROPOSITIO.

Si præcessit pactum expressum retrouendendi, aut si nõ præcessit, sed mercator hoc insinuauit, signum est fieri in fraudem usurarum.

PROPOSITIO.

Quando mercator nullo modo vẽderet suas merces pecunia credità, nisi expectaret emptorẽ esse statim illas mercesreuenditurum, tũc sit vsura. perinde enim est, ac si mutuarem tibi 50. vt 60. redderes.

PROPOSITIO.

Si talis vẽditio nõ fiat in fraudẽ vsurarũ; quia tu nõ petisti mihi pecuniã mutuatã, & etiãsi petisses, nõ habebã fœnerãdi animũ: scio tamen te emere has merces pecunia credita, vt statim illas vilius pecunia numerata vendas, non erit vsura, si tu es illas alteri vilius venditurus, & mihi vendas.

VI I. Dif-

VII. Diffic. An qui emit rem vilius pecunia anticipata aliqua publica auctione, ſit vſurarius? *Medin. ibidem.*

Hic caſus contingit paſſim in partibus maritimis, maxime in regno Galleciæ, vbi menſe Ianuarij voce præconis venduntur piſces, menſe Nouembris capiendi, dum modo ſtatim fiat ſolutio. Qua ratione piſces multo vilius vendun tur. quia ſolutio anticipatur. quidam fieri poſſe affirmant.

CONCLVSIO.

Quando res vilius pecunia anticipata, ſiue priuatim, ſiue in publica auctione venditur, contractus eſt vſurarius, ſi emptor ſpē ſuam in tuto ponat dicēs, dabis dragma argētea minus, quam in publica auctione, tunc valebit. Ratio eſt; quia licet res ſit vilior, quando venditur in publica auctione, publica tamen auctio naturā contractus nō mutat, & cum contractus ille ratione anticipatæ ſolutionis, vt ſupra diximus, ſit vſurarius, ex natura ſua per publicam auctionem eius vſura non tolletur. Nam, vt venditio carior in publica auctione pecunia credita, habet rationē mutui, ita, & vilior emptio ratione anticipatæ ſolutionis.

Hinc, emens, fructus vinearum, ſiue ſegetes ſequentis, aut præſentis anni vilius, quam æſtimantur hæc valitura, quia anticipatur ſolutio, eſt vſurarius ob rationem dictam; niſi taxetur preciū, quod valebat merces tēpore ſolutionis. quia licet poſtea plus valeant, non erit vſura, quia emens nō poſuit ſpem in tuto ac lucrum, poterat enim vilius valere, & niſi emēs charitate, & precibus à venditore cōpulſus emat, qui pecuniam in alijs mercibus erat expenſurus. Nam tūc ratione lucri ceſſantis licebit. APPEN.

CONCLVSIO.

Si neuter contrahentium ſpem ſuam in tuto conſtituat, integrum erit pecunia anticipata vilius emere piſcatū, quā ſit tempore traditionis valiturum, propter euentus incertitudinem.

VIII. Diffic. Eritne vſura accipere fructus rei emptæ ante precij ſolutionem?

Canoniſtæ in cap. Conqueſtus de vſuris, & Sylueſt. verbo vſura §. 10.

CONCLVSIO.

Quando venditur res abſolute, ſi ante ſolutionem precij emptori tradatur, emptor fructus, ſi fuerit in mora, reſtituere tenetur; ſi tamē hac lege fuerit res tradita, vt ſi intra terminū certum non ſoluerit, fructus ſuos nō faciat. Aliter

vero minime. Et ita intelligitur tex. in l. curauit cap. de pa-
ctionibus, emptionibus, & vēditionibus. Et est glossæ in ca.
Conquestus citato. Et per moram intellige, non solū quā-
do termino præfixo, verumetiam quando post monitio-
nem debitum nō soluitur. incidit enim tūc debitor in pœ-
nam appositam, & iure optimo venditor exigit ab empto-
re fructus perceptos ratione pœnæ conuentionalis.

CONCLVSIO.

Quando non fuit apposita pœna conuentionalis, fructus perceptos soluere non tenetur, licet ad damnum emergens, aut lucrum cessans resarciendum obligetur. nam tunc ex culpa emptoris venditor damnificatur. quod intellige, si est in mora ex culpa sua, & non aliter.

II. Dubium. Quid si venditor recipit precium, & non tradidit rem?

CONCLVSIO.

Rem, & fructus perceptos restituere tenetur. quia recipit fructus rei subiectæ restitutioni, quæ quamuis sit sua ante traditionem tamen, quoniam cum aliena iactura locupletatur, ad fructus restituendos tenetur.

Gabri. d. 15 q. 11. Syluester. verbo vsura 2. §. 12.

III. Dubium. Quid si non totum sed partem precij recipit.

CONCLVSIO.

Si venditio fuit conditionalis, vt non teneretur tradere rem, donec integrum precium solueretur. iuste retinet fructus. Quia ex voluntate emptoris tunc retinet.

CONCLVSIO.

Si autem venditio fuit absoluta, tenetur pro rata precij soluti fructus soluere. Quia res illa vendita est restitutioni pro rata obnoxia.

IX. Diffic. An emptio cum pacto de retrauendendo, fructibus in sortem non computatis, sit vsuraria?

V. G. vendo tibi fundum singulis annis ferentem fructū decem ducatorum hac cōditione, vt tenearis mihi reddere, quandocūque tibi precium soluam, accidit post 10. annos, vt ego fundum redimam, recepisti tu interim deductis expensis 100. ducatos ex fructibus. est dubiū, an tenearis illos in sortem computare.

R. Contractus est licitus, & emptor non tenetur, ad cōputandum fructus in præcium tempore reuenditionis.

IIII. Du-

IIII. Dubium. Quibus conditionibus huiusmodi contractus fieri debet, vt vsuræ speciem non habeat?

CONCLVSIO.

Contractus emptionis cum pacto de retrouendendo eãdem rẽ tempore definito, aut indefinito licitus est, & emptor fructus suos facit. Definita est expresse in l. si fundum cap. de pactis inter emptorem, & venditorem compositis. tum etiam, quia ibi nulla interuenit, iniustitia, cum tam vẽditor, quam emptor, sine alterius partis detrimento lucrũ consequatur.

CONCLVSIO.

Quando deducitur in pactum, vt res pereat periculo venditoris, & non emptoris, tunc est vsura palliata: vt si dicat emptor; si res perierit ante tuam redemptionem, teneberis mihi precium tibi datum restituere. est enim mutuum palliatum. nam secũdum ius naturæ res empta perit emptori, cum sit iam sua.

CONCLVSIO.

Si emptor habeat animum mutuandi dumtaxat, & vocat illam emptionem: vt fructus vltra sortem recipiat, tunc vsuram committit. est enim in fraudem vsurarum.

CONCLVSIO.

Neque erit talis contractus licitus, quando res precio iniusto emitur; vt si fundum valentem 1000. ducatos aliquis 500. cũ pacto de retrouendendo emat. censetur enim contractus pignoris potius, quã emptionis; estq. hic casus expresse definitus in cap. Ad nostrã. de emptione, & venditione.

CONCLVSIO.

Res empta cũ pacto de retrouendendo minus valet, quã si absolute venderetur propter onus emptori impositum, scilicet, vt illam reuendere tempore præfinito teneatur, vel quando vendenti illam redimere placuerit. quia illa obligatio reuendendi est in fauorem vendẽtis, & ratione illius vilius, quam si absolute venderetur, emi potest; non tamen hac de causa precium infra dimidium extenuare licebit: vt in cap. Ad nostram citato habetur; sed erit precium ad arbitrium boni viri extenuandum.

CONCLVSIO.

Neque erit prædictus contractus emptionis licitus, si fiat cum pacto, ne possit redimi vsque ad quinquennium, aut certum aliquod tempus. quia cõstituit lucrũ in tuto, & significat

significat loco vsurarum, saltem velle fructus duorum annorum, nisi ista temporis determinatio fiat aliqua bona fide, vel nisi soluerit iustum precium. in hac enim non fit iniuria vẽditori. quia iustè emit, & iusto precio, & res est sua; atque ita poterit deducere in pactum ne illã rem, nisi post tot annos reuendere teneatur.

Soto lib. 6. 1 art. 2. Medina quæst. 38

Arti. III. De vsura commissa ratione pignoris. An possit habens fundum sub pignore, in aliquo casu fructus pignoris vltra sortem recipere?

CONCLVSIO.

Qui tale pignus recipit ratione mutui, fructus in sortem computare tenetur. Definita est expresse in cap. cõquestus. de vsuris. Et ratio est; quia cum pignus sit alienum, ex aliena re fructum capere non licet.

APPEN. Hinc, omnes habentes res mobiles in pignus: vt pallium &c ratione mutui, illis vtendo peccant, & illarum detrimẽtum restituere tenentur.

CONCLVSIO.

Quando in pignus res immobilis, & fructifera traditur, melius est: vt à mutuante cũ pacto de retrouẽdendo ematur, quam, vt loco pignoris accipiatur. Quia si empta fuerit, dum non redimitur fructus suos facit.

CONCLVSIO.

Quando pignus est feudum mutuantis potest fructus retinere non computando illos in sortem. Ratio est; quia nõ recipit tunc fructus ex alieno, sed ex suo: siquidem illius rei dominum directum habet.

Soto & Medina. vbi supra.

Art. IIII. De vsura ratione locationis, & conductionis, an liceat locare alteri iumenta, aut boues sub sequenti forma?

V. G. accipe bouem conductum ad colendum agrũ quatuor ducatis hac lege, & conditione; vt alium bouem eiusdem ætatis, cuius est modo hic, reddas.

CONCLVSIO.

Soto art. 4. & Medi. vbi supra. Ric. art. 5. q. 6. 2. 2. q. 72. art. 3. & 5.

Contractus est proculdubio vsurarius, & tales negociatores Hispanicè (renoueros) vocantur. quia vltra sortem exigunt, vt boues, & iumenta, quæ conduxerunt, renouentur, estque cõtractus hic æquiualens contractui mutui. perinde enim est ac si diceret, accipe bouem mutuatum vt aliũ maioris precij, & valoris reddas.

Art. V.

Art. V. An vsurarius pecuniæ fœnoris Dominium acquirat?

Caiet. in tractatu de vsura quæstione 1. tres citat opiniones, quarum prima est affirmans. Secunda, & contraria est. S. Tho. D. Bona. Tertia est media, quę tenet transferri Dominium, quando vsura in rebus, quæ vsu consumuntur, soluitur, non autē si in rebus quæ nō vsu consumuntur soluatur.

Hic liberandus est Scotus à calumnia illi imposita, quia in teragendum, An vsurarius teneatur ad restitutionem, ait, videtur, quod vsurarius nō tenetur, quia dans vsuras transfert Dominium ergo alius, scilicet, vsurarius non tenetur ad restitutionem. Quia non habet alienum. R. etsi transferat dominiū, tamen recipiens tenetur ad restitutionem. sicut enim in mutuis datione transfertur, & tamen debitor tenetur restituere creditori. ex hoc loco male colligunt aduersarij Scoti sententiam. quia ipse solum negat. sequi trās fertur Dominium, ergo vsurarius non tenetur ad restitutionem. Et qui negat sequi, non est visus concedere antecedens, sed solum permittere, vt transeat, non curando, sitne verum, an non, quid? quod Scotus potius tenet vsurarium pecuniæ fœnebris non acquirere Dominium. Nam vbi supra art. 4. ita ait, fœnerator non tenetur reddere lucrum acquisitum ex pecunia fœnebri. alioquin ille, qui reciperet, posset iuste esse vsurarius. quia accipere fructum de sua pecunia prouenientem per industriam alterius, quod est facere vsuras, vides quam aperte insinuat Scotus pecuniam fœnebrem esse suam, idest, soluentis vsuram, & non fœneratoris. *Scot. liberatur.*

CONCLVSIO.

Vsurarius neque pecuniæ, neque cuiuscunque alterius rei per vsuras acquisitę comparat Dominiū. Ratio est, quia dans non libere dat, sed inuitus, & ad translationem dominij requiritur libertas. Est quoque definita in cap. debitores. de iure iurando. *Ric. ibidem. d. 15. q. 2. art. 3. Adr. in q. de vsura Medi. & Soto loco citato.*

I. Diffic. Habebitne vsurarius dominium eorum, quæ pecunia vsuraria emit?

Scotus vbi supra partem affirmantē tenet. Et ratio illius est, quia pecunia non facit fructum, sed industria negociātis, scilicet, vsurarij; atque ita fructus campi pecunia aliena comparati non erunt restituendi. satis enim est pecuniam restituere, & campum retinere. *S. Tho. 2. 2. q 78. art. 3*

II. Diffic.

II. Diffic. Qui vendunt aliquid vſurario, vel ab illo emunt, tenenturne vſurarij creditoribus facere reſtitutionem?

CONCLVSIO.

Qui emit ab vſurario, eandem rem numero, quæ data eſt illi titulo vſuræ, creditoribus vſurarij, etiam cum fructibus, ſeclusis tamen propria induſtria acquiſitis, reſtituere tenetur. nã, vt ſupra diximus, vſurarius nõ habet dominiũ illius rei; & ideo qui illam ab vſurario emit, tenebitur cum fructibus vero Domino reſtituere.

CONCLVSIO.

Emens ab vſurario rem aliquam, cuius ratione vſurarius omnino impotens efficitur ad reſtituẽdum vſuras, tenetur tunc emens ad reſtitutionem. Et ratio eſt, quia cum ille cõtractus impediat reſtitutionẽ, efficitur criminis vſurarij particeps.

APPEN. Hinc, ducens in vxorẽ vſurarij filiam, ſi impotens ad reſtituendum propter dotem efficiatur, ad reſtituendam dotẽ obligatur. perinde accipiẽs eleemoſynam ab vſurario, & neceſſaria victui, aut veſtitui: ſimiliter vendens vſurario victui, & veſtitui neceſſaria ad precij accepti reſtitutionem tenetur. eodẽ etiam modo, & famuli, & mercenarij ab vſurario ſtipendium recipientes. Et ratio horum omniũ eſt, quia cum ab vſurario accipiant pecuniam, & nihil illi ratione pecuniæ acceptæ, quo poſſit creditoribus ſatisfacere conferãt, certiſſimum eſt vſurariũ effici minus potentem ad reſtitutionem. Cuius quidem impotentiæ, cùm fuerint contrahentes cauſa, erunt profecto reſtitutioni obnoxij.

Ric. vbi ſupra, Medina & Soto vbi ſupra.

III. Diffic. An hæredes vſurarij ad reſtitutionem teneantur?

CONCLVSIO.

Tenentur quidẽ. quia teſtamenta vſuraria ſunt ipſo iure nulla: vt conſtat de vſuris in 6.

IIII. Diffic. Tenenturne hæredes in ſolidum omnes vſuras reſtituere, an quilibet pro rata?

CONCLVSIO.

Quilibet tenetur ad tantam reſtitutionem faciendam, quanta fuerit hæreditas, quám ſortitus eſt. & idem eſt iudiciũ de legatario. Et ratio eſt, quia, cum omnia bona defuncti ſint creditoribus obligata, quilibet, ad quem aliquod bonum peruenit, in ſolidũ reſtituere, & vno reſtituente, cæteri pro rata illi ſatisfacere tenentur.

QVAE-

QVAESTIO DE DONATIONIBVS.

Medin. a. q. 23. vsq; ad 28.

Art. I. Quid nam est Donatio & quotuplex?

PROPOSITIO.

Donatio proprie dicitur, cum quis ea mente dat vt statim accipientis fieri, nec vllo casu ad se reuerti velit. quæ solũ fit ad liberalitatem, & magnificentiã exercendã. hæc nõ aliter, quam ex Etymologia nominis confirmatur.

PROPOSITIO.

Donatio quadruplex est. Vna absoluta, quando absolute dicitur, hanc rem tibi dono. Secunda conditionalis, quando conditio si, apponitur. Tertia Modalis, quando dictio (vt) ponitur. Vltima causalis, in qua dictio (quia) proponitur. vt si quis dicat, quia mihi egenti adiumẽto fuisti, tibi 100. dono, quæ potius remuneratio appellanda est.

I. Diffic Donatio absoluta vltra quantitatem à lege statutam estne valida?

CONCLVSIO.

Donatio omnium bonorũ in foro conscientiæ valebit, & qui possidet ad restitutionem non tenebitur. Ratio est, quia nihil tam naturale est, quam, vt dominia in alios ex voluntate proprij Domini transferantur. præsertim, quando huiusmodi translatio à lege in foro conscientiæ non impeditur. & Lex Tauri solum prohibet formam, contractus in foro exteriori; non autem in foro animæ: vt cõstat ex consuetudine, quæ est optima legũ interpres. nullus enim restitutionem fieri ab illo, qui bona omnia alterius per donationem accepit, iussit.

II Diffic. An donatio facta per metum valeat?

Duæ sunt opiniones. Prima Panor. in cap. Abbas affirmãtis talem donationem valere, sed postea per iudicem esse irritandã. Secũda opinio est Almaym d. 15 qui negat valere.

CONCLVSIO.

Donatio per quemcunque metum facta est in conscientia nulla. Ratio est; quia donatio debet esse libera. Ita enim plerunque extenuat libertatẽ metus mediocris, aut minimus, atq; metus cadens in virũ cõstantem. siquidẽ cessante illo metu, qui donat, non donaret. oppositũ tenent omnes Theologi, atque Canonistæ affirmãtes solum esse nullam donationẽ, quãdo metu cadente in constantẽ virum fit.

CON-

CONCLVSIO.

Qui metu compulſus donauit, & iuramento firmauit, iuramentum adimplere tenetur, & ille, cui facta eſt donatio vel remittere, ſi nondum accepit, vel reſtituere, ſi accepit, tenetur. Definita eſt in cap. primo de iureiurando vbi ratione iuramenti debitor, ad ſoluendas vſuras compellitur.

III. Diffic. An donatio facta ſolo interiori voluntatis actu ſit in conſcientia valida?

CONCLVSIO.

Quando conſenſus expreſſus vtriusque partis nō interuenit, donatio eſt nulla. Ratio eſt, quia donatio eſt, contractus, & contractus eſt attractio voluntatis vtriuſq. partis. hic autem non fit talis attractio. Quia non acceptatur.

APPEN. Hinc, nulla erit donatio per ſcripturam, & coram teſtibus abſenti facta, ſi antequam acceptetur, reuocetur, deficit enim mutua voluntas vtriuſque partis, quæ ad donationẽ deſideratur.

IIII. Diffic. An donatio facta meretrici ab amante ſit valida?

CONCLVSIO.

Valida eſt, niſi nimio amore amans rationis vſum amiſertt. Ratio eſt; quia amor non aufert libertatem, quemadmodum metus, propterea quod, amor à voluntate proficiſcitur; metus autem ſiue timor ab extrinſeco contra voluntatem infligitur.

V. Diffic. Valetne donatio ſub conditione facta conditione non exiſtente?

Animaduertendum eſt primum, valerẽ donationẽ præſentem in teſtamento factam ſecũdum ius ciuile, etiã vno ex quatuor conditionibus ſequentibus non adimpleta, ſcilicet, ſi fuerit conditio impoſſibilis: vt ſi teſtator dixerit lego Petro 100. ſi cœlum digito tetigerit; vel ſecundo ſi fuerit turpis; vt ſi fecerit tale peccatum, aut tertio ſi fuerit matrimonium impediens, vt ſi non nupſerit, aut quarto, ſi fuerit impeditiua alterius maioris boni: vt ſi dicat, lego centum, ſi religionem non ingrediatur. Ratio eſt ; quia huiuſmodi conditiones in iure pro non appoſitis habentur.

CONCLVSIO.

In foro exteriori donatio facta ſub conditione aliqua ex ijs quatuor per teſtamentum, etiam non exiſtente conditione valet. Definita eſt in Cap. finali, & in cap. verum de conditionibus appoſitis.

CON.

CONCLVSIO.

In foro conſcientiæ donatio ſub conditione aliqua ex iis quatuor facta conditione non exiſtente, non valet; quando colligitur voluntatem teſtatoris fuiſſe: vt conditio adimpleretur. Ratio eſt; quia deficiente conditione, deficit donãtis voluntas.

Eſt tamen limitãda concluſio, niſi ille, qui donauit voluerit; vt eius donatio ſecundum ius ciuile intelligeretur. cognoſcetur, autem non fuiſſe teſtatoris voluntatem, ſi fuerit literatus. nouit enim ipſe teſtamentum ſecundum prædictas leges eſſe interpretandum. *Limitatio.*

CONCLVSIO.

Iudex in foro exteriori inique faceret proferendo ſententiam contra donantem non impleta conditione vna ex quatuor poſitis, ſi inſinuauerit teſtator ſe noluiſſe valere donationem, niſi conditione adimpleta. Ratio eſt; quia iam eſſet præſumptio legis.

CONCLVSIO.

Quando qui donat eſt bene iuris ciuilis conſcius, etiam conditione vna ex illis quatuor poſita non exiſtente, donatio valebit. Quia viſus eſt ſecundum iuris formam donare.

VI. Diffic. An valeat donatio cauſalis, cauſa non ſubſequuta, & modalis, modo non ſubſequuto?

CONCLVSIO.

Quando donatio cauſalis, eſt inter viuos, cauſa non ſubſequuta, intentio donantis eſt omnino conſulenda. & idem dicendum eſt de modali, modo nõ ſubſequuto; vt ſi quis dicat, dono tibi rem hanc, quia recte mea negotia geſſiſti. ſi non ita factum fuerit, donantis intentio erit conſulenda. Ratio eſt; quia tũc tolletur omnis ſcrupulus. alioqui enim nunquã retinens donum, bona fide poſſidebit. Nam aget contra conſcientiam, cum ſit dubius, à qua dubitatione liberati non poterit, niſi per conſultationem.

CONCLVSIO.

Si cauſa, vel modus donantis non fuerit expreſſus, ſed præſumptus, nihilominus, vel reddere acceptum, vel donãtis intentionem conſulere tenetur. Et ratio eſt; quia aliter mala fide retinebit.

Hinc, puella, quæ accepit munuſcula: vt alliceretur, ſi nõ conſenſerit turpitudini donantis, ad reſtitutionem tenetur. quia deficit voluntas donantis. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando res, ob causam præsentem donatur, & causa nõ existente accipitur, accipiens tenetur ad restitutionẽ. Quia deficit voluntas dantis, quæ est donationis radix.

Hinc, accipiens Eleemosynam ficta paupertate, est restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Si donatio fuerit in testamento, dispositioni iuris standũ est; nisi aliunde testatoris voluntas constet. quia leges disponentes legata conditionalia, causa siue modo, siue cõditione non subsequuta quando contrarium testator nõ expressit, fundatur in presumptione. quia præsumunt, quod si aliud testator voluisset, expressisset.

VII. Diffic. An valeat donatio modalis alicui facta; vt faciat, quod ratione iustitiæ, vel charitatis facere tenebatur?

CONCLVSIO.

Quando opus est gratis debitum peccat mortaliter, qui munera, siue pecuniã accepit pro opere præstando, & ad restitutionem tenetur. Ratio est; quia dans non gratis, & volens, sed inuitus, & ad redimendã vexationem dat.

APPEN. Hinc, cõsiliarij regis iustitiæ ministri stipendiarij, si quid vltra stipendiũ accipiãt pro administratiõe iustitię, ad restitutionem tenentur. idẽ est de reliquis ministris inferioribus iudicium.

APPEN. Hinc, Sacerdotes quando gratis tenentur sacramenta administrare, & pro administratione quicquam recipiunt, ad illius restitutionem tenẽtur. Constat ex Cano. nõ sanat 14. q. 5. datur enim eleemosyna plus solita ad redimẽdã vexationẽ. ideo caueant Sacerdotes libentius confessiones offerentium pecunias, quam non offerentium audientes.

Hinc, recipiens donum; vt ab opere illicito. v. g. ab homicidio. & c. abstineat, ad restitutionem tenetur.

CONCLVSIO.

Pro opere debito ex precepto recte pecunia exigitur, quę operanti à lege statuitur. Dignus enim est operarius mercede sua.

Hinc, Sacerdos pro administratione sacramentorũ decimas, & medicus pro curandis infirmis, quos ex præcepto (si non esset alius medicus) curare teneretur, aliquid exigere poterit; atq; etiam testis non pro testimonio dicendo, sed quia aliquid eius causa consumpsit, & lucrari poterat.

CONCLVSIO.

Pro opere, siue ex iustitia, aut charitate, vel ex præcepto debito, aut pro opere supererogationis licebit pecuniam dare, & recipere non animo vtendi, aut emendi illud opus, sed inducendi alium ad tale opus exercendum Colligitur expresse ex cap. Quam pio 2. q. 2. & ex Cap. & si quæstiones. de symonia.

Hinc, Episcopus, cui datur aliquid, vt libentius digniori faueat, & Iudex, cui munus tribuitur, nō ad redimendā vexationem, quia vir bonus censetur, sed vt facilius, & libētius bene iudicet, & testis, cui eadem ratione aliquid datur, ad restitutionem minime tenetur, quia dans non inuitus dat, neque symonia aliqua committitur.

VIII. Diffic. An qui accepit donum ob turpem in causam, & qui promisit, causa turpi subsequuta, promissum adimplere teneatur?

CONCLVSIO.

Si conditio nōdum est completa, promittens contractū rescindere tenetur. Ait enim Isidorus; in malis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. tenetur enim impedire flagitium committendum, quod nisi rescindēdo contractū impediri non potest.

CONCLVSIO.

Flagitio iam commisso, promittens pecuniā pro illo cōmittendo, promissum soluere tenetur. Constat ex Cap. debitores. de iureiurando. lege questione. de voto.

CONCLVSIO.

Qui accipit pecuniam pro flagitio commisso, illā restituere minime tenetur. Quia dās spōte dedit. De hac re supra

X. Diffic. An qui promisit rem certam, quam ante traditionē aliquo modo alienauit, æquiualens restituere teneatur?

CONCLVSIO.

Qui promisit aliquid in specie, vt equum &c. tenetur, sub pœna peccati mortalis adimplere promissum indiuiduum illius speciei, aut ęquiualens reddendo. tenetur enim homo homini iure naturæ fidē seruare, etiam non interuenientе iuramento; & peccat promittens rem grauem, & non potens illam præstare.

XI. Diffic. Licetne pecuniam accipere pro iniuriæ remissione?

CONCLVSIO.

Nequaquam licet. Nam remittere iniuriā est animū red-

dendi malum pro malo remittere. & cum talis remissio sit opus spirituale, esset symonia pecuniam pro illa recipere. debemus enim gratis delicta proximis remittere; quemadmodum nobis Deus condonat.

CONCLVSIO.

Ab actione iniuriarum integrum est pro pecunia recedere. Constat ex Cano. si quis contractus dist. 40. & ex glossa ibidem. Nam qui iniuria affectus est, non tenetur damna illata in persona fama, aut fortuna remittere. Propterea quod, lege diuina solum obligatur ad deponendum animum sumendi vindictam, aut reddendi pro malo malum. Difficillimum tamen est discernere, deposueritne vindictæ animū; quem quidem habet, si gaudet, vt aduersario similis iniuria inferatur.

Medi, q. 16. 17. & 18.

QVAESTIO DE PRAESCRIPTIONIBVS.

Art. I. Quidnam est Præscriptio?

CONCLVSIO.

Medi. q. 16. Soto lib. 4. 5. artic. 4.

Præscriptio est dominium acquisitum authoritate legis post temporis spacium à lege permissum. hæc Conclusio, quæ continet prescriptionis definitionem, intelligitur facile positis his, quæ ad legitimā præscriptionē desiderātur; quæ quidem sequentibus propositionibus comprehenduntur.

PROPOSITIO.

Ad legitimam præscriptionem continua possessio rei præscribendæ per totum tempus à lege decretum est necessaria; vt si lex decennium statuat, illam continuis decem annis possidere debet.

APPEN. Hinc, qui finito quinquennio, rē alienaret, & postea per aliud quinquennium possideret, non præscriberet.

PROPOSITIO.

Est etiam necessaria bona fides in possidente, idest, vt toto tempore præscriptionis non sit rei alienæ conscius. Constat de reg. iur. in 6. quia possessor malæ fidei nunquam præscribit.

PROPOSITIO.

Est quoque necessarius in pręscribēte titulus, idest, actus, quo dominium transferri solet.

APPEN. Hinc, possidens rem inuentam, non præscribit. Quia detentio rei inuentæ nunquam transfert dominium.

Hinc,

Hinc, neque fur, aut latro præscribere potest. Propter eandem rationẽ. Vide glossam in cap. Si diligenti de præscriptionibus. APPEN.

PROPOSITIO.

Est quarto necessarium; vt res præscribenda sit talis naturæ; vt à iure præscribi non prohibeatur. APPEN.

Hinc, subditus pręscribere nõ potest contra Prælati obedientiam; vt in aliquo casu obedire non teneatur. APPEN.

Neque etiam, vt stipendium visitanti Episcopatum aliquis soluere non teneatur. vt cõstat ex cap. Cum ex officio de censibus. APPEN.

Tum nec potest quis præscribere, ne Ecclesiasticum interdictum seruare teneatur; vt definitum est in cap. Alma mater. de sententia excommunicationis in 6. APPEN.

Neque laicus ius patronatus, aut ius exigẽdi decimas (vt habetur in ca. Ante de præscriptionibus) præscribere potest. APPEN.

Neque limites vnius diœcesis ab alia præscribi possunt; vt in cap. Super eo. De parochijs est definitum. APPEN.

Neque homo liber pręscribi potest. Quia prohibetur. 16. q. 3. Cano. Placuit. APPEN.

Neque publicæ res, vt viæ, plateæ &c. quia prohibentur lege præscriptio. C. de opere publico. APPEN.

Neque pensiones, vel tributa, quæ Principi Reipublicæ, aut ciuitati soluuntur. Ita definitur dicto Cano. Placuit. APPEN.

Neque res dotalis, aut pupillorum durante pupillari ætate, quæ est vsq; ad 14. annum, aut bona minorũ sine iuris solemnitate vendita, vel bona Ecclesię absque cõcensu Capituli alienata. Quia eorum alienatio à lege, & à iure præscribi prohibetur. APPEN.

Neque res, quæ à testatore alienari prohibetur. quia hoc ius vetat per textum, & glossam in lege 2. C. de vsucapionibus pro emptore. APPEN.

Neque res possessa alieno nomine; vt commodata. quia quod alieno nomine retinetur, non vere possidetut. APPEN.

Neque res empta ab eo, cui est interdicta suorum bonorũ administratio. Nam, vt res minorũ præscribi non possunt; ita neque aliorum, quibus dãtur curatores propter suarum rerum abusum. APPEN.

Neque currit præscriptio contra ignorantẽ. Quia nõ est in culpa, qui ignorat rem ab alio possessam esse suam, neq; contra impeditũ, vt contra excommunicatũ cui non datur actio in iudicio, nisi fuerit in mora petendi absolutionem. APPEN.

Tandem neque qui præcario possidet, idest, ad præces veri Domini; nec debitor præscribere possunt: neq; emphyteota, idest, qui emit agrum ad tẽpus per suam, aut filiorũ vitã; neque censuarius, qui per aliquod tempus pensionem nõ soluit. quia hi omnes nõ habent bonam fidem; cũ sint rei alienæ conscij.

I. Dubium. Quot modis præscriptio interrumpitur.

Sot. eodem. art. Medin. q. 6.

R. varijs. Primo per malam fidem superuenientem ante præscriptionem finitam, vt habetur in cap. fin de præscriptionibus. Secundo per litis contestationem, idest, per petitionem actoris in iudicio, & per respõsum illius, contra quem agitur, & aliis modis apud Syluestrum.

Sot. ar. 4. citato.

II. Dubium. Estne idem præscriptionum tempus?

R. varia sunt tempora, est enim longũ; vt annorũ, inter præsentes 10. & 20. inter absentes, atque hoc contra laicos, & priuatas personas &c. lõgissimum 40. annorum contra Ecclesiam. & cõtra Romanã Ecclesiam 100. annorũ. in his autem iuris periti sunt consulendi.

Sot. eodem. loco.

Art. II. An finita præscriptione legitima, si Dominus rei inueniatur, præscribens iure præscriptionis possit illam in foro conscientiæ retinere?

Glossa in cap. Vigilanti. de præscriptionibus tres citat opiniones; quarũ prima affirmat teneri ad restitutionẽ, quocunque tempore conscientia rei alienæ superuenerit.

Secunda opinio asserit possidentem teneri ad restitutionẽ, si titulo gratioso donationis possideat; non autem si titulo oneroso, scilicet, emptionis.

Tertia tenet absolute; finita præscriptione cum bona fide esse tutũ in cõscientia, & ad restitutionem minime teneri. quam sequitur Soto: Adrianus optime distinguit. Nã, aut ille contra quem præscribitur, fuit negligens in recuperando sua bona; quia potuit, & illa recuperare destitit, aut fuit negligens, quia ignorabat rem suam esse apud aliũ, aut nesciebat apud quem esset, vel aliqua iusta de causa sciens rem apud alium esse, recuperare, aut repetere non potuit.

CONCLVSIO.

Quando creditor fuit negligens in repetendis suis bonis, & præscribens bona fide, & titulo habuit possessionem; tũc finito præscriptionis tempore, ad restitutionem nõ tenetur, hęc est Scoti, & Adr. & Syluest. vbi supra, qui dicit, esse omnium

nium Theologorum. Definita est expresse in cap. Sanctorũ de præscriptionibus. & in cap. Placuit 16. q. 3.

Hinc, emẽs rem furtiuam bona fide, si per triginta annos illam possideat ad restitutionem non tenetur. Ita definitur in lege, Si aliena, de vsucapionibus. perinde qui emit à minori, quẽ maiorẽ esse arbitrabatur; vt colligitur ex tex. & glossa in cap. 1. de rebus Ecclesiæ nõ alienandis. Idem dicendum est de illo, cui est res furtiua legata, si per 30. annos bona fide illam possideat. Ita habetur §. furtiue instituto de vsu capionibus. Idem quoq; iudicandũ de hærede singulari in rebus furtiuis defuncto succedente. APPEN.

Hinc, qui per tempus immemoriale decimas non soluit, ad restitutionem non tenetur. Quia potest illas præscribere; est tamen diligenter notandũ. Theologis; vt semper in his consulant Iurisperitos, qui si dixerint in casu. de quo interrogantur, habere locum præscriptionem; tunc præscribẽs ad restitutionem non tenebitur. Sin minus, erit restitutioni obnoxius. APPEN.

CONCLVSIO.

Quando ille, contra quem præscribitur, toto præscriptionis tempore fuit impeditus, vel ignorãtia, vel alio iusto impedimẽto, quominus rẽ suam apud alium retentã peteret, etiã finita præscriptione (si fuerit rei alienæ conscius) ad restitutionem suo Domino faciendam tenebitur. Patet: quia ratio, ob quã lex transfert Dominiũ in præscribentem est; ad puniendã negligentiã Domini, qui rem suam per longũ tempus negligit; vt expresse in cap. Vigilanti, habetur, & cũ in præsentia ratio legis cesset, cessare debet lex, præsertim pœnalis, hæc conclusio est Adria. vbi supra, & Medinæ. & Syluest. contra Soto hac distinctione.

1. Diffic. Possessor malæ fidei, finita præscriptione, eritne in conscientia tutus?

Glossa in cap. finali de præscriptionibus, & Adr. in hac materia varias citãt opiniones, quarum. Prima. dicit omnes leges ciuiles concedentes præscriptiones 30. aut 40. annorũ, cũ mala fide nõ esse per Cap. finale de præscriptionibus reuocatas. Secũda opinio est Pano. in Cap. finali citato asserẽtis leges omnes cõcedentes malæ fidei præscriptionẽ, esse omnino per ius canonicũ abrogatas. Tertio opinio est Medinæ, quæ dicit quo ad res quæ sunt apud præscribentẽ requiri bonam fidem in prescribente, & quantum ad hoc esse prædictas leges ciuiles reuocatas, non autem quantum

ad ius petendi, vel exigendi aliquod debitum, aut seruitutem, vt si quis statuto caueatur, vt debitū amittatur, si per triennium non petatur. Quarta opinio est Adria. distinguētis de mala fide, quam potest quis habere cum peccato, & sine peccato.

CONCLVSIO.

Ius Canonicum reuocans pręscriptiones malę fidei, leges ciuiles negantes in iudicio actionem Domino rei præscriptæ non reuocat. Nam, cum leges illæ sint iustissime; quia puniunt negligentiam Domini, propterquam rerum dominia confunduntur, quod quidem in detrimentum Reipublicæ redundat, non erunt profecto per ius Canonicū reuocatæ.

CONCLVSIO.

Ius Canonicum malæ fidei præscriptionem reuocans, leges ciuiles transferentes dominium in malæ fidei possessorē abrogat. Nam quantum ad hoc leges illæ sunt iniustæ, & contra ius diuinum, & naturale. Iniquum enim est; vt conscius rei alienæ (iure Canonico hoc expresse prohibente, vt ex cap. finali citato constat) præscibat.

APPEN. Hinc, debitor vectigalium tenetur in consciētia restituere, quando quæstor vectigalium per triennium ab illo vectigalia petere neglexerit licet finito triēnio in iudicio ratione pręscriptionis conuinci nō possit. quia est possessor malæ fidei. Perinde iudicandum est de Domino. à quo per negligentiam famulus stipendium non petiit.

Soto art. 4. vbi supra.

II. Diffic. Poteritne aliquis præscribere rem alienam habens, dubiam conscientiam?

Dubi quis sit. Dubius dicitur; qui est incertus, & habet argumenta in vtranque partem, quorum ratione neutri parti assensum præstat. glossa in cap. finali de præscriptionibus, & Panor. cū glossa & Medina partem affirmantem tenent. Adria. in hoc tractatu partem negantem defendit.

CONCLVSIO.

Stante conscientia dubia sitne meum, an tuū, quod possideo, ad restitutionē non teneor. Nam, vt in pari causa turpitudinis melior est possidentis conditio; ita in præsentia.

CONCLVSIO.

Tenetur tamen, qui ita dubius est, omni modo possibili inuestigare veritatē. Alioqui enim habebit iam ignorantiā, quæ est culpabilis. quare, vel tenetur diuidere bona cū suo riuali, vel si fuerit incertus pauperibus dare.

CON-

CONCLVSIO.

Qui ita dubius eſt, poſſideatne alienum &c. durante conſcientia dubia, præſcribere non poteſt. Nam qui talem conſcientiam habet, tenetur habere animum paratum ad reſtituendum alienũ, etiamſi poſt mille annos fuerit veritas cõperta. & qui præſcribit finito præſcriptionis tempore ad reſtitutionem non tenetur.

Dubium. An quando defunctus habuit malam fidem, ſcilicet, ſi rem furtiuam detinere, hæres illius præſcribere poſſit?

Soto, vbi ſupra, partem affirmantem tenet, nihilominus cũ gloſſa in §. furtiue inſtituta de vſucapionibus multos ibi text. adducente dicendum eſt; tale heredem, ſiue vniuerſalem, ſiue particularem, nullo tempore præſcribere poſſe, quantumcunque bonam habeat fidem. cæterum ſi hæres bonæ fidei rem furtiuam alteri vendat, emptor ſpatio. 30. aut 40. annorum præſcribere poteſt.

PROPOSITIO.

Hæres autem bonæ fidei defuncto bonam fidem, ſiue titulum habenti, ſuccedẽs præſcribere poteſt. Quia ipſe habet titulum hæreditatis. v. g. Defunctus bona fide poſſidebat rem alienam domi inuentam. hic non habet titulum. ſed bonam fidem, quæ quidem res præſcribitur ab hærede, cum titulum, & bonam fidem habeat. Hæc de præſcriptionibus.

QVAESTIO DE LVDI RESTITVTIONE.

Alexan. Alen. 3. p. q. 86. m. 3. S. Tho. 2. 2. q. 32. Ric. art. 5. q. 8. Me. q. 21. Soto lib. 4. q. 5. Pater Alcoçer in ſua ſumma de los juegos.

Art. Vnicus. An qui lucratur pecuniam contra legis prohibitionem, ante iudicis ſententiam ad reſtitutionem teneatur?

Tres ſunt opiniones. Prima Paluda. affirmantis teneri in conſcientia, vel pauperibus, vel amittenti illam, reſtituere, quocunque ludo illam acquiſierit: niſi ſit ludus Reipublicę vtilis; vt eſt haſtiludium. Secunda eſt S. Tho. aſſerentis ad reſtitutionem obligari, quando ludus lege prohibetur. Tertia eſt Alex. & Sylueſt. qui docent ad nullam reſtitutionem teneri lucrantem ludo prohibito, demptis caſibus infra exponendis.

CONCLVSIO.

Lucrans pecuniã in ludo neque iure naturali, neque diuino

uino ad restitutionē tenetur. neutro enim iure tenetur aliquis ad restitutionem, nisi propter iniustam acceptionem alieni, aut detentionem, quæ fit inuito domino, & cum lucrans pecuniam in ludo nō retineat illam inuito Domino, ad nullam restitutionem tenebitur.

CONCLVSIO.

Neque iure canonico, aut ciuili aliquis ad restitutionem talis lucri obligatur. Quia leges prohibētes ludum, dominij translationem non prohibēt: quemadmodū leges venditionē à minori factam impediūt. nā quando lex prohibet dominij ttanslationem, non imponit pœnam; quemadmodū lex Cano. imponit ludentibus: vt constat ex Cano. Episcopus 35. d. & in cap. clerici de vita, & honestate clericorum.

CONCLVSIO.

Amittens pecuniā in ludo, illā in iudicio repetere potest; & lucrans damnatus à iudice, soluere tenebitur, constat per autenticam alearum vsus. C. de rescriptis. leges enim prohibentes ludum, amittētibus actionem in iudicio tribuunt.

I. Dubium. In quibus casibus aliquis ad restitutionem pecuniæ ludo acquisitæ tenetur?

R. in multis casibus, qui sequentibus propositionibus cōtinentur.

PROPOSITIO.

Tenetur quando ludens nō est Dominus pecuniæ amissæ.

APPEN. Hinc, qui lucratur à filio familias, qui est in potestate patris, tenetur restituere. quia non est Dominus pecuniæ amissæ, nisi sit parua quantitas pecuniç deperditç, vel habeat patrem diuitem, vel ex voluntate patris luserit. Nam licet, nō consenserit, consentire tamē tenetur, vel nisi sint bona castrensia. vel quasi castrensia. nam eorum Dominiū habet.

APPEN. Hinc, qui lucratur pecuniam à seruo, siue à religioso, est quoque restitutioni obnoxius. quia nullus istorum Dominium bonorum habet.

PROPOSITIO.

Si ludens habet dominium bonorum, est tamen eorum administratio sibi interdicta, non potest in ludo pecuniā amittere, & qui lucratur ad restitutionem tenetur. Ratio est; quia, vt non valet donatio, siue alienatio ab illo, per quemcunque alium contractum facta, ita neque valebit alienatio facta per ludum.

APPEN. Hinc, qui à minore existente sub tutore, aut curatore lucratur, ad restitutionem tenebitur.

Perinde

Perinde qui lucratur a coniugata; quia non habet administrationem bonorum, sibi, & marito cõmunium, neque etiã dotis. Ratio est; quia lex prohibet alienationem per istas personas factam; nisi mediante authoritate superioris curatoris, scilicet, aut tutoris, aut mariti, fiat alienatio. APPEN.

Intelligendum hoc est, nisi paruitas materiæ excuset; aut mulier, vltra dotem habeat aliquorum bonorum administrationem. illa enim in ludo amittere poterit. *Limitatio.*

Hinc, religiosi studentes, vt nõ possunt alienare bona ratione alimenti data, ita neque inter ludendum amittere. APPEN.

PROPOSITIO.

Quando persona, cui prohibetur alienatio, vt filius familias, aut minor pecuniam à collussore hoc ignorante lucratur, tenetur ad restitutionem: nõ autem si collussor volẽs, ac lubens ad ludendum cum prohibito accesserit. Et ratio est; quia volenti, & cõsentienti nõ fit iniuria. tum etiã, quia filius familias non prohibetur dominiũ acquirere. hæc propositio est Gab. Sylue. Oppositum tenet Pater à castro.

PROPOSITIO.

Quando religiosus habet facultatem donandi certam pecuniæ, aut rerum quantitatẽ, illam per ludum in aliũ trãsferre poterit. Hęc est patris Alcoçer demptis tamẽ religiosis ordinis minorum, quorũ Prælati non possunt facultatem alienandi concedere; etiam si inquit, intentio Prælati tacita fuerit; vt per ludum talis pecuniæ quantitas non alienaretur. Opposita opinio est etiã probabilis, quia religiosus nõ habet facultatem in alium dominiũ transferendi, siue vsum rei cõtra voluntatem tacitã, siue expressam Prælati. & nunquam talis fuit Prælati voluntas; vt ludo illa pecunia alienaretur.

PROPOSITIO.

Quando alter ludentium in ludo fraudem cõmisit quicquid fraudulenter lucratus est restituere tenetur. Nam collusor intentionem transferendi dominium interueniente fraude nunquã habuit, & si fraudẽ nouisset ad ludum non accessisset. Committitur autem fraus, quoties leges inter ludentes constitutæ, non seruantur.

II. Dubium. Quid si alter ludentium sit peritissimus? *DD. vbi supra.*

PROPOSITIO.

Si ambo sunt ignoti, quod peritissimus tũc lucratur, quãdiu imperitiam aduersarij ignorat, restituere non tenetur.

PRO-

PROPOSITIO.

Intellecta autē aduersarii imperitia, & se longe peritiorem intelligens, tenetur, aut à ludo recedere, vel tantam palmam aduersario concedere, quanta, vt par sit vtriusque conditio desideratur. Alioqui enim fraudulēter lucraretur. Nam æquipollent fraudem committere, & aduersarium scientia multo inferiorem, pecunia expoliare.

III. Dubium. Quid si ambo antea se nouerant?

PROPOSITIO.

Si imperitus perito dixerit, age, quicquid lucratus fueris tibi condono, non tenebitur peritior ad restitutionem. volenti enim, & consentienti, non fit iniustitia.

PROPOSITIO.

Peritior restituere tenebitur, etiamsi imperitus volens, & sciens ad ludum accedat, si non dixerit, tibi quicquid lucratus fueris, condonare, volo. quia cupiditas lucri excæcat illum, ne excessum peritiæ aduersarii animaduertat. tum etiā quia non vult transferri dominium, nisi seruatis ludi legibus, præsertim ludentium æqualitate. hæc est opinio doctissimi Patris Francisci Alcoçer. Opinio opposita est Medinę, & ratio illius est, quia imperitus volens, & sciens aduersarii peritiam, & ad ludum accedens iuri suo renunciare videtur, & cum volenti & consentienti non fiat iniustitia, peritus non erit restitutioni obnoxius.

IIII. Dubium. Qui inducit aliquem ad ludendum timore mortis, vel amissione alicuius boni temporalis, siue rubore aliquo, si lucretur, tenebitur collusori restituere?

Syluester. verbo ludus q. 11. Soto vbi sup. ar. 2.

CONCLVSIO.

Qui dicit alteri, ego te interficiam si mecum non luseris, vel non soluam pecuniam, quam lucratus es, vel coram aliis dixerit, si non luseris mecum, miserrimus iudicaberis, ad restitutionem tenetur. quia deest libertas in inducto, quæ est potissima radix iustitiæ translationis. Hæc est S. Tho. & Caiet. vbi supra S. Thom. & Syluest. & Patris à Castro de lege pœnali.

V. Dubium. Quid si ita inductus aliquid fuerit lucratus?

Cap. 21.

R. Pater Alcoçer defendit teneri ad restitutionem inducenti. Et ratio est, quia, vt non potuit amittere, ita neque lucrari.

Contraria opinio est Peritissimi Sacræ Theologiæ apud D. Franciscum Salmanticæ prælectoris Patris Gaspari Vzeda

Vzeda; propterea quod, inquit, inducens liber ad ludendum accessit: ac proinde translatio per illum facta, in ludo valebit.

VI. Dubium. Qui ludit pecunia credita tenebiturne ad pecuniæ in ludo amissæ restitutionem?

Duæ sunt opiniones. Prima est Patris à Castro, & Sot. affirmātium amittentes pecuniam creditam, non teneri in conscientia ad illius solutionem. Quia lege cautum est in Castella. ne quis pecunia credita ludat; extra Castellā verò, vbi ius tantum commune seruatur ad restitutionem teneri. Hos sequitur Pater Alcoçer ca. 30. & 31. in tractatu (de los juegos) Opinio tamen Adr. probabilior videtur. *Soto vbi supra.*

CONCLVSIO.

Nulla etiam lege prohibente ludum pecunia credita, amittens pecuniam est ad illius solutionem obligatus. Et ratio est, quia cum ludens pecunia credita, posset illam repetere coram iudice post solutionē factā; poterit quoque illā ratione mutuæ compensationis retinere; quamuis ratione promissi illam soluere teneatur.

PROPOSITIO.

Quando in regno Castellæ sunt bella milites tabulis, aut alea ludentes ad restitutionē tenentur. Constat ex lege prima tit. 2. lib. 8. ordin. regal. Verum lex hæc solum obligat milites, & in regno Castellæ existētes. quia leges curiæ Castellæ alia regna inuictissimo Regi nostro Philippo subiecta minime obligant.

PROPOSITIO.

In omnibus casibus, in quibus aliquis ad pecuniæ ludo acquisitæ restitutionem tenetur, obligantur etiam, qui talis ludi, & fraudis causa fuerunt.

Hinc, habens domum ad ludendum paratam, & alios ad ludendum inuitans, si fraudis faciendæ, aut iam factæ conscius fuerit, quicquid fraude acquisitum fuerit, restituere tenebitur, si tamen fraudis faciendæ, aut iam factæ conscius fuerit. APPEN.

Perinde etiam tenetur habens domum paratam ad ludēdum, si est causa vt filius familias, aut alius, qui alienare nō potest, pecuniam amittat. Et ratio conclusionis est; quia non solum malefactor, verum etiā omnes, qui sunt damni causa, ad damnum resarciendum tenentur, vt ysurarius, & eius ministri, de quibus supra. APPEN.

VII. Du.

VII. Dubium. Quid si aliqui contendant inter se, sit ne aliquod factum, vel faciendum, aut quod hoc, aut illud eueniat, sub certa pecuniæ quantitate?

Hoc genus ludi vulgo (apuestas) nominatur.

CONCLVSIO.

Quod hoc genere ludi quis lucratur, restituere non tenetur, etiamsi contentio de re illicita sit, verbi gratia, si vnus, dicat alteri, ne dicas patri verbum cõtumeliosum, alioquin, vel tu mihi, vel ego tibi 100. ducatos dabo. Et ratio est, quia quamuis res sit prohibita, pecuniæ tamen translatio voluntaria est, & nullo iure impedita, siue prohibita. Opinio opposita est probabilis admodum, quo illam Pater Alcoçer defendit, vbi subiungit propositionem sequentem notatu dignissimam.

PROPOSITIO.

Si contentio super rem, alioquin licitam, sub pœna excõmunicationis prohibeatur, quod tali contentione acquiritur, & retinetur, iure quidem acquiri, & retineri dicitur.

VIII. Dubium. Quando lucrum ex ludo est restituendum, cui est facienda restitutio?

R. supra in quæstione, cui sit facienda restitutiõ, huic dubio satisfecimus.

IX. Dubium. Poteritne quis propria authoritate accipere rem collusoris titulo recompensationis, & à petione pecuniæ in iudicio abstrahere?

Adr. hoc licere opinatur. Soto lib. 4. de iustitia, & iure q. 5. vbi citat Adrianum, est dubius circa hanc rem.

PROPOSITIO.

Si aliquis titulo recompensationis occupasset bona lucrã tis, vel debitum retinuisset, non esset ei restitutio præcipienda. Quia potest eius factum iuxta prababilem Adriani opinionem defendi. Hæc de ludo.

QVAESTIO DE CAMBIIS.

Medi. C. de resti. de sequentibus diffic. disseruit.

Art. I. Quid, & quotuplex est cambium?

Cambire est vnam rem cum alia siue eiusdem, siue alterius speciei permutare, Mercatorum tamen vsus fuit; vt nomine cambij, permutatio pecuniẽ vnius generis promutatione pecuniæ alterius, siue eiusdem generis, sed alterius loci intelligatur.

CON-

CONCLVSIO.

Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia statim reddenda, vel si reddatur post tempus in alium locum, nō est habenda ratio solutionis propter temporis spacium, sed propter loci distantiam; vt si Valentiæ cābiatur pecunia, Romæ soluenda. Hæc est Cambij descriptio, qua per particulā statim reddenda, distinguitur à mutuo, in quo datur pecunia post aliquod temporis spacium reddenda; in cābio vero statim nisi loci distantia impediat, tūcque nulla, vt infra dicetur potest haberi temporis ratio. conueniunt autē mutuum & cambium, quod vterque contrahentium pecuniæ permutatæ in alium transfert dominium.

Variæ sunt Cambij diuisiones, diuiditur enim in realē, & siccū, rursus in purū & mixtum, tertio in iustū, & in iustū, & dubiū. A Caie. 4. à Nauarro proponuntur septē cambiorū genera, ad quæ omnes cābiorum contractus siue iusti, siue iniusti reducuntur. quorum primum est per officiū, secundum minutum, tertium per litteras, 4. per translationē realem, 5. ratione lucri cessantis, 6. depositarium, & 7. ratione permutationis, aut venditionis pecuniarum. Vltima diuisio, qua omnia hæc cābiorum genera cōpræhenduntur est, qua cambium diuiditur in cambiū per officium, & per literas, rursus cambiū per literas secatur in cābium ratione trāslationis pecuniæ ex vno loco in alium, vel ratione permutationis, & translationis simul.

Art, II. An cambium per officium sit licitum?

V. G. liceatne habere mensam puratam, vt omnibus indigentibus pecunia mutuari possit, hac lege, & conditione, vt tēpore solutionis aliquid vltra sortem mutuāti reddatur.

Duæ sunt opiniones: Prima Dur. quem sequitur Medina, qui affirmat licere: huius sententiæ dicitur fuisse Scot. d. 15. q. 2. quod nec somniauit. Nam Scot. loquitur de negotiatione licita, quæ fit emendo, & vendendo in Reipub. non autem de cambijs, quæ ipse de vsuris verba faciens, damnauit. *Scot. liberatur.*

Nauarro, arbitratur hoc licere authoritate Reipublicæ tātum. Opposita opinio est Caietani asserentis cambium per officium nullatenus esse licitúm.

CONCLVSIO.

Cambium per officiū, vt in titulo art. proponitur, nullo modo est licitū. est enim vsurariū, vt constat ex definitione vsuræ, quę est, recipere aliquid vltra sortē ratione mutui, ꝙ quidem ita est intrinsece malum, vt nulla ratione sit licitū.

Art. III.

Medin. vbi supra.

Art. III. An cambium per minutum sit licitum, in quo ratione permutatæ pecuniæ aliquid vltra sortem exigitur?

V.G. si detur à campsore moneta argētea pro aurea hac lege, vt sibi pro singulis aureis tria, aut 4. dipondia reddantur.

CONCLVSIO.

Tale cambium per minutum est licitum. Ratio est, quia permutatio pecuniæ est licita, & tale cambium est permutatio pecuniæ vnius generis pro pecunia alterius generis.

CONCLVSIO.

Integrum est campsoribus ratione permutatæ pecuniæ aliquid vltra valorem pecuniæ, quam reddunt exigere. sunt enim ministri publici, Reipublicæ. hac in re seruientes, nam vt aliis mercatoribus fas est ratione laboris, & expensarum merces carius vendere, quam emerunt, ita etiam integrum erit campsoribus ratione laboris & expensarum, quas consumunt in congregandis, & conseruandis pecuniis, aliquid vltra valorem pecuniarum quas reddunt exigere. hoc idem quod licet campsori, publico, est etiam licitum cuicunque permutanti pecuniam. Ratio est, quia in hoc casu non est mutuum sed permutatio atque ita ratione laboris, vel alterius incommodi aliquid exigere licebit. Ita enim decretum est in quadam pragmatica regia. Oppositum tenet Caiet. cauere tamen debent campsores, ne ratione permutationis, plus quam à lege statutum est, exigant.

Art. IIII. De Cambio per literas?

Soto libr. 6. q. 89. & 10 Me. vbi su. Cate in hoc tractatu.

Hoc cambium sub hac forma celebratur, accipe. 100. nummos aureos Valentiæ, & da illos mihi Romæ.

CONCLVSIO.

Tale cambium per literas est licitum, si minus in vno loco, quā fuit acceptum in alio reddatur. Ratio est; quia cāpsor hic tantum exigere potest, quantum si translator pecuniæ conduceretur, ratione laboris, & expensarum peteret. suum enim laborem, & expensas in hoc ministerio Reipublicæ vtilitates campsores consumunt.

CONCLVSIO.

Hæc cambia non solum extra Hispaniam, verum etiam intra eandem sunt licita: vt si dentur literæ Metinæ ad Toletum, vel ad alium quantumcunque finitimum locū eadē est enim ratio cābiendi ad proximum, & ad distantem locum; & vt ad distantē licet, ita ad proximū non tamē tāta

pecunia

pecunia est exigenda ad proximum locum, quanta ad distantem, quia non tantum periculi est, timendũ, neque tot expensæ fierent, si famulo pecuniæ darentur: vt ad proximum locum, sicut ad distantem transferret.

CONCLVSIO.

Cambia, quæ per literas ad loca distantia finguntur, sunt omnino illicita, & vsuram palliatam continent. V. g. siquis diceret mercatori da mihi Metinæ 100. & reddam tibi Vlysbonæ totidem. vbi accipiens fingit se habere cãbium, quod non habet: vbi etiam singuli argentei duobus dipondijs nostros superant. Est enim contractus vsurarius. quia dans pecuniam Metinæ tempore solutionis, accipit vltra sortẽ ratione mutui, quod hac cambij forma palliauit.

I. *Diffic. An in cambio per literas aliquid ratione expectatæ solutionis ex parte dantis pecunias campsori in alium locum transferendas, & ratione breuioris solutionis ex parte campsoris, exigi possit?*

V. G. sit precium iustũ transferẽdi 1000. à Metina ad Flãdriam 100. dicatq. Dominus pecuniæ campsori, si remittis mihi 30. vt 100. quæ erã tibi in Flandria soluturus, expectabo te per duos mẽses, (y no sea a dia vista, idest, que se page el dia siguente despues de vista la cedula,) vel sit casus ex parte Campsoris, vt dicat campsor recipienti literas, Hispali sunt tibi soluendæ pecuniæ, & redditurus 100. per 1000. si autẽ post mensem rediturus es 80. licebitne tunc ratione breuioris solutionis plus exigere.

CONCLVSIO.

Ratione breuioris solutionis in cambio per literas, plus exigere, quam esset propter tardiorem solutionem reddendum cãpsori haud licet. Quia talis exactio est vsuraria omnino, & mutuo æquipollet. idem enim est, ac si diceret debeo tibi 1000. ducatos, si tibi statim vis soluam, remissurus es 100. si post mensem 80. quod quidem est apertissima vsura ratione expectatæ, vel anticipatæ solutionis.

CONCLVSIO.

Danti nummos Metinæ, vt sibi Vlysbonæ, aut in Flandria reddãtur, ratione dilatatæ solutionis, non licet campsorem iusto præcio defraudare. Est enim manifesta vsura. idem enim est recipere aliquid pro expectatæ pecuniæ solutione, ac si diceretur; remitte mihi 10. quæ tibi debeo, & accipe pro mense mutuũ. Nullo namq. modo in cambijs est

habenda ratio ad tempus solutionis, vt plus, vel minus aliquod exigatur. Quia esset iam cambium vsurarium, quod est diligenter confessoribus animaduertendum.

CONCLVSIO.

Cambium intra eundem locum, in quo ratione dilatatæ solutionis aliquid vltra sortem exigitur, omnino illicitum, & vsurarium est Constat cõclusio ex definitione vsuræ supra posita. Vnde sequitur, omnes huiusmodi campsores in statu damnationis esse.

II. Diffic. An in cambio per literas, quando pecunia à campsore datur, liceat plus ratione loci exigere?

Exempli gratia. interest maxime campsori transferre pecuniam Vitybonã ; atque etiam mercatori accipienti illam Metinæ à campsore idẽ conuenit: est modo difficultas posita. An in cambio &c.

Opinio Soti est, sine discrimine approbare huiusmodi contractum. Nauarro quinque modis hoc considerari posse docet, & vltimo, atque 5. modo asserit; ratione permutationis hoc fieri posse Et ratio illius est; quia permutatur pecunia præsens pro absente, & cum omne præsens sit absente preciosius; ideo vltra pecuniã datam aliquid amplius ratione pecuniæ absentis exigere, & accipere poterit.

CONCLVSIO.

Hæc ratio, pace sapientissimi, & Christianissimi viri dixerim, nullam vim habere videtur. Nam hinc liceret omnibus vsurariis, hoc colore vsuras vestire. dicerẽt enim, non mutuo, sed permuto tibi pecuniã præsentem pro absente, post duos menses mihi reddendam Est autem limitanda cõclusio, dummodo sit vtrobique idẽ pecuniȩ valor: Nã si in vno loco pecunia sit preciosior, quam in alio liceret quidẽ, vt infra dicetur.

III. Diffic. Licetne campsori aliquid vltra sortem exigere, quia numerat statim pecuniam, cuius solutionem differre poterat?

Exempli causa, est solemnis nundinarum consuetudo; vt emptores, venditoribus numerata pecunia non soluant, sed campsorem, vt ministrum, & fideiussorem tribuant, dicentes sub hac forma, solues nomine meo Ioanni in nundinis futuris 100. iam campsor non tenetur, vt constat, statim soluere, quod si creditor velit, vt statim sibi fiat solutio, tenetur reddere campsori pro singulis miliaribus, quinque dipondia. Hȩc est cõmunis cõsuetudo, de qua modo quȩritur,

tur, an sit licita. Soto affirmat hoc licere. quia campsor est fideiussor, & minister. Nauarro contrariã opinionẽ tuetur.

CONCLVSIO.

Nullo modo talis consuetudo est licita. Et ratio est; quia non licet aliquid ratione anticipatæ solutionis exigere. Est n. manifestissima vsura; vt ex supra dictis cõstat. Et in casu huius difficultatis campsores ratione anticipatæ solutionis, quinque dipondia pro singulis miliaribus exigunt.

Art. V. An liceat permutare pecuniam vnius regni, vbi est penuria illius, pro pecunia alterius regni vbi est maxima abundantia, non seruata æquali pecuniarum quantitate?

Syluester. verbo vsura cap. 4. Soto libr. 6. q. 12. artic. 1.

V. G. in Flandria est rarior pecunia, quam apud nos; licebit Hispano existẽte in Flãdria dicere Flandresi; accipe hic 10. & redde mihi in Hispania 14. quia in Flandria est rarior pecunia,

CONCLVSIO.

Contractus cambij, in quo propter raritatem pecuniarũ campsor plura recipit, vbi pecunia abũdat, & pauciora reddit, vbi est pecuniarum penuria, licitus est. Nam est contractus permutationis, in quo seruatur æqualitas, & quemadmodum si Valentiæ mensura tritici, 18. dragmas argenteas valeret, & Toleti 6. licitum tunc esset accipere Toleti tres mensuras tritici, vt Valentiæ vna tantum redderetur. quia tanti valoris est vna mensura Valentiæ quanti tres Toleti. Ita 90. in Flandria valẽt 100. in Hispania. Licitum erit cãpsori accipienti in Hispania 100. non reddere in Flandria, plusquam 90.

I. Dubium. Licebitne mercatori existenti in Flandria dicere? accipe hic 90. & in Hispania 100. redde.

CONCLVSIO.

Licet quidem pauciora danti, vbi est rarior pecunia, vt plura sibi, vbi est abundãtia reddãtur. Ratio est; quia in permutatione, vt dictum est, seruatur æqualitas.

II. Dubium. Licebitne etiam campsori accipienti Metinæ, non solum propter rationem dictam reddere aliquid minus in Flandria, pro labore, & expensis in transmittenda pecunia?

V. G. si ita fiat cõtractus; ego accipio à te nunc 100. Metinę, hac lege; vt reddã 90. in Flãdria, quę valẽt 100 in Hispania. & præter hęc, ratiõe trãslationis redde mihi quinq; . Soto, vbi supra, tenet non licere.

CONCLVSIO.

Talis forma contractus est licita. Nam si vtrunq. cambiũ per se separatum, est licitũ: cur ambo simul licita nõ erũt? Hæc omnia sunt vera, dummodo aliquid minus ratione tẽporis non reddatur. Nam esset, non permutatio, sed mutuũ, in quo aliquid vltra sortem ratione dilatationis temporis ex igeretur. quia de ratione mutui est fluxus temporis nõ autem de ratione permutationis. Nam redditio rerũ, quæ permutantur, simul fieri debet, nisi loci diuersitas obstet. Tum etiam debet, esse in Flandria rarior, aut saltem preciosior pecunia, & in his fides adhibenda est mercatoribus, quando sua peccata confitentur, qui si mentiantur, seipsos tantum fallunt, & Deum vltorem habebunt.

CONCLVSIO.

Quando vtrobiq; est Equalis abundantia pecuniarũ, talis contractus est dubius ratione permutationis, & licitus ratione translationis. quia cum vtrobique sit eadem abundantia pecuniarum plures merces Romæ per ducatum Romanum comparari possunt, quam in Hispania per hispanum: quare in permutatione non seruaretur æqualitas, bene tamen ratione translationis; vt ex supradictis constat. Soto vtroque modo contractum licitum esse arbitratur.

III. Dubium. Estne licitum sub forma sequenti cambire?

V.G. Accipe 100. ducatos auri Castellani hac lege, vt mihi Vlysbonæ totidem ducatos auri cruciatorum reddas.

CONCLVSIO.

Cambium est iniustum. quia non seruatur æqualitas, cũ aurum cruciatorũ sit longe purius, perfectiusque ac preciosius auro ducatorum.

IIII. Dubium. An forma cambiendi sequens sit licita?

V.G. Accipe 100. ducatos aureos, quorum singuli valẽt 11. nummos argenteos; vt totidem ducatos reddas, quando precium ducatorum fuerit auctum. Et nota; in quibusdam regnis plerunq; valorem ducatorum mutari. vt apud nos valor frumẽti passim mutatur. R. si certius est pecuniã rariorem esse futuram, contractus est vsurarius. atque etiã si fiat absolute, vt proponitur. Si autẽ sub hoc forma fiat, scilicet, accipe mutuo 100. ducatos hac lege; vt totidem, & non plures, aut pauciores post 4. menses reddas, siue sit auctus, siue diminutus ducatorum valor. Et ratio à simili est, nam, vt licet mutuare frumentum sub hac forma, accipe 100. mensuras frumẽti tẽpore Augusti, & Natalis Domini tempore

tempore, quocunque precio frumentum æstimetur reddas, ita à simili. Hæc est Sylue. opinio contrariam opinionẽ tenet Soto vbi supra.

CONCLVSIO.

Ratione permutationis & mutui licitus est contractus, quando Vlysbonæ. v. g. aut alio in loco, vbi est caritas pecuniæ mutuat aliquis 90. Metinæ, vbi est vilior pecunia, ratione abundãtiæ reddenda, & exigit vltra sortẽ donec æqualitas seruetur; ita, vt si Metinæ valeant 100. quantũ Vlysbonæ 90. poterit mutuans Vlysbonæ soluenda Metinæ vltra sortem 10. exigere. Et ratio est, quia etiamsi non liceat ratione temporis vltra sortem aliquid petere; licebit tamen ratione lucri cessantis aut damni emergentis, vt indemnitas mutuantis, & æqualitas rei seruetur. Oppositum tenet Soto, qui solum concedit titulo permutationis fieri posse.

Est autem limitãda conclusio, dummodo, qui mutuat, illas non sit delaturus in Hispaniam. Quia tunc si mutuaretur, vt in Hispaniam redderetur, fieret in fraudem vsurarũ. *Limitatio.*

I. Diffic. Estne determinatum precium istorum cambiorum, an variari poterit? *Caieta. & Nauarro de cambijs.*

V. G. si dicat hispanus flãdrensi mercatori. Hactenus, pro 400. hic tibi datis reddebas mihi in Flandria 350. nunc autem, quia tanta raritas pecuniæ est Metinæ, quanta in Flandria redditurus es totidem 400.

CONCLVSIO.

Cambia propter veram pecuniæ raritatem licite augentur. Ratio est; à simili quia, vt cæterarũ rerum preciũ propter raritatem mercium augetur, ita & cambiorum precium titulo permutationis, quæ naturam venditionis induit, augetur.

CONCLVSIO.

Licite quoque cambiorum precium propter abundantiã mercatorum, qui à campsoribus pecuniam alio in loco extra regnum reddendam recipere cupiunt, augetur. Et ratio est; quia precium rerum, non solum propter mercium raritatem augetur; verumetiam propter mercatorũ abundantiam.

CONCLVSIO.

Quando cambiorum preciũ propter monopolium cãpsorum augetur; campsores quicquid extra iustum precium aliarum nundinarum accipiunt, restituere tenentur. Quia

inter se campsores conuenerũt ne vllus miliare nisi pro 10, aut 20. daret, vel quia ad se omnem pecuniam reduxerũt, Sed de his alibi.

II. Diffic. Estne licita sequens cambiendi forma?

V. G. sume nunc 100. ducatos Metinæ in Flandria, precio quo proximis nundinis Metinæ erunt cambia, soluendos. Caiet. de cambijs absolute respondet, additque licitum esse taxare precium, quando nescitur; an plus, vel minus, sit valitura pecunia.

CONCLVSIO.

Si campsor erat vsque ad proximas nundinas seruaturus pecuniam, & præcibus compulsus illas mutuat, cambij precium vsque ad proximas nundinas remittere poterit. Patet à simili, in Cap. Nauiganti, & in Cap. In ciuitate de vsuris, vbi conceditur seruaturis merces posse illas carius vendere pecunia credita, quam numerata vsque ad tempus solutionis precium remittendo. Licitũ enim est vnicuiq; seipsum indemnem seruare.

CONCLVSIO.

Si campsor non est seruaturus suam pecuniam vsque ad futuras nundinas, sed statim distracturus, & sperantur cambia cariora in proximis nundinis futura, talis contractus, est illicitus. Quia æquiualet mutuo, in quo aliquid vltra sortẽ recipitur.

CONCLVSIO.

Quando certo speratur minus valitura, sunt etiã iniusta. Est enim manifesta iniustitia ex parte recipientis mutuum.

CONCLVSIO.

Si autem est incertum sintne cãbia plus, aut minus valitura, est licitus contractus. Et probatur à simili quẽadmodum licet mutuare frumentum tẽpore Iulij, tempore Natiuitatis Domini soluendum, ita tamen; vt incertum sit, an plus, aut minus sit valiturum. Caiet. quẽ sequitur Soto, est.

III. Diffic. Licetne campsoribus recambire, quando ad terminum præfixum non respondetur?

Nauarro c. 13. de cãb. Sot. q. 12. artic. 1. vbi supra.

Duæ sunt opiniones. Prima Caie. & Soto affirmantium nullo modo hoc licere. Contraria opinio est Parisiensium, quos sequitur Nauarro.

CONCLVSIO.

Recambium est licitum, non ratione temporis, sed lucri cessantis. Et ratio est; quia ars cãpsoria, in qua pecunia pro pecunia à loco vbi est rarior, ad locum, vbi abundãtior est, permu-

permutatur, est licita. Quare quando aliquis inuitus impeditur, totum lucrum cessans, sicut si impediretur ab alia arte mercatoria, exigere poterit.

Hinc, campsores à regibus, & ab aliis nobilibus propter dilatatam solutionem cambia, & recambia exigentes non sunt in statu damnationis. quia nō ratione temporis sed lucri cessantis illud exigunt. APPEN.

IIII. Diffic. Licetne campsori permutanti pecunias vnius regionis pro pecunijs alterius ratione distantioris loci, vel prolixioris temporis carius permutare?

CONCLVSIO.

Quando campsor numerat pecuniam proximis nundinis, vel intra spatium intra proximas nundinas soluendam, & cambiū est per literas, ratione permutationis, carius permutare ratione distātioris loci, aut tēporis non potest. Quia si temporis ratio, vt sæpe diximus, habeatur, non est permutatio, sed mutuum, & vsurarium; quia ratione temporis aliquid vltra sortem exigitur.

CONCLVSIO.

Quando pecunia numerata non est proximis nundinis, sed secundis soluenda, campsor plusquam si proximis nūdinis solueretur non ratione tēporis, sed lucri cessantis exigere potest. vt ex proxime dictis constat.

CONCLVSIO.

Campsor poterit carius transmutare pecuniam ad distātiorem locum, quando pecunia nō transmutatur, sed transfertur. Patet à simili, de portitore, qui carius transfert pecuniam ad distantiorem, quam ad propriorem locum. Nam in casu posito campsor portitoris nomen sortitur.

V. Diffic. Licetne campsori pecunias suas ad diuersas nundinas eiusdem regni cambire?

V. G. mutuare pecuniam Metinæ campi in fine nundinarum Maij 10. pro 100. in feria Octobris soluenda, sic, vt ex vna feria in aliam suas pecunias maximo cum lucro deferat.

Soto nullatenus concedit cambia, nisi per literas ratione translationis loci, vel per literas ratione permutationis. Doctor Nauarro multis rationibus probat hoc esse omnino licitum.

CONCLVSIO.

Prædictus contractus est vsurarius. Nam est mutuum, in quo vltra sortem aliquid speratur.

Syluester. verbo vſura. Nauarro de cambijs notab. 16. Sot. vbi ſupra art. 2 & Med. 3. in principio citatus.

VI. Diffic. Eſtne licitum pecuniam vendere?

Syluest. opinatur, & ratione naturæ, & ratione pecuniæ vendi poſſe, huic adhæſit Nauarro. Oppoſitam ſententiam tenet Medina, & Soto.

CONCLVSIO.

Pecunia aurea carius ratione materiæ, quam, vt pecunia eſt, vendi poteſt. Ratio eſt; quia ſeruatur æqualitas, nam emens v.g. ducatum 12. argenteis, poterit illum in panes aureos reſoluere, ad vaſa argẽtea deauranda, vel in alio vſus, in quibus plus multo lucrabitur.

CONCLVSIO.

Integrum eſt pecuniam auream carius, quam ſit preciũ legale vendere, quatenus pecunia eſt, ratione aliquarum circunſtantiarum, quæ ſunt precio æſtimabiles. Aeſtimatur enim magis aurũ, vel ratione deportationis; quia facicilius 100. ducati aurei, quam argentei deportantur, vel quia facilius cõſeruantur, propterea quod vbique terrarũ in maiori pretio aurum, quam argentum habetur.

CONCLVSIO.

Non eſt licitum campſoribus mutuãtibus pecuniã à feria in feriam, titulo venditionis aliquid vltra ſortem recipere. Ratio eſt; quia ipſi nõ vendunt pecuniam auream pro argentea, vel econuerſo. Tanti enim auream, qua æream pecuniam faciunt.

Medina. q. 38. Soto lib. 6. q. 1. art. 6

VII. Diffic. An montes pietatis, qui extra Hiſpaniam ſunt in vſu, licite fiant?

Caiet. in tract. de monte pietatis, & Soto illos reijciunt. Syluest. autem verbo vſura. 5. illos approbat, & authoritate Conc. Later ſub Leone 10. vbi pœna excommunicationis feriuntur contradicentes, confirmat.

CONCLVSIO.

Tales montes, in quibus propter miniſtrorum ſuſtentationem aliquid exigitur liciti ſunt; ſi tamen cumulus mons tis non creſcat. Ratio eſt, quia mutuans poteſt vltra ſortem damnum emergens petere, & mutuarius tenetur ſoluere expenſas, quæ cauſa mutui in ſolutionem inſtrumentorum, &c. fiunt. Non enim æquum eſt, vt alijs benefaciens detrimentum patiatur. Notanter dicitur ne cumulus excreſcat. Alioqui enim perinde eſſet acſi pecunia fœnori exponeretur, quod eſt certiſſimum vſuræ argumentum. Hæc de Cambijs.

QVAE-

QVAESTIO DE CONTRACTV SOCIETATIS.

Art. I. An quando vnus ponit pecuniam, alter industriam, & laborem, possit ponens pecuniam deducere in pactum, vt principale nullum subeat periculum?

S. Tho. 2. 2. q. 78. art. 2. & ibi. Cai. & Canonistæ in cap. pro vsuris de donationibus inter virũ & vxorẽ Sot. lib. 6. q. 6. arti. 2 eundẽ cõsule ad sequentes difficultates.

Tres sunt modi contrahendi societatem. Primus, quando omnes ponunt industriam, & laborem, & pecuniã. Et hic nullam habet vsuræ speciem, vel iniustitiam, nisi vnus aliũ decipiat. Secundus est inter tres contrahentes, quorum primus ponit pecuniam, secundus solam industriam, & tertius labores, & operã, vltimus modus est inter duos tantũ, ita vt vnus pecuniam alter vero expensas, labores, & industriam collocet.

CONCLVSIO.

Licitus est contractus, quando vnus dat alteri pecuniam in societatẽ, si tamen licita fuerit negotiatio. quia hic nulli fit iniustitia.

Hinc, contrahens societatẽ cum vsurario, aut cum cãpsore illicite negotiante, non poterit ex pecunia ad talẽ negotiationẽ data, reportare lucrũ. Nã esset iniustitiæ particeps. APPEN.

CONCLVSIO.

Qui dat pecuniam socio hac conditione; vt lucrũ ex negotiatione diuidatur, capitale indemne seruetur, vsuram cõmittit. Quia non est contractus societatis, sed mutui. Nam, vt in mutuo pecunia mutuata est reddenda, & talis cõtractus æquipollet huic, scilicet, accipe mutuo mille; vt eadẽ cum lucro reddas.

CONCLVSIO.

Vt cõtractus societatis sit licitus, debet pecunia cũ lucro, & damno exponi, ita, vt damnum, & lucrum sit cõmune. Expresse definita est in cap. pro vestris de donationibus inter virũ, & vxorẽ, & in §. 1. & 2. Instituta de societate. Alioqui enim nõ humana, sed leonina societas esset censenda.

I. Diffic. Eritne societas hac lege contracta, accipe mille ducatos, & ex illis quingenti non sint damno expositi, reliqui vero sint damno, & lucro subiecti?

CONCLVSIO.

Contractus erit licitus si tamen ex parte, quæ nõ est periculo

riculo expoſita nullum aſſequatur lucrum. alioqui enim eſſet vſura ex parte, quæ indemnis ſeruanda eſt. quia eſſet contractus mutui vſurarij.

II Diffic. Licetne cum triplici contractu inire ſocietatem?

V.G. ſit primus ſub hac forma, accipe mille ducatos ad negotiandũ cum lucro, & dãno. Secundus, en do tibi ſingulis annis viginti pro aſſecuratione, vt nullum in fine anni damnum mihi eueniat. Tertius præterea, do tibi 10. ducatos pro aſſecuratione; vt ex mille ducatis lucrũ 100. ducatorum obtineatur. Tres ſunt opiniones. Prima eſt Io. Ma. aſſerentis eſſe licitum talem cõtractum, quẽ ſequitur Sylue. Secunda opinio eſt Caieta. affirmantis, ſi tempore, quo fit contractus ſocietatis, fiant alij duo, nequaquã licere, ſi autẽ ſucceſſiue, licet, ita cõtrahere. Tertia opinio eſt Soti, ſcilicet, ſiue ſucceſſiue, ſiue ſimul fiant, eſſe illicitum hunc contrahendi modum.

CONCLVSIO.

Huiuſmodi contractus ſocietatis ſunt liciti, ſi cum eodẽ cum quo ſocietas contrahitur, fiant; etiamſi tempore, quo ſocietatis contractus efficitur efficiantur, nã cũ ſint liciti, ſi cum tribus diſtinctis perſonis fiant, cur nõ erunt liciti, ſi cũ vna, & ſimul efficiantur. nullo enim modo iſti contractus ratione mutui valent. Nam qui aſſecurat pecuniam alterius, non illam mutuo recipit, quamuis ſibi pereat. Nam ratione contractus aſſecurationis nullum transfertur dominium.

I. Dubium. Licetne ſocietatem cum illo contrahere qui non eſt negociaturus?

CONCLVSIO.

Talis contractus eſt illicitus. Quia per illum vſura palliatur: cum mutuum cũ lucro, vltra principale ſub ſpecie ſocietatis, acquiratur.

III Dif. Contractus ſocietatis eritne ſub ſequẽti forma licitus?

V.G. debet Franciſcus Matthæo 1000. ducatos, & quidã amicus. Franciſci dicit Mattheæ accipe 5000. ducatos mutuo per 6. annos, & eorum lucrum; dummodo debitum remittas.

CONCLVSIO.

Si contractus eſt mutui, eſt vſurarius, ſi verbo eſt ſocietatis contractus inter amicum Franciſci, & Franciſcum, atque Matthæum, ſiue inter amicum Franciſci, & Matthæũ erit licitus. Non enim eſt mutuum, ſed ſocietas ad lucrum, & dam-

damnum: dummodo capitale in tuto non constituatur; & ita ex lucro soluetur Matthæo. Quod Franciscus soluere tenebatur. Et hæc est optima ratio, & via ad soluendum dibitoribus contrahendo, scilicet, cum creditore societatẽ; vt ex lucro solutio fiat.

IIII. Diffic. Quomodo licet contrahere societatem pecorum, & Armentorum?

CONCLVSIO.

Licet dare alicui iumentum, aut bouem hac conditione, vt lucrum sit commune, & bos, aut iumentum si pereat sine culpa negotiantis Domino, & non negotianti pereat. Est enim verus societatis contractus. Est tamen diligenter cauẽdum, ne socius bouem in eadem ætate qua illum recepit reddere teneatur. nam esset vsura, quæ (renueuo) vulgo dicitur.

Hinc, si pereat culpa negotiantis, aut lucrari desinat, tenebitur ad lucri cessantis, & valores iumenti restitutionem. Quia fuit damni causa.

CONCLVSIO.

Licitum etiam est sub hac forma societatẽ cum alio contrahere, scilicet, accipe hunc gregem, & cura illum, sintque fructus cõmunes hac lege; vt ego primos fructus recipiam. Si pactum vero fiat; vt oues non Domino, sed pastori moriantur, erit tunc mutuũ vsurariũ. Propterea quod cũ oues pereant pastori, erit illarum Dominus per cõtractum mutui, & tenebitur quot recipit oues, reddere, quod erat capitale, atque etiam fructus.

V. Diffic. Possitne maritus vxoris dotem negociationi societatis ad lucrum, & non ad damnum exponere?

Tex. in cap. Ad vestram. de donationibus inter virum, & vxorem, hoc insinuare videtur. Duæ sunt opiniones. Soto negat; alij affirmant. Elegantius omnibus Nauarro in Manuali respondet, scilicet, dandam esse pecuniam dotalẽ mercatori ad lucrum, & dãnum, & ne pereat dos esse faciẽdum contractum de eius assecuratione. Et hanc dicit fuisse intentionem Romani Pontificis, quæ est optima illius textus interpretatio.

VI. Diffic. An possit fieri in testamento legatum sub sequenti foma?

V. G. lego curatis parochialibus 100. ducatos; ita vt illos exponant negotiationi perpetuæ; vt ex lucro stipendium missarum singulis annis soluatur.

CON-

CONCLVSIO.

Licitus erit contractus, & legatum. Ratio est; quia est contractus societatis, qui licitus iudicatur, in ca. per vestras. Verum, melius erit emere censum illa pecunia, vt ex eo missarum stipendium soluatur.

VII. Diffic. An contractus societatis sub forma sequenti sit licitus?

V.G. accipe 100. ducatos, quos tuæ negotiationi expono; dūmodo mihi singulis annis 12. tribuas, ita, vt si intra tres mēses moriar, illa 100. tua sint, sin minus statim 400. reddere tenearis; quod si nō reddideris, obligeris 10. aut 12. singulis annis soluere, quandiu non reddideris.

CONCLVSIO.

Prima pars huius contractus, scilicet, vt decem pro ratione societatis &c. non est licita. Ratio est, quia ponit lucrum suum in tuto, potest enim contingere, vt nullum omnino lucrum alter consequatur.

CONCLVSIO.

Alia pars contractus, scilicet, quod si post 6. menses fuerit superstes, & nō reddiderit illa 100. teneatur pro 100. singulis annis 10 propter moram reddere, longo examine, & multis subdiuisionibus indiget, si contractus, vt fertur est suspectus ratione vsurarum. Nisi istud fiat in pœnam dilatate solutionis.

VIII. Diffic. Quando lucrum inter socios diuidi debet, vt iustitia seruetur?

CONCLVSIO.

Si socij ita cōueniant, vt singuli lucrum secundū quantitatem sortis, aut, vt vnus accipiat duas partes lucri, alius vero vnam, hic contractus potius locationis operum negociorum gestorū, quam societatis erit appellandus.

IX. Diffic. In casu sequenti quando erit facienda restitutio?

V.G. si vnus ponat solam pecuniam, alter solam operā emendi, & vendendi, tertius deportandi merces è nundinis, quartus solam industriam, scilicet, quibus mercibus sit pecunia exponenda, & quo tempore sint merces emendæ, & vendendæ, & quibus.

CONCLVSIO.

Quando socij, ita inter se conueniunt, vt singuli æquale lucrum accipiant, tunc singuli secundum quantitatē sortis accipere debent. V.g. ego apposui mille ducatos, tu verò apposuisti laborem, & industriam valentem duo millia,

tunc ex lucri partibus habebis tu duas, ego autem vnã. Ratio est, quia opera, & industria sunt maioris valoris plerunque quàm sola pecunia, vt ex §. de illa instituta, de societate habetur, & lucrum secundum quantitatem, & valorem sortis est diuidendum.

CONCLVSIO.

Quando opera, & industria vnius est æqualis pecuniæ alterius, quia fortassis non est nauigaturus, equalem lucri partẽ accipiet. Ratio est, quia vtriusque partis est æqualis sors, & lucrum secundum quantitatem sortis &c.

CONCLVSIO.

Quando exponens pecuniam, paciscitur, vt apponens industriam, & operam vnam tantum lucri partem habeat, cõtractus est licitus, non ratione societatis, sed quia est negotiorum gestor. V. g. dedi Francisco mille ducatos ad negotiandum, hac conditione, vt ex tribus lucri partibus Franciscus vnam tantum habeat, iste contractus non est societatis. quia tunc esset seruanda æqualitas: sed locatiotionis. Quoniam ille negotiorum gestor illo precio sua opera locat.

II. Dubium. Quid si vnus pecuniam tantum, alter vero pecuniam, & industriam simul apponat?

R. iste habebit duas partes. V. g. ego apposui quingentos ducatos, tu mille. Præterea, apposui etiã instustriam, & operam, quæ valent mille tunc mea sors potior erit, si autem mea industria, & opera valent quingentos, tunc erit æqualis sors. Est autẽ hoc loco maxime animaduertendũ Caiet. consilium, qui dicit, in principio taxandos esse sortium valores.

III. Dubium. Quid si sint tres, & vnus exponat pecuniam, alter laborem tantum, & tertius industriam? **Caiet. vbi supra.**

CONCLVSIO.

R. consulendi erunt mercatores, & ab illis ęstimanda erit opera, & industria, & iuxta taxatum valorem lucri diuisio erit facienda.

X. Diffic. Quomodo damni diuisio erit facienda?

CONCLVSIO.

Quando vnus apponit pecuniam, alter verò solam operam, qui ponit operam damnum pecuniæ pati non debet. Iam enim operam, & industriã perdit, quæ vel est pręciosior pecunia, vel æqualis. Ita definitum est in §. de illa, in fine, instituta de societate.

IIII. Du-

IIII. Dubium. Quid si vendidi tibi pecunia credita merces valentes 100. hac lege vt illas reuenderes, & lucrum esset commune?

R. est manifesta vsura. Quia accipit in mutuo vltra sortem. Nam illa venditio pecunia credita mutuo æquiualet. Hæc de contractu societatis.

QVAESTIO DE CENSIBVS

Medin. C. de rebus per vsuram acquisitis.

Art. I. Quidnam est census, & quotuplex?

PROPOSITIO.

Census est ius, seu facultas exigendi ex re vtili aliquã pensione. V. g. ex prædio, seu domo, vel ædibus tuis habet Petrus ius exigendi certam pensionem, siue pecuniam, siue fructum aliquem: vt frumentum, oleum, vinum &c. ius illud compellendi te, quod habet Petrus, vt præfata sibi soluas; census nominatur.

PROPOSITIO.

Sot. lib. 6. q. 5. Nauarro in coment. de vsuris pro tota hac q.

Census quadruplex est. perpetuus vnus; vt si census hac lege vendatur; vt nunquam redimatur. Alter vitalitius, vt si pro tota vita emeris, aut per duas vitas vendatur. Tertius ad tẽpus, vt si census huius domus per decennium vendatur. Et quartus redimibilis, vt si census huius prædij hac cõditione vendatur; vt quandocunque dominus prędij precium restituat, census finiatur.

Art. II. An emens censum sit vsurarius?

De hoc art. disputant plerique Canonistarũ super cap. In ciuitate de vsuris, & horum, quidam negant esse licitum, alij vero licitum esse affirmant.

CONCLVSIO.

Contractus census non est vsurarius. Definita est ab Ecclesia in duabus Extrauagantibus. Martini v. & Calixti III.

CONCLVSIO.

Census est licitus, in quo non fructus, sed pecunia soluitur. Quia cum liceat vendere fructus, licebit quoque vendere pensionem pecuniariam. Nam pecunia fructibus æquiualet, cum sint pecunia æstimabiles.

CONCLVSIO.

Census perpetuus licitus est, nec vllam vsuræ speciem habet. Quia est pura venditio fructuum vendibilium, retento tamen rei Domini.

CON-

CONCLVSIO.

Census vitalitius non est illicitus. Quando est venditio fructuum ad tempus indeterminatum, scilicet, per totum tẽpus vitæ ementis censum, qui cum sit pura venditio, nullum habet vsuræ vestigium.

Art. III. Sitne licitum iura Regia, siue aliorum magnatum emere?

CONCLVSIO.

Emptio iurium Regiorum, in quibus pensio pecuniaria, & non fructus venditur nullo modo est vsuraria. Quia in his contractibus non venditur, aut emitur pecunia, sed ius exigendi pecuniariam pensionem. Neq; enim dicimus Petrũ emisse 10000. nummorum à Rege, sed ius solum exigẽdi singulis annis illa 0000.

Art. IIII Census redimibilis, vel cum pacto de retrouendendo estne licitus?

CONCLVSIO.

Quando soluens censum ad illum redimendum compellitur, possidens censum vsurarius est. V. g. si fiat contractus in hunc modum; emo à te annuum censum hac lege; vt quando velim, precium census restituere, & contractum soluere tenearis. Et ratio conclusionis est; quia emptor in tuto constituitur, atque ita est certissimus vsuræ palliatæ cõtractus. Perinde enim est, ac si diceretur, accipe mutuum, & singulis annis dum solutionis dies differtur, tot nũmos dabis.

CONCLVSIO.

Quando contractus census ita fit; vt quandocunque venditori placuerit, illum redimere liceat, colligens censum nõ est vsurarius. Quia per contractum emptionis cũ pacto de retrouendendo dominium in emptorem transfertur, & ex consequenti fructus restituere non tenetur, si redimatur res; vt per multas leges. ff. de emptione. Constat. Cõtractus, de quo est sermo, huius generis est.

CONCLVSIO.

Contractus census cum conditione, vt si intra certum tẽpus non redimatur, deinceps irredimibilis, & perpetuus sit, licitus est. Quia quò census est minus redimibilis, eò est iustior magis enim tunc emptionis, & venditionis, qua dominium transfertur, naturam sapit, & quando tempus redimendi limitatur, est minus redimibilis, quam si non limitaretur.

CON.

CONCLVSIO.

In his contractibus precium à lege taxatū excedere haud licet. Esset enim tunc ex parte pręcij iniustitia.

APPEN. Hinc, contractus, in quibus vltra precium à lege taxatum apponitur conditio, vt tot paria Gallinarum, vel quid simile soluatur, erunt iniusti quia iustum precium exceditur, & emens est restitutioni obnoxius.

I. Dubium. An census vitalicius intra decennium, vel aliud tempus limitatum, sit licitus?

Ricard. damnat hunc contractum, nisi ratione lucri cessantis, vel dāni emergentis iustificetur, cuius contractus malitia hinc colligitur: propterea quod per hunc contractum compellitur debitor ad reddendum acceptum, & vltra sortem.

II. Dubium. Precium census vitalicij eritne ratione ætatis pro sua vita censum ementis minuendum?

V. G. si sit Senex minoris, quam si adolescens erit.

CONCLVSIO.

Si emens censum pro sua vita sit senex, aut ægritudinarius, iuste poterit maiori precio, quā sit à lege taxatū emere. Ratio est, quia de eius salute desperatur.

CONCLVSIO.

Si fuerit adolescens, precium à lege taxatum excedere nō potest. Nam etiamsi vitæ diuturnitas in senibus desperetur, non ideo vitæ longitudo in adolescentibus certò speratur. Frequentissime enim accidit, vt imbecillis naturæ sint.

Art. V. An census personalis sit licitus?

Census personalis dicitur, in quo persona obligatur nullo assignato prædio, vel re aliqua vtili ad pensionem singulis annis reddendam.

Duæ sunt Antiquorum opiniones, quidem licitum esse negarunt, quibus adhæsit Nauarro in comētario de vsuris. Alij verò, quos Soto sequitur, affirmarunt.

CONCLVSIO.

Quando homo nullum temporalem fructum propria arte, vel labore consequitur; quia, neque mercator, neque mercenarius &c. est neque etiam ex propria industria aliquē fructum habet; sed solum reditibus nulla propria industria cōparatis vescitur (vt sunt multi nobiles) hic, neque vēdere, neque alius ab ipso personalem censum emere potest, sed solum potest tantum censum vendere, quantum eius bo-

bona fructificant. Constat ex definitione census. Nam, est facultas exigendi aliquam pensionem ex re vtili &c. siue emptio, & venditio pensionis ex fructibus; & cum in casu posito vendẽs nullum suum personæ fructum habeat; erit prorsus vsura. Quia neque venditio neque emptio est; & in hoc sensu est vera prima opinio.

CONCLVSIO.

Homo habens fructum temporalem ex labore; vt Mercenarius, & Artifex, vel ex industria, vt Aduocatus, Medicus, Miles, Procurator, etiamsi alia bona immobilia nõ habeat; licite censum personalem vendere, & alius ab ipso sine vsura emere potest. Constat etiã ex definitione census emptio. s. & venditio pẽsionis ex fructibus rei fructiferæ; & persona huius hominis (vt constat) fructifera est. Deinde, quia vt multis in locis decimæ personales Ecclesiæ soluuntur, ita solui poterit personalis pensio. In hoc sensu est vera Soti opinio. *Medina. q. 1. de censibus.*

CONCLVSIO.

Census etiam super fructum bonorum immobilium, vt super pecus, iumentum &c. dummodo minus vendatur, quam supra rem immobilem, imponi potest Et ratio est; quia talia bona sunt fructifera. Notanter dicitur; dummodo minus vendatur. quia cum mobile citius pereat; census citius extinguetur, quã si supra rẽ immobilẽ imponeretur. Et hac de causa hic cẽsus, & personalis sunt vilius vendẽdi.

CONCLVSIO.

Poterit quis dare alicui pecuniã hac conditione; vt ex fructibus per negotiationem pecuniæ acquisitis census personalis sibi singulis annis soluatur, neque erit contractus vsurarius, etiamsi quando datur pecunia, conditio, vt sit census redimibilis, apponatur. Et ratio est; quia talis contractus nõ est mutuum nõ enim apponitur pactum, vt aliquando capitale omnino reddatur; atque ita omnis vsurę suspicio cessat: quod est maxime notandum.

Art. VI. An conditiones, quæ in Extrauagant i Martini V. ponuntur, sint necessario in emptione, & venditione censuum seruandæ?

Sunt autẽ octo conditiones, quas Nauarro in tractatu de vsuris refert. qui opinatur nullum esse censum licitum in quo aliqua ex his conditionibus deest. Soto autem, tenet oppositum.

CONCLVSIO.

Prima conditio, ſcilicet, vt vendens cenſum, aſſignet aliquem agrum, ſiue rem immobilem, ex cuius fructibus penſio ſoluatur, non eſt neceſſaria. Nam (vt ſupra diximus) cēſus ſuper perſonam, & rem quamlibet fructiferam, mobilē, ſiue immobilem, poni poteſt.

CONCLVSIO.

Secunda conditio, quæ eſt; vt res illa ſola ad cēſum obligata maneat, & non cætera bona, neq; perſona vendentis, ſed tantum ex fructibus rei, ſit cenſus ſoluendus, neceſſaria non eſt. Quia, cum cenſus ſit penſio fructuum; poterit aliquis vendere penſionem annuam ſoluendam in genere ex fructibus ſuorum bonorum nullo prædio aſſignato. Nam, vt poteſt quis vēdere annuos fructus cuiuſdam prædij; ita & omnium bonorum, ſiue perſonæ fructus.

CONCLVSIO.

Tertia conditio, nempe; vt ſit iuſtum precium neceſſaria eſt. Aliter enim æqualitas inter rem venditam, & precium non ſeruaretur.

Quarta conditio, videlicet, vt precium cenſus non membratim, ſed ſimul ſit ſoluēdum, nequaquam eſt neceſſaria. Nam contractus cenſus eſt emptionis, & venditionis, & vt cæterarum rerum venditiones, pecunia credita, vel numerata fieri poteſt. Attamen poterit carius vendi pecunia credita, quam numerata; vt æqualitas vtrinque ſeruetur.

CONCLVSIO.

Quinta conditio, quæ eſt; vt venditor cenſus poſſit, quādo voluerit, totum cenſum, ſiue partem redimere, reſtituēdo totum precium, vel partem, non eſt neceſſaria. Hæc ſupra demonſtrata eſt.

CONCLVSIO.

Neque eſt neceſſaria ſexta conditio, nimirum, vt venditor non teneatur intra certum tempus redimere cenſum, ſi noluerit. Quia radix cenſus redimibilis, eſt pactum de retro uendendo, & cum habens cenſum ſit verus Dominus, poterit nulla interueniente iniuſtitia paciſci, ne rem illā pro parte, ſed totam ſimul redimere teneatur.

CONCLVSIO.

Neceſſaria eſt omnino ſeptima conditio, ſcilicet, vt quando apponitur cenſus ſuper aliquam rem determinatam, deſtructa re illa, cenſus cōſummatur. Quia contractus cenſus eſt venditio penſionis ſoluendæ ex fructibus certę cuiuſdā rei,

rei; quapropter si non sunt fructus, non erit pensio soluenda, cum non pensio quorumcunque fructuum, sed determinatorum vendita sit.

Hiuc, contractus census cum conditione; vt destructo prędio. vel domo signata ad soluendum censum vendita alia bona assignare, vel aliunde censum soluere teneatur, est illicitus. Quia non seruatur rei venditæ, & precij æqualitas, quemadmodum non seruaretur; si quis sub hac forma domum emeret; nempe, vt venditor teneatur illam reædificare quandocunque destrueretur. APPEN.

Hinc, quando census ponitur super omnia bona præsentia, & futura, & super personam, quæ est industriosa, non peribit census, nisi omnibus bonis, atque etiam industria personæ peremptis. patet ratione prędecentis conclusionis.

CONCLVSIO.

Conditio octaua, scilicet, vt res super quam census assignatur tantum fructum, quantum fuerit census, reddat omnino, necessaria est. Quia cum census sit vēditio, & emptio pensionis soluendæ ex fructibus, si fructus rei non sit tantus, quanta est pensio, non erit emptio, aut venditio, quia res empta non extat, & ita contractus sapiet vsuram.

Hinc, censu super rem fructiferam semel imposito, quæ non reddit plures fructus, quam sit primus census, supra illam alius census imponi non potest. Quia nullus fructus reddendus restat. APPEN.

I. *Diffic. Eritne census redimibilis licitus cum hac conditione; vt quandocunque redimatur eodem precio, quo fuit venditus, redimendus sit?*

Medina in fine operis de restitutione multas adducit cōditiones.

CONCLVSIO.

Si contractus fuerit sub hac forma factus vt tanti redimatur, quantum valuerit tempore redemptionis, non erit iniustus. Quia vtriusque conditio incerta relinquitur.

II. Diffic. An pactum in quibusdam censibus appositum, sit licitum?

V. G. si res vendatur, vt 10. precij pars soluatur. Nota primum Emphyteosim esse quando venditur res translato Domnio vtili, & retēto Dominio directo, vt si quis vendat em suam alteri sub hac forma; Accipe domum hac legē; t singulis annis pensionem fructuum soluas.

CONCLVSIO.

Quando contractus est emphyteosis, iuste talis conditio apponi potest. Quia cum Dominium directum retineat, potest iuste decimas precij exigere. Quia res sua venditur.

CONCLVSIO.

In contractu census prędicta cōditio erit iusta, si maiori precio ematur census talem conditionem habens, quã alius illa carens. Nam ita æqualitas inter rem venditam, & precium seruabitur.

I. Dubium. Estne licitus contractus census cum sequenti conditione?

Vt si per bienniũ, vel amplius cẽsus non soluatur, in cōmissum cadat, idest, vt Dominus possessionis illũ amittat.

CONCLVSIO.

In contractu emphyteosis iusta, & licita est hæc cōditio. Definita est in cap. Quærelam. de iure iurando.

CONCLVSIO.

In contractu census iniqua est talis conditio. Quia pœna excedit culpam iniquum enim est; vt si quis per biennium censum exiguum non soluat, possessionem valẽtem 1000. ducatos amittat.

CONCLVSIO.

Conditio hæc esset licita, si ratione huius pœnæ apposit̨ ad seruandam æqualitatem inter precium, & censum, precium censes augeretur. Nam perspicuum est censum, cum prædicta conditione esse preciosiorem, quam sine illa.

CONCLVSIO.

Esset quoque licita conditio, si ex malitia, aut negligẽtia pensionem soluere desineret; non autem si ex impotentia. Quia vbi nulla est culpa, nulla debet infligi pœna.

S.Tho.2.2. qō.77. Med. à q. 30. vsq; ad 38. Scot. qō. 2. Soto lib.9.q. 2. Syluest. verbo emp. ad totã hanc q.

QVAESTIO DE CONTRACTV EMPTIONIS, ET VENDITIONIS.

Art. Vnicus. An liceat rem carius iusto precio vendere?

De hac q. supra partim disseruimus.

CONCLVSIO.

Vendens rem vltra iustum precium ad restitutionem tenetur. Quia alienum inuito Domino accipit. Non enim seruatur æqualitas, cũ res non tantum valeat, quantum pecunia, quæ pro illa datur.

CON-

CONCLVSIO.

Si venditor res suas vendere compellatur, & ex venditione damnum contrahat, tanto carius illas vendere poterit, quantum ex tali venditione damnum sibi redundat. Integrum enim est venditori, qui non sponte, sed cõpulsus precibus rem suã distrahit, seipsum seruare indemnem. Quia vt morem gerat amico detrimẽtum pati, non tenetur. Notanter dicitur si compellatur. Nam si se offerat licet præfatum detrimentũ patiatur, carius vendere non poterit. Quia volenti, & consentienti non fit iniuria. *Communis est opinio.*

I. Dubium. Quid si res illa valet 10. *& ementi* 15. *valeat, quia re illa maxime indigeat, & si illam haberet quinque lucraretur?*

CONCLVSIO.

Non licet tunc vendenti rem suã carius vendere. Ratio est; quia necessitas emptoris non facit rẽ preciosiorẽ. Huius quæstionis intelligentia ex sequenti difficultate pendet.

I. diffic. Qua ratione iustum precium cognoscetur?

CONCLVSIO.

Quando Princeps, aut Respublica statuit mercibus certum precium, nullo modo licebit carius vendere. Alioquin omnis excessus erit restituẽdus. Nam, vt Princeps habet potestatem transferendi Dominium rei inuito Domino, vt cõstat ex legibus de præscriptionibus; ita etiam potest venditore inuito propter publicum commodum, certum rebus precium statuere: ita, vt illud excedentes ad restitutionem teneantur.

Hinc, omnes vendentes frumentum vltra precium pragmaticæ, & alias merces, quarum precium est à lege statutũ ad restitutionem tenentur.

II. Dubium. Cum leges humanæ secundum varietatem temporum varientur, obligabitne semper in conscientia lex, precium alicuius mercis discernens?

Nota precium à lege determinatum, aut esse inuariabile, aut variabile; vt quot taxatur iuxta raritatẽ merciũ, vt precium frumenti in Hispania.

CONCLVSIO.

Cessante ratione legis taxantis precium aliqui merci, cessat lex. V. g. raritas, seu abundantia merciũ, & emptorum est ratio variãdi precium: vt ex perientia constat. Iam patet cõclusio; quia, vt superueniente abundãtia frumẽti minuitur eius precium, ita superueniente penuria maiori, quam

fuerit tempore, quo lex condita est, debet precium frumenti augeri. Alioqui enim lex illa esset iniqua, si magis emptori, quam venditori faueret. Nam, vt lex olim facta ante taxationē frumenti, si modo fieret, esset illicita, ita esset quoque, si nunc seruaretur.

CONCLVSIO.

Quando lex non imposuit precium, illud censetur iustū, quod arbitrio peritorum in illa negotiatione imponitur: vt pannis, quibus nō est impositum precium, illud æstimatur iustum, quod à peritis, & expertis mercatoribus taxatur. De finita est in lege precia rerum ff. ad legem falcidiam, vbi dicitur precia rerum non esse taxanda ex effectu, aut vtilitate singulorum, sed secundum communem sententiam prudentium, idest, peritorum in illa arte. Quare debet mercator peritus vendere; vt recta ratio dictat, & vt vellet sibi si empturus esset, secundum rectam rationem vendi. Et ita in confessionibus sunt mercatores examinandi, & iudices suarum venditionum constituendi.

CONCLVSIO.

Tunc precium est iustum, quando negociator tantum lucratur ex mercibus, quantum Respublica ministro illius negotiationis constituere deberet. Illustrat Scotus conclusionem exemplo; vt si Respublica. N. non haberet mercatores, teneretur aliquem ministrum conducere, qui pecunia ex ærario publico accepta, ex nundinis pannos deferret, teneretur que eius familiæ alimenta præstare, atque etiam laborem, industriam, & itineris pericula soluere. Tantū igitur lucrum potest mercator ex mercibus sperare, quantū mercatoribus stipendium à Republica esset statuendum.

III. Dubium. Quid si mensura panni in hac Republica iusto precio vendatur duodecim dragmis, & mercator computatis expensis carius emit, poteritne tanti vendere, quanti emit?

CONCLVSIO.

Non potest carius vendere merces, quam sit precium cōmuni æstimatione determinatum, vt seipsum indemnem seruet. Definita est in lege precia rerum citata. Non enim potest aliquis cum aliena iactura se indemnem seruare.

IIII. Dubium. Contingit, vt per spacium vnius diei in nundinis precia varientur licite ne hoc sit?

CONCLVSIO.

In nundinis nunquam idem rerum precium per totum nundina-

nundinarum tempus seruatur, sed instar maris breuissimo tempore crescit, & decrescit. Patet ex illa verissima, & receptissima regula, scilicet, raritas mercium, & abundantia emẽtium, est ratio sufficientissima augendi precium, & è conconuerso Quare cum in nundinis contigerit augmentum, vel decrementum mercium, siue ementium, erit sufficiens ratio variandi precium.

V. Dubium Licebitne sub hac conditione pacisci. scilicet, accipe merces eo precio, quo valebunt medijs nundinis, quando speratur precium carius futurum?

CONCLVSIO.

Si venditor vsque ad illud tempus erat merces seruaturus licebit, sin minus nequaquam. Definita est in cap. finali de vsuris.

VI. Dubium. Licebitne voce praconis vilius emere, quam ex mercatoris officina?

CONCLVSIO.

Licitum quidem erit in auctione, siue voce præconis vilius emere. Quia raritas emptorum facit rem viliorem, & quando voce præconis res venditur, de sunt emptores, cum voce pręconis ad emendum inuitentur. At vero in officina emptor quærit vẽditorem. Tum etiam quia consuetudine introductum est, vt aliquando in publica auctione res vilius vendantur. & ideo illud erit iustum precium. Quia cõmuni cõsuetudine, & æstimatione approbatur.

VII. Dubium. Si res valens 100 vendatur 50. vel 40. voce praconis, eritne iustum precium?

CONCLVSIO.

Non possunt res vendi minus, ita vt sit citra dimidium iusti pręcij. v.g valet res 100. in officina, dimidium iusti pręcij sunt 50. citra dimidium sunt 49. vltra dimidium sunt 51. si res hoc precio in publica auctione ematur, aut vendatur, erit iniustum, si autem 70. aut 80. erit iustum. Constat ex lege Regia Hispaniarum. Vbi quando in auctione fit deceptio vltra dimidium, datur actio restitutioni, ita vt venditio rescindatur, vel precium restituatur.

II. Diffic. Quid de monopolijs dicendum?

Monopolium hispane (*Monipodio*) dicitur. fit autem vno trium modorum. Primo cum veniunt duo, vel tres mercatores, emuntque merces certas cuiusdã generis exeuntes obuiam illos deferentibus, v.g. oleum, mel, &c. & hoc animo,

vt carius vendant. Secundo quando mercatores alicuius generis, vt pote sutores inter se conueniunt, nequis nisi tanto precio emat, aut vendat. Tertio in locatione redituum, & vectigaliũ. nã paciscuntur quæstores inter se, nequis augeat quæstũ redituum, vsque ad tale preciũ, etiamsi plus valeat.

CONCLVSIO.

Contrahentes primo modo monopolia in statu dãnationis sunt, & merces illo precio, quo essent vendẽdæ, si nõ essent coaceruatę vendere tenentur. Alioquin sunt obligati ad restituendum excessum. Definita est per legem vnicam de monopoliis: sunt enim ipsi causa, vt res vltra iustũ preciũ vendãtur. de monipoliis. verò 2. & 3. modo est distiguẽdum. Nam si mercatores conueniunt inter se de iusto precio, neminem iniuria afficiunt si de iniusto sunt latrones. idem dicendum est de librariis, quibus propter priuilegia cõcessa, nequis præter ipsos tale librũ excudat, aut vendat, non licebit illud precium sine legitima causa excedere. Idẽ iudicium est de emptoribus, quod de venditoribus propter eandem rationem.

Sco. vbi supra artic. 2. APPEN.

VIII. Dubium. Quid si res empta sine industria, aut expensis emptoris, & sine mutatione loci, sed sola temporis mutatione facta est preciosior?

V. G. si quis emat hoc loco frumentum hodie 7. arteis, & cras 9. vendat.

CONCLVSIO.

Licitus est contractus hic, dummodo nullum monopolium interueniat. Nam accidit esse hodie rariores merces, & maiorẽ ementium abundantiam, quã heri fuerit. Atq; ita rem esse preciosiorem, & è conuerso.

CONCLVSIO.

Quando merces non sunt necessariæ ad publicum vsum; siue ad vitam transigendam, vt sunt merces victui, & vestitui necessariæ: tunc tantum valent, quantum vẽdi possunt. V. g. si accipitres gemnæ &c. nobili vendãtur, quantum ipse dederit, vendi possunt Ratio est, quia certitudo precij inuenta est propter publicam vtilitatem, & cum res, quæ non est vsui publico necessaria, certo precio careat, valebit, quan tum vendi poterit.

III. Diffic. An emens, & decipiens venditorem citra dimidium iusti precij faciat fructus res emptæ suos?

V. g. si quis 49. emat domum valentem 100. & conducat

ducat illã, an faciat fructus locationis suos. De hac re gloss. in cap. cum dilecti de emptione, & venditione.

CONCLVSIO.

Quando dolus, siue deceptio dat causam contractui, id-est, si ego tibi persuadeam, vt vendas mihi rem, quam non eras vẽditurus, tunc talis cõtractus non valet, & fructus rei emptæ restituendi sunt. Ratio est, quia cum talis contractus non fuerit validus, quoniam defuit libertas, quæ sublata est per deceptionẽ, & ignorantiam, non fuit facta Dominij rei venditæ translátio. Vnde cum sit aliena, fructus erunt restituendi.

CONCLVSIO.

Quando dolus incidit in contractum, vt si decipiens non inducat deceptum ad vendendum res suas, valet contractus. Cæterum. decipiens, vel contractum rescindere, vel residuũ precium restituere tenetur. Definita est in cap. dilecti, & in cap. cum causa, de emptione & vẽditione. Idẽ est iudicium, quando dolus neque incidit neque dedit causam contractui. v.g. quando in venditione contingit deceptio, vel citra dimidium ex parte venditoris, vel vltra ex parte emptoris, & vtrobique valoris rei ignorantia fuit.

CONCLVSIO.

In casu posito emptor decipiens venditorem præter precij supplementũ, fructus interceptos non omnes, sed precio restituendo, in quo fuit facta deceptio, correspondentes, tenetur restituere. Expresse definita est in L. curauit. C. de act. & empt. & vend. & in gloss. cap conquæstus de vsuris.

Idem censendum est, de venditore. Quia tenetur restituere pecuniam, quam iniuste accepit, & damna si emptor illa pecunia erat aliquid lucraturus. APPEN.

IIII. Diffic. An quando deceptio est intra dimidium iusti precij, in conscientia, sit residuum iusti precij restituendum?

Duæ sunt opiniones. Prima Gerson. in tract. de contractibus affirmantis, non teneri ad restitutionem. Secunda, & opposita est B. Tho. & Caiet.

CONCLVSIO.

Decipiens alium vltra precium rigidum, seu rigurosum tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia ita decipiens peççatum iniustitiæ accipiendo alienũ inuito Domino committit: non enim seruat æqualitatem inter precium, & rem venditam. Nã si tu das rem valentẽ 10. & recipis, 11. vel 12.

seu 14. excessum inuito dante recipis; atque ita residuum iusti precij restituere teneris.

V. Diffic. Poteſtne Princeps vendere priuilegia, & immunitates, atque officia publica?

Quando sunt multi ad Rempublicā merces deferentes, non potest Princeps alicui præstare, vt solus ille tales merces vendat. Nam hoc esset monopoliis fauere, quæ sunt Reipublicæ detrimentum. teneturque huiusmodi priuilegia reuocare restituendo reipublicæ damnum ex illo monopolio illatum: fieretq. talis restitutio in æquiualenti, si aliquā partē vectigalium, siue tributorū remitteret; vel domum aliquā religiosam construeret.

APPEN. ad Rom. 1. Idem dicendum est de ministris, & Consiliarijs. Quia digni sunt morte, non solum qui ea faciunt &c.

CONCLVSIO.

Poterit tamen tale priuilegium Princeps, siue gratis, siue ex pecunia alicui priuato concedere, si merces Reipublicæ vtiles fuerint, & rari qui eas deferant. Huius generis sunt priuilegia, quæ Librarijs dantur, vt nullus præter talem personam excudat, aut vendat. Quia hæc priuilegia in vtilitatem Reipublicæ redundant: vix enim esset, qui præ magnitudine expensarum libros excudere, vel aliūde excussos deferre vellet.

CONCLVSIO.

Potest Princeps tributorum immunitatem concedere, hispane (*Hidalguias*) ita vt non sit Reipublicæ detrimentū. Ratio est; quia expedit Reipublicæ, vt sint nobiles immunitate gaudentes. neque fit alijs iniuria; propterea quod, quā tum auget exactionem tributorum, minuit in exactione vectigalium. Cum enim posset decimas rerum venalium exigere, vix modo centesimam exigit partem.

CONCLVSIO.

Venditio officiorum exercentium iustitiam, scilicet, iudicandi, vt audientiam, aut certam gubernationē, esset abominabilis. Quia Princeps propter vectigalia, & tributa sibi soluta, ministros iustitiæ instituere tenetur.

CONCLVSIO.

Esset etiam execrabile cætera ministeria vendere, quæ aliquam administrationem, quamuis non iudiciariam annexā habent, vt præfecturas, arciumpontium &c. potius enim Princeps huiusmodi ministris stipendiū præstare tenetur. perinde enim hoc esset, ac si Dominus à famulo pro famulatu

latu precium peteret. Idem est iudicium, si vēderet aliquod palacij officium.

CONCLVSIO.

Princeps publica regimina vendere potest Hispanè (*Regimentos*) atque etiam munera tabellionum, &c. Ratio est; quia non tenetur gratis concedere, neque alicui nocet, suntque precio æstimabilia.

Hinc, regimina annua poterit accepto precio perpetua efficere; vt in aliquibus Hispaniæ locis factū esse legitur.

VI. Diffic. An venditor vicium rei venditæ emptori manifestare teneatur?

CONCLVSIO.

Quando vitium est in substantia, contractus est rescindendus. Quia de ratione contractus, est libera vtriusque cōtrahentis voluntas, & emptor non habet voluntatem emēdi rem in substantia vitiosam.

CONCLVSIO.

Quando vitium est in quantitate; vt in mensura, est restitutio omnium, quæ ad iustam mensuram desunt facienda: aliter enim non seruaretur æqualitas.

CONCLVSIO.

Quando vitium est occultū, ob quod res vendita, emēti periculosa redditur, erit omnino tempore venditionis manifestādum: neque satis esset tunc extenuare preciū. Patet primum ex parte charitatis ad euitandum mendacium. rogant enim frequentissime emptores, an res vendita sit vitiosa, & si tunc vitium cœlaretur, esset mendacium. Secunda ex parte iniustitiæ, quia contractus est nullus cum deficiat voluntas. Nā si emptor vitium intellexisset, nullo precio rem illam emisset; & fortassis est emptori periculosa; vt si sit equus rixosus, & c. & licet cœlando vitium, precium extenuaret; præberet tamē occasionem emptori decipiendi alium in precio, priusquam vitium intelligeret, si rem illam vēderet. hoc vltimum est Caiet. contra S. Tho. loco citato.

VII. Diffic. Quando aliquis scit merces eiusdem generis quæ plurimum valent, cum suis cito venturas, teneturne illud dicere?

V. G. est modo Valentiæ maxima frumenti penuria ob quam Petrus suum frumentum magno precio vēdit, quod si ciues intelligerent, cito magnam frumenti abundantiam superuenturam, non tanti emerent, istud sciens teneturne detegere.

CON-

CONCLVSIO.

Nequaquam tenetur. Quia Petrus poteſt vendere ſuas merces precio præſenti, & illas precio futuro, quod erit ſuperueniente mercium abundantia, vendere non tenetur.

QVAESTIO DE OECONOMIS, ET DEPOSITO.

Syluest. verbo depoſitũ & verb. œconomus Soto li. 4. q. 7. ar. 1. ad. 1. & li. q. 6. q. 3. art. 1.

Art. Vnicus. Poſſuntne depoſitarÿ rem reſtitutioni obnoxiam admittere?

Alias quæſtiones reperies apud Syluestrũ verbo depoſitum, & notandum plerumque res reſtitutioni obnoxias reponi in cœnobijs ne reſtituantur.

CONCLVSIO.

Tale depoſitum admitti non debet. Et ratio eſt; quia illud admittentes ſunt criminis participes.

I. Diffic. Depoſitarius poteritne vti depoſito?

Si depoſitum fuerit pecuniarium, nõ erit peccatum, pecunia depoſita negociari, & lucrum quærere; ſi tamen negocians in periculo amittendi pecuniam non conſtituatur. Quia non fit iniuria Domino pecuniæ, neque pecunia deterior redditur, & lucrum non ex natura pecuniæ, ſed ex induſtria negotiantis oritur.

CONCLVSIO.

Si depoſitum non fuerit pecuniarium, vti illo inuito Domino furtum eſt; niſi ſit frumentum, aut oleum, & parum aliquid ſi intentione reddendi tantundem in quantitate, & qualitate ſumatur. Hæc ſupra fuit demonſtrata

II. Diffic. Si contigat apud œconomum Reipublicæ, vel alterius priuati frumentũ humiditate granarÿ pingueſcere, & multiplicari, tenebiturne quod multiplicatur reſtituere?

CONCLVSIO.

Tenebitur quidem. Non enim licet lucrũ ex aliena re acquiſitum ex natura rei, & ſine induſtria perſonæ retinere.

III. Diffic. Quando œconomus Reipublicæ, vel alicuius Domini particularis vendit inuito Domino frumentum, poteritne tunc Dominus frumenti precium, ſiue frumentum petere?

CONCLVSIO.

In poteſtate Domini erit, vel precium, vel frumentum petere, etiamſi tẽpore, quo valet duplo petatur. Ratio eſt; quia

quia œconomus alienum inuito Domino vendere nō potuit. Et quia est depositarius. Vnde Dominus depositi poterit frumentum, quocunque tēpore voluerit, petere; si œconomus vsque ad illud tempus frumentū seruare tenebatur.

QVAESTIO DE CONTRACTV LOCATI ET CONDVCTI.

Syluest. verbo locatio.

Art. Vnicus. An qui conduxit agrum alienum tempore sterilitatis, annuam pensionem soluere teneatur?

CONCLVSIO.

Sterilitas colonum liberat, ne pensionem soluere teneatur. Definita est expresse in cap propter sterilitatem de locato, & conducto.

I. Dubium. Quanta debet esse sterilitas à solutione pensionis liberans?

Syluest. verbo locatio §.13. sex affert opiniones. Cæterū respondetur.

PROPOSITIO.

Sufficiens sterilitas dicetur, quando sine culpa, & negligentia coloni, sed sola temporum iniuria tantum collegit, quod ad expensas faciendas sufficit. Vt si ex agro colonus. 100 tātum mensuras tritici susceperit, quæ omnes ad expensas deducendas sunt necessariæ, tunc pensionem soluere non tenebitur.

CONCLVSIO.

Si anno præcedenti, vel sequenti sterilitas præsentis anni compensetur, pensio anni sterilis soluenda erit. Definita est expresse in cap. citato propter sterilitatem. Vbi dicitur; nisi cum vbertate præcedentis anni, aut subsequentis valeat cō pensari. Tuncque compensari dicitur: quando vno anno reddit ager fructus duorum annorum.

CONCLVSIO.

Quando colonus nihil ex agro percipit, non ratione sterilitatis terræ, sed propter tempestatem, quia grandine segetes fuerunt consumptæ, siue combustione, vel alicuius exercitus deuastatione, tunc pensionem soluere tenetur. Syluest. est vbi supra, & apertissime ex cap. propter sterilitatē citato colligitur. nā dicitur ibi, propter sterilitatem terræ, quæ vitio rei sine culpa colonis euenit. Vbi excludit sterelitatem aliunde ortam.

CON.

CONCLVSIO.

Quando annus omnino sterilis non fuerit, non omnino, sed ex parte erit soluenda pensio. Nam sicut propter omnimodam sterilitatem, omnino pensio remittitur; ita quanto ex parte fuerit sterilitas, ex parte erit remittenda.

II. Dubium. Quodnam erit locationis, & conductionis iustum precium?

De hoc dubio idem omnino dicẽdum est, quod de iusto precio in materia emptionis, & venditionis diximus.

QVAESTIO DE CONTRACTV PERMVTATIONIS.

Contractus permutationis est duplex, scilicet, rerũ corporalium, & spiritualium. De permutatione rerum corporalium legendi sunt summistæ, & DD. in 4. cuius iustitia in æqualitate rerum permutandarum consistit.

De permutatione vero spiritualium, legendus est textus in cap. ad quęstionem de rerum permutatione. Vbi dicitur, beneficia permutari posse, dummodo æqualitas fructuum seruetur, & permutatio superioris authoritate fiat.

QVAESTIO DE RESTITVTIONE HONORIS, ET BONORVM TEMPORALIVM.

S.Tho.2.2. q.7?. artic. 2.ad 2. & Caiet ibi. articu. 3. Medin q.29 Scot. lib. 4. arti 5.q.6. & libr. 5. q. 9. Matth. ca.5

Art. Vnicus. An lædens aliquem per contumeliam, aut conuicium, solum ad petendam veniam, vel ad aliquam aliam restitutionem teneatur?

Duæ sunt opiniones. Caiet. opinatur teneri contumeliosum ad restituẽdum honorem, qui potest alio modo, quã petitione veniæ restituere.

Abulen. Matth. 5. explicans locum, si offers munus tuũ &c docet, irrogantem alteri contumeliam, aut conuicium ad petendam veniam teneri.

CONCLVSIO.

Irrogans alteri conuicium, vel contumeliam ad satisfactionem, & restitutionem ablati honoris tenetur. Quia nõ remittitur peccatũ, nisi restituatur ablatũ, & contumeliosus abstulit proximo honorem lõge pecunia præstantiorẽ.

CONCLVSIO.

Quando honor per contumeliam sublatus alio modo, quam

quam petitione veniæ restitui potest, contumeliosus ad veniæ petitionem non tenetur. Ratio est, quia irrogans alteri contumeliam, solum tenetur restituere sublatũ honorem.

CONCLVSIO.

Quando iniuria fuerit leuis, & satisfactio integra, atque sufficiens fieri potest per veniæ petitionem, tunc contumeliosus tenebitur ad veniam petendam, dummodo iniuria affectus fuerit superior, aut æqualis, non autem inferior. Et ratio est, quia quando iniuria est leuis integre honor petende veniam restituitur, vt si quis alteri vitium ignominiosum obijciat, vocando illum ingratum, superbum &c. quæ non sunt improperia. Notanter dicitur, nisi fuerit superior, quia non decet, vt superior personam Dei gerens inferiori subijciatur. Satis enim est, vt alio modo illi reconcilietur.

CONCLVSIO.

Quando conuitium irrogatũ fuerit ignominiosum verbo, aut facto, vt si colapho, aut fuste quis fuerit percussus, & passus iniuriam noluerit sibi petitionẽ veniæ satis fieri, tũc ad arbitrium boni viri erit facienda satisfactio. Et ratio est, quia contumeliosus tenetur honorem sublatum resarcire, qui petitione veniæ tunc non sufficienter resarcitur.

I. Dubium. Quale erit boni viri arbitrium?

CONCLVSIO.

Rectum boni viri arbitrium est, vt satisfactio certa verborum forma fiat. V.g. si colapho, aut fuste percussisti aliquem, erit congrua satisfactio si dixerit te illud fecisse potius circunstãtium fauore, quam tuis armis, seu viribus fretum, vel quia vidisti illum inermem, aut alia huiusmodi, ita tamen, vt non mentiaris. Potest quoq; exhibitione pecuniæ fieri, quia illam pecuniam potest quis extra iudicium exigere, quam actione iniuriarum in iudicio petere, potest. & cũ possit quis 1000. ducatos honorem ablatum æstimare, poterit illos extra iudicium petere. Est & alius satisfaciendi modus, si contumeliosus discedat à loco vbi iniuriam passus habitat.

CONCLVSIO.

Ad honoris restitutionem tenentur etiam qui causa vel concausa contumeliæ fuerunt. Ratio est, quia qui causam damni dat &c. Vno tamẽ restituente, cæteri sunt liberi. Cęterum qui irrogauit iniuriam, actu, semper tenetur.

CONCLVSIO.

Hæredes eius, qui iniuriam passus fuit, contumeliæ illatæ defuncto

defuncto satisfactionem petere non possunt, nisi in illos iniuria redundet. Quia iniuria personalis non transit ad hæredes.

APPEN. Hinc, si redundaret, facienda esset illis satisfactio, si defuncto nō fuit satisfacta. Sæpissime enim contingit, vt propter iniuriam vni de familia irrogatam, tota familia lædatur.

CONCLVSIO.

Læsus iniuria verborum, aut colaphis, siue iusteran corē, & animū sumendi vindictam remittere tenetur; non autē honoris satisfactionem, quia est bonum temporale. Constat per text. & gloss in Can. si quis contristatur. 90. dist.

S.Tho. 2. 2. q.64. art. 7. Ric. art 5. q. 2 & 3. Scot. q. 3.

I. Diffic. Lædens alium in bonis corporis teneturne ad restitutionem?

PROPOSITIO.

Tenetur expensas, & omnia alia damna illata, lucrumq; cessans, & damnum emergens soluere, atque etiam hæredibus defuncti, quos defunctus alere tenebatur, vt filijs, vxori &c. satisfacere.

APPEN. Hinc, abscindens manum artifici ex artificio viuenti, illū per totā vitam, filiosque & vxorē, quos ex mercenario artificio alebat, sustentare tenetur. Intellige, si modo damnificans fuerit inuasor. Nam si pro defensione sui, quia aliter se defendere non potuit illum interfecerit, ad nullam tenebitur restitutionem. Secus autem si potuit, & nihilominus inuasorem occidit. Iam enim illud non se defendere, sed aduersarium offendere esset.

II. Dubium. Quid si propter læsionem a Petro factam falso Ioanni impositam, incommoda multa Ioannes patiatur?

Supra responsum est.

III. Dubium. Quid si læsit alium præter intentionem?

R. si sufficientem adhibuit diligentiā, ne aliū offenderet, ad nullam tenetur satisfactionem: sin minus tenetur. Constat ex cap. Presbyter, & cap. lator, & cap. dilectus, cum 3. sequentibus de homicidio, quorum exēpla nota diligenter.

IIII. Dubium. Tenebiturne aliquis etiam damnum ratione cicatricis illatum soluere?

PROPOSITIO.

Si læsus patiatur aliquod detrimentum temporale, tunc præter expensas, & damna peculiaris satisfactio ratione cicatricis est facienda, vt mulier habens cicatricē in facie difficilius nubet, & seruus habens cicraticem vilior erit.

Hinc

Hinc si ex cicatrice nullũ temporale damnum sequatur, nõ erit facienda restitutio. APPEN.

V. Dubium. Occidens hominem tenebiturne seipsum iudici offerre; ut pro occiso suspendatur?

PROPOSITIO.

Nequaquam tenetur, vt ex supra dictis constat. Hic liberãdus est Sco. à temeritate, quam multi illi imposuerunt. Nam propterea quod dist. 15. dixit, vix posse aliquem recompensare per actiones illud, quod abstulit homicidio, colligũt fuisse huius sententiæ; vt homicida teneatur se iudici sponte offerre, vt occidatur. Quod quidem ex verbis prædictis nulla ratione colligi potest, præsertim cum quæstione sequenti eiusdem dist. dicat malefactorem occultum, & non conuictum, etiam rogatum à iudice non teneri ad confitendum crimen.

Hic liberatur Scot.

VI. Dubium. Hæredes malefactoris tenenturne ad restitutionem?

PROPOSITIO.

Absolutè omnia debita defuncti siue ratione contractus, siue ratione delicti soluere tenentur. Quia bona defuncti eius creditoribus sunt obligata.

VII. Dubium. Teneturne Dominus satisfacere iniuriam à proprio manicipio irrogatam?

PROPOSITIO.

Quando Dominus fuit damni causa tenetur, & dicitur esse causa, quando non prohibuit cum posset, vel quando impunitum reliquit. Ita definitur lege 2. ff. de moralibus actionibus & in cap. Si bos de iniurijs. Quia qui causam damni dat &c. Quare si non fuerit causa, non erit restitutioni obnoxius.

II. Diffic. An qui vitiauit virginem, in quocunq; euentu illam dotare teneatur?

CONCLVSIO.

Inferens Virgini violentiã, & illam nolentẽ corrumpens, aut illam vxorem ducere, si pater voluerit, aut dotare si pater noluerit, tenetur. Definita est expressè cap. 1. de adulterijs, etiam ante condemnationẽ. licet Nauarro oppositum teneat.

S. Thom. 2. 2. q. 156. ar. 6. Alexan. Alen. 2 p. q. 167. & 168. Sylu. verbo luxuria. §. 5. Nauarro. cap. 16. n. 17.

CONCLVSIO.

Seducens virginem promissionibus, affirmans se illam ducturum vxorem, vel dotem præstaturum, si viciauerit, promissum adimplere tenetur. Definita quoq; est cap. 1. de adulteris. Et nota dotem esse tribuendam, qua virum secundum suum statum inuenire possit.

CONCLVSIO.

Corrumpens virginem falsissimis precibus exoratam, non promissionibus seductam, neq; violentia oppressam, in foro conscientiæ ad nullam tenetur satisfactionem. Quia volenti, & cõsentienti non fit iniuria; secus autẽ est in iudiciali foro.

CONCLVSIO.

Corrumpes virginem importunis precibus exoratam dotare tenetur. Propterea quod, importunæ preces molestiæ æquipollent. Dicuntur autem importunæ, quando sunt multæ, & efficaces.

Animaduerte corruptorem virginis teneri quoque ad satisfaciendum parentibus illius. Nam maximum est dedecus parentibus virginem habere violatam.

CONCLVSIO.

Stuprator non solum in foro exteriori verumetiam in foro conscientiæ virgini dotem præstare tenetur. Quia aliter virgini integra satisfactio fieri non potest. Angeli est cõtra Syl. vbi supra. Hactenus de Restitutione.

FLORES QVÆSTIONIS De Resurrectione.

DD. d 43. & Cast. verb. resurrectio contra hæreses & Bea. Ambrosi. in libel. de fide resurrectio. Ric. toto art. 1. & S. Tho. quõ. vni. &c. Scoto quæstio. 1. Iob. cap. 19. Math. cap. 22. Ioan. 15.

Art. 1. An sit mortuorum resurrectio futura?

DE fide tenendum est futuram esse mortuorum resurrectionem. Iob 19. Scio, inquit, quod redemptor meus viuit. &c. vsq; in sinu meo. Et Matth. 22. increpauit Dominus Iesus Sadduceos resurrectionem negantes alia sunt innumera Sacræ Scripturæ loca, quibus hæc conclusio confirmatur, apud Patrem à Castro.

CONCLVSIO.

In die generalis resurrectionis, omnes tam electi, quàm reprobi resurgent. Venit enim hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei; & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.

Hærêsis. Cast. vbi sup.

Ex hæreticis, quidam non esse futuram resurrectionem affirmarunt, alij iam factam esse asseruerunt, qui omnes hîc conuincuntur.

1. Diffic. An poßit generalis resurrectio naturali ratione demonstrari?

CONCLVSIO.

S. Thom. art. 3. & Sco. q. 2. vbi supra.

Resurrectionis articulus rationibus naturalibus probari non potest. Quia cùm à priuatione ad habitum per naturam nõ possit esse regressus, neq; naturæ viribus poterit cognosci.

Est enim

Est enim resurrectio supernaturalis, & vt res se habet ad esse, ita ad cognitionem.

CONCLVSIO.

Potest nihilominus similitudinibus, & rationibus topicis mortuorum resurrectio declarari. Nam B. Paul. si in hac vita, inquit, tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus, & grani similitudinem adducens ait, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur, &c. Sic & resurrectio mortuorum. Istæ autem rationes, nisi habenti fidem, fidem non faciunt, etiamsi supposita infinita Dei potentia contra infideles probare possimus non futuram, sed possibilem esse resurrectionem, id est, non implicare contradictionem. *1. ad. Cor. c. 15.* *In eodem ca p*

II. Diffic. Concurretne naturalis causa, vt Sol, terra, &c. ad hominum resurrectionem, sicut ad procreationem? *Ric. art. 3. q. 1 & Scot. q. 3.*

Scotus duas adducit opiniones. Vna est Platonis asserentis post spacium 30000. annorum omnia, quæ corrupta sunt eodem numero reditura. Verum hæc sententia confutatur multis Sacræ Scripturæ testimonijs. Nam D. Paul. ait, quia nos qui viuimus, &c. Et sic semper cum Domino erimus. *1. ad Thessal. cap. 4.*

Altera opinio est opposita, quæ quidem tenet nihil idem numero corruptum, per causam naturalem redire posse.

Tertia opinio est Ric. & Scot. affirmantium posse aliquãdo, licet, non semper, idem numero semel corruptum reproduci.

CONCLVSIO.

Virtute agentis naturalis idem numero semel corruptũ reproduci nullo modo potest. Nam à priuatione ad habitũ impossibilis est regressus. Cum enim indiuiduum accipiat esse per motum, & per actionẽ agentis naturalis, & fieri non possit, vt redeat idem motus, eademque actio; fieri quoque haud poterit, vt virtute agentis naturalis idem numero corruptum reproducatur.

CONCLVSIO.

Deus tamen Opt. Max. idem numero reproducere potest. Quia Deus in sua operatione à motu causæ secũdæ tempore & loco, quæ sunt indiuiduales differentiæ, non dependet, Potestq; sua omnipotentia eundem motum, eãdemue generationem, per quam indiuiduum incepit esse reproducere.

CONCLVSIO.

Nulla causa naturalis cum Deo ad mortuorum resurrectionem concurret. Quia mors est priuatio vitæ; vnde ad viuificandum non poterit causa secunda concurrere. Totum enim

fit à Deo miraculose: organizatio siquidem à solo Deo fit, iam enim non efficitur tunc per semen effusum intra vterum fœminæ, nec animæ introductio nisi à solo Deo efficitur. Nam introducere animam in corpus est hominem efficere, & anima cum sit forma hominis, eiusdem causa efficiens esse non potest. Nam efficiens causa, & forma, respectu eiusdem non coincidunt.

Scot. q. 4.

III. *Diffic. Eritne resurrectio naturalis?*

CONCLVSIO.

Resurrectio tam ex parte principii actiui, quam ex parte termini erit simpliciter supernaturalis. Nam Deus Opt. Max. est principium actiuum, vt ex superioribus constat. Et terminus resurrectionis, scilicet, glorificatio in electis, & incorruptibilitas in reprobis, quia illorum corpus erit incorruptibile, supernaturalis est.

CONCLVSIO.

Si naturale, vt opponitur violento sumatur, resurrectio passiua naturalis erit. Nam secundum inclinationem naturalem futura est. Anima enim naturaliter ad suum corpus informãdũ inclinatur, erit autẽ supernaturalis, vt ex proxima cõclusione constat; si naturale, vt opponitur supernaturali, accipiatur.

Ric. art. 3. q. 1. & 2. & Sot. q. 3.

Art. II. Quænam sunt resurrectionis causæ?

CONCLVSIO.

Instrumentalis causa futuræ resurrectionis erit vox tubæ quæ & vox Christi nominatur. Nam apud D. Ioan. legitur; venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Et ad Thesalon. veniet Dominus in iussu, & voce Archangeli & tuba nouissima. Huius loci expositionem apud Ric. & alios reperies.

Ioan. 5. cap. 1. ad Thesalõ. cap. 4.

CONCLVSIO.

Christus Dominus, vt Deus est, nostræ resurrectionis cum Patre, & Spiritu Sancto causa efficiens principalis erit. Quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, per eandem enim voluntatem operantur.

CONCLVSIO.

Christus, vt homo, id est, Christi humanitas, erit nostræ resurrectionis causa instrumentalis. Nam, vt per causam instrumentalem agens principale; vt scriba per calamum, suum operatur effectum. Ita Christus per suam humanitatem præcipiet Angelis pulueres congregare, & alia, quæ in iudicio futura sunt præstare. Quemadmodum in resurrectionem. Lazari fuit diuinitatis instrumentum.

CONCLVSIO.

Christi

Christi Resurrectio nostræ resurrectionis exemplaris causa erit. Dicit enim B. Paul. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. *Ad.Philip.c.3.*

Art. 3. Quando futura erit vniuersalis resurrectio? *Ric.toto ar.6.*

CONCLVSIO.

Generalis hominum resurrectio in fine mundi, & non antea erit. Dixit enim Iob. in nouissimo die de terra surrecturus sum. & Matth. 13. simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare; & paulo post sequitur, sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent illos in caminum ignis ardentis, ibi erit fletus, & stridor dentium. *Iob cap.19.* *Matth.13.*

CONCLVSIO.

Præter corpus Christi Iesu, & immaculatæ semperque virginis Mariæ, nullum aliud est in cœlo eorum, qui hactenus surrexerunt. Hæc conclusio est B. Hier. & B. August. quos citat. D. Tho. hac difficultate. Nam si aliquis sanctorum cum corpore ad cœlum ascendisset, fuisset presertim Dauid de quo tamen B. Petrus ait, sepulchrum eius apud nos est vsq; in hodiernum diem. quos credibile est fuisse cum corpore in delicijs paradisi vsque ad ascensionem. quando exutis corporibus cum illo in cœlum ascenderunt. *S.Th. vbi sup.* *D. Hie. & D. Aug.* *In Act.cap.2.*

Hinc, confutatur error, quorundam hæreticorum dicentium, duas futuras esse resurrectiones; primam omnium martyrum mille annis ante finale iudicium. Et secundam in fine mundi. Pater autem à Castro verbo Beatitudo hæresi 2. explicat locum Apocalypsis, quo decepti fuerunt. *Hæreses.* *cap.20.*

1. Diffic. Poteſtne dies ille ab Angelis, aut hominibus cognosci?

CONCLVSIO.

Dies iudicij nulli creaturæ, sed soli Deo notus est. Constat Matth. 24. de die autem illa nemo scit, neque Angeli cœlorum. &c. & Marci 13. neq; filius hominis, id est, vt alijs reuelet. atque hoc vt semper parati viuamus: iuxta illud Lucæ. 12. cap. estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. *Ric.ar.6.q.3.* *Matth.cap.24* *Marc.13.* *Lucæ.12.*

CONCLVSIO.

Neque Angeli, neque beatorum animæ. quando dies ille futurus sit, in verbo vident. Colligitur Matth. 24. neque Angeli sciunt. Vbi negatio vtramque scientiam in proprio genere, & in verbo includit. Hæc est Ricard. contra quosdam asserentes in proprio genere, 1. per species acquisitas, vel reuelatas, siue infusas, ignorare; non tamen in verbo. *Matth.cap.24*

Ric.art.5.q.2. & art.6.q.1. Sco.q.5.et Duran.q.4.

II. *Diffic. Estne resurrectio in instanti, vel in tempore futura?*

CONCLVSIO.

Collectio partium materialium in tempore fiet. Ratio est; quia Angeli, quorum ministerio fiet nõ possunt mouere corpora in instãti; simul enim essent in pluribus locis virtute creata corpora ipsa, fieretq; motus in instanti, quod est impossibile. In instanti enim mouere virtutis infinitæ est proprium.

CONCLVSIO.

1.Cor.15.

Resurrectio in instanti fiet. Ratio est; quia Deus sua infinita virtute est resurrectionem facturus. Colligitur ex B. Paul. dicente, omnes quidem resurgemus, &c. In momento, in ictu oculi. Non quod in apertione palbebrarum futura sit. Nam cum hæc sit motus, fit tempore; sed ad declarandum in instãti faciendam esse.

Ricar.art.6.q.2.vbi supra.

III. *Diffic. Fietne in instanti noctis, an diei resurrectio?*

CONCLVSIO.

Ricardi S.Tho. & Dur.est.

Erit fortasse primo mane, quam primum aurora clarescere inceperit, Solo in Oriente existente, & Luna in Occidente, eritq; eadem hora, qua Christus Iesus à mortuis resurrexit. Quia resurrectio Christi Iesu, quæ est exẽplaris causa nostræ resurrectionis, primo mane fuit. Tum etiam, quia futurum est iudicium, quando homines minus de illo cogitabunt; vt diluuium tempore Noe, & homines primo mane magis somno grauantur, & sui obliuiscuntur.

Ric.art.4.q.1 Scot.vbi supr.

Art. IIII. Qui in die iudicij, reperti fuerint viui morienturne?

CONCLVSIO.

Habr. cap.9.

D.Hiero.et D. August.

Electi tempore iudicij viuentes sunt morituri, & statim resurrecturi. Hæc fuit sententia D. Hiero. & D. Aug. statutum. n. est omnibus hominibus semel mori. Notanter dicitur, in con. electi, de his enim fuit controuersia inter Doctores, & non de reprobis, quos morituros esse nullus dubitat, & intelligitur conclusio exceptis Elia, & Henoch, quemadmodum scriptura testatur.

I. Dubium. Suntne iusti simul cum reliquis resurrecturi, an post cæterorum resurrectionem morientur. & statim resurgent.

2.ad Thessal.

Scotus, & Dura. tenent iustos rapiendos esse viuos in aera, & ibi morituros; & illico resurrecturos post cæterorum resurrectionem. Huic opinioni suffragari videtur B. Pau. 2. ad Thessalo. 4. in iussu, & in voce Archangeli, & deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus

nubibus, obuiam Christo in aere. Opinio Ricar. est iustos esse in terra morituros ante aliorum resurrectionem, & postea simul cum illis resurrecturos. Quod confirmare visus est B. Pau. dicens in momento, in ictu oculi; & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur: vbi vniuersaliter loquitur; quasi dicat, simul resurgemus. Iam enim docuit D. August. cap. 6. de Ecclesiasticis dogmatibus. Erit, inquit resurrectio mortuorum, sed vna, id est, simul & semel, non prima iustorum, & secunda peccatorum, vt fabula est somniatorum, sed vna omnium. *1. ad Cor. 15.*

II. Dubium. Corpora eorum, qui reperti fuerint viui in die iudicij, suntne in cineres conuertenda?

Sequendo opinionem Sco. pars negatiua est tenenda.

CONCLVSIO.

Corpora eorum, qui reperti fuerint viui in die iudicij, incinerabuntur, id est, corrumpentur. Dictum est enim Gen. 3. puluis es, & in puluerem reuerteris, quæ pœna imposita fuit propter culpam originalem, quam omnes præter Christũ Iesum, & eius purissimam matrem, contraxerunt; fietque corruptio per ignem: qui ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *D. Bon. Ricar. & aliorum. Gen. 3.*

I. Diffic. Eritne resurrectio omnium in valle Iosaphat, vbi futurum est iudicium?

Variæ sũt opiniones, quas refert So. hac dist. q. 2. ar. vltimo. *Ric. d. 43. art. 5. q. 3. & dist. 48. art. 1. q. 7. Scot. d. 43. q. 5 S. Tho. d. 43. q. 1. art. 3. q. 4.*

CONCLVSIO.

Omnes resurgent in locis, in quibus fuerint sepulti. Et cõstat. Ioan. 5. omnes, qui in monumẽtis sunt, audient vocẽ filij Dei & etiam Ezechiel 37. Ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.

Dices; quomodo istud fiet, ministerio Angelorum, qui partes materiæ dispersas, & sub diuersis formis existentes, ad locum, vbi quilibet fuit sepultus congregabunt. Queres; qua ratione in eodem sepulchro erunt innumera corpora ibidem sepulta? R. quia potest Deus efficere, vt sit corpus, & nõ occupet locum; quemadmodum erunt in valle Iosaphat. Sed de hac re in prima parte egimus, in q. de existentia corporis Christi in Eucharistia, vbi multa corpora in eodem loco existere posse demonstrauimus. *Hæc est Rica. Ioan cap. 5. Ezechie. c. 37.*

Art. V. An singulorum omnium cogitationes, & opera, quæ in vita egerunt, siue bona, siue mala, sint illic propalanda? *Ric. art. 7. q. 1. 2. & 3. Durã. d. 47. q. 2.*

CONCLVSIO.

In die iudicij libri conſcientiarum aperientur, ita vt omnium tam electorum, quam reproborum opera, & cogitationes bonæ, ac malæ, non ſolum ab illis, qui ea fecerunt, verumetiam ab omnibus conſpiciantur. Prima enim ad Cor. 4. expreſſe habetur, nolite, inquit, ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Cum enim illud iudicium futurum ſit ne detur alicui occaſio ſuſpitionis, omniũ reorum crimina omnibus patere debent.

1.Cor.c.4.

Magiſter ſententiarum aſſeruit peccata electorum non eſſe manifeſtanda.

CONCLVSIO.

Electi in verbo omnia bona, & mala propria ſingulorũ videbunt: damnati vero per ſpecies à Deo cretas mira celeritate, ſingulorum bona, atque mala cernent D. Aug. eſt, quem citat, & ſequitur Ric. vbi ſupra dicentis; omnia mentis intuitu cernentur, & quaſi in libro recitabuntur; non in genere tantũ, vt quidam opinantur, ſed in particulari, vt ex 1.concl. conſtat. Aliter enim non iuſtificaret Deus iudicium ſuum, ſi ſingulis ſingulorum geſta non paterent.

Ric d.44.ar.1 q.1.Scot.q̃o.1. eadem d.Dur. q.3.d.43.

Art. VI. An reſurget idem corpus numero, quod homo, dum vixit, habuit?

Hoc art. d.44. Magiſtri declaratur, in qua de qualitate corporum reſurgentium, & de modo, quo ignis torquet Angelos malos, & animas ſeparatas verba facit.

Communis eſt ſententia affirmans. Solus Durand. negat idem corpus numero rediturum.

CONCLVSIO.

Vnuſquiſque in eodem corpore reformato ex eadem materia numero, ex qua tẽpore, quo vivit, erat compoſitũ, reſurget. Expreſſe habetur Iob.19. in nouiſsima die de terra reſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum. Alioqui enim non fieret carnis reſurrectio, neque vnuſquiſque propria corporis, pro vt geſsit, reciperet. Quod eſt contra D.Paul. & contra fidem.

Iob.19.

2.Cor.cap.5.

APPEN. Durã. caute legendus.

Hinc, caute legendus erit Duran. loco citato.

1. Diffic. An in homine, totum, quod in eo de veritate naturæ humanæ præfuit reſurget?

Ric.d.45 ar.1. q.4.Sco.d.44. q.1.Dur.d.44. & in 2.d.20.

CONCLVSIO.

Non reſurgent omnes homines, cum omnibus partibus carnis, & materiæ, quas per totam vitam habuerũt. Ratio eſt; quia ſi homo centum annos vixiſſet, cuius corpus, vel eſſet

immoderatæ quantitatis, si partes non condensarentur, vel si condesarẽtur, esset immoderatæ qualitatis, quorũ vtrumq; est superfluum, & deforme, & corpora gloriosa nullam habebunt deformitatem.

CONCLVSIO.

Homo cum tanta quantitate resurget, quantam vsq; ad trigesimum tertium annum habuit, vel habuisset, si ad illam vsq; ætatem vixisset. Nam occurremus (inquit B. Paul.) omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Ad Ephes.4.*

I. Dubium. Dices cùm homo continuo nutriatur, & quædam partes euanescant, quænam illarum resurgent?

R. cum Sco. Resurgent omnes partes materiæ quas homo à parentibus tempore generationis recepit; ex partibus verò per nutritionem acquisitis resurgent priores, vt quidam sentiunt, vel illæ quas natura generauit, quousque homo debitam quantitatem habuit; aut, vt alij opinantur resurget homo cũ partibus, quas vsq; ad 33. annum habuit,

Hinc colligitur non resurrecturum præcisè illud corpus, quod homo habuit in certo vitæ tempore, sed corpus ex diuersis partibus quas in diuersis vitæ temporibus habuit. APPEN.

CONCLVSIO.

Resurget præterea homo cum capillis, & vnguibus, quatenus sunt naturæ ornamentum. Hæc est D. Augustini. Capilli enim, licet sint naturæ superfluitates, sunt nihilominus ornamenta. *22. de ciui. Dei cap. 19.*

Hinc non omnes capilli, & vngues erunt reparandi, Quoniam esset corpus deforme. APPEN.

CONCLVSIO.

Partes homogeneæ ad eũdem situm non redibunt. Nam licet ossa habitura sint easdem partes materiæ, quas in vita; parum tamen refert partem materiæ, quæ erat in medio ossis in extremo illius resurgere.

CONCLVSIO.

Partes eterogeneæ quæ erant in capite ad caput redibũt, & non ad pedes, &c. Alioqui enim non esset idem caput numero ante, & post resurrectionem, ex consequentiq; neq; idem numero corpus. Quia identitas corporis ex identitate numerica partium constat.

CONCLVSIO.

Electi cum omnibus membris, quæ sunt de integritate humani corporis, etiamsi in vita illis caruerint resurgent. Nam mortui inquit D. Paul. resurgent incorrupti vbi Glossa, id est, *I. Cor. cap. 15. D. Aug. est in*

Enchiri. cap. 22. sine aliqua læsione membrorum.

Vnde monoculi cum duobus oculis resurgent, & martyres habebunt membra, quibus in contumeliam Christi priuati fuere, in quibus cicatrices, vt Sol, & gemmæ splendidissimæ in eorum gloriam accidentalem fulgebunt.

APPEN.

II. Dubium. Restituenturne reprobris omnia membra, quibus in vita fuerunt orbati?

Duæ sunt opiniones: Prima D. Bona. & Dur. qui tenent, vt ex hac vita migrarunt, ita resurrecturos esse.

Ric. d. 44. ar. 1 q. 6. Sco. vbi supra. S. Tho. q. 1. art. 2.

Secunda opinio est contraria, & est Ric. & S. Tho. D. autem Aug. in hac re fuit dubius. Nam ita ait, neq; fatigare vos debet incerta damnatorum habitudo, & pulchritudo quorũ erit certa, & sempiterna damnatio.

CONCLVSIO.

Resurgent integri, quemadmodum, & electi. Dicit enim B. Paul. mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Vbi glossa inquit, penes integritatem corporum, non posuisse B. Paul. inter reprobos, & electos discrimen; sed solum penes impassibilitatem, quam verbo illo & nos immutabimur, indicauit.

1. Cor. capi. 15.

Ric. ar. 1. q. 8. Sco. vbi supra.

II. Diffic. An omnes in iuuenili ætate resurrecturi sint?

Resurgent omnes in eadẽ ætate, id est, in virtute, & robore corporis, quod homines 33. annorum habere solent. Hanc conclusionem colligunt doct. ex B. Paul. donec occurramus in mensuram plenitudinis ætatis Christi. Et est D. Aug. asserentis; omnes esse reparandos ad illam ætatem, quia est perfectissima hominis ætas.

Ad Eph. ca. 4. 22. de ciu. Dei. cap. 15.

Ric. art. 1. q. 9. S. Th. q. 1. ar. 2.

III. Diffic. Resurgentne omnes in eadem corporis statura

CONCLVSIO.

Non in eadem quantitate omnes, sed in illa, quam homo habuit natura non errante, aut impedita, vel habiturus esset si perfectam attigisset ætatem, resurgent. Ad quam quidem identitatem pertinent dimensiones staturæ, vultus, coloris, & cæterorum identitas, exceptis deformitatibus, quæ, (vt paulo antea diximus) in electis auferentur.

Ric. ar. 1. q. 10.

IIII. Diffic. An omnes in ætate virili resurgent?

Quidam partem affirmantem asseruerunt: in quos D. Aug. disputat.

CONCLVSIO.

Fœminæ in sexu femineo resurgent, quia fœmina, est à viro alia numero, & vnusquisq; vnus numero resurrectur' est.

CONCLVSIO.

Pudenda fœminarum tunc ad libidinem minimè allicient, Nam si

Namsi in statu innocentiæ Adam,& Eua nudi cum essent,nõ erubescebant. Quia nullum carnis motum patiebantur; nedũ in patria, vbi sunt futuri impeccabiles. *Gen.cap.2.*

V.diffic.Eritne potentia nutriendi,& generandi in beatis?

CONCLVSIO. *D. Aug.*

Erit quidem non ad vsum, vt falsissime sibi Saraceni persuadent; sed ad naturæ perfectionem D. August.est dicentis corporibus non esse auferendam comedendi facultatem, sed ægestatem.

CONCLVSIO.

Non tamen actu generare poterunt. Nam erunt sicut Angeli Dei in patria, qui neq; nubent,neque nubentur. *Matth.cap.22.*

III. Dubium. Nunquid resurgent cum quatuor humoribus corpora?

CONCLVSIO.

Resurgent. Propterea quod, isti humores sunt de veritate corporis humani viuentis.

FLORES QVAESTIONIS de receptaculis animarum post hanc vitam, & de suffragiis,deq. sanctorum orationibus.

Hæc q.d.45. à Magistro sententiarum tractatur.

Art.I. Suntne quatuor tantum receptacula,in quibus morientium animæ recipiuntur? *DD.ibidem. Ric.ar.1.q.1.& 2.S.Thom.q. 1.ar.1.& sequentibus.*

V.g. cælum,infernus, purgatorium,& limbus paruulorũ, qui cum solo originali discedunt.

CONCLVSIO.

Post mortem Christi Iesu, quatuor tantum sunt animarum receptacula. De beatorum quidem receptaculo constat,apud D. Matth'. venite benedicti patris mei, accipite regnũ, quod vobis paratum est &c. Et de inferno ibidem, ita maledicti in ignem æternũ, &c. Et de purgatorio, ex 1.ad Cor.3 si aliquis autem superædificat ligna, fœnum, & stipula,id est venialia peccata, &c. saluus erit; sic tamen quasi per ignem, scilicet purgatorij. Limbus vero, facile colligigitur. Nam paruuli cum peccato originali morientes, nõ sunt in cælum migraturi; Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum; neque in infernum, aut purgatorium, cum nullum habeant actuale peccatum. Quapropter quartus locus; vtpote limbus est cõstituendus. Notanter dicitur post mortem Christi. Nã antea erat limbus patrum. *Matth.cap. 25. 1.Cor.3. Apoc.cap.21.*

Ric. & S. Tho vbi ſupra.

I. Dubium. Vbi nam ſunt hæc receptacula?

CONCLVSIO.

De fide tenendum eſt beatorum receptaculum cœlum eſſe. Nam Matth. 5. dicitur merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Hinc, quamuis beatitudo in viſione, & fruitione Diuinæ eſſentiæ conſiſtat. Et vbiq. locorum homo beatificari poſſit; nam Angeli ad nos deſcendentes ſemper vident faciem patris & animæ ſanctorum patrum in limbo, deſcendente ſanctiſſima Chriſti Ieſu anima, fuerint beati; nihilominus tamen propria ſedes, vbi beati Deum vidēt cœlum eſt empyrium, ſcilicet, ſplendidiſſimum, vt locus locato proportionetur.

Matth. cap. 5.

APPRN.

Matth. cap. 18

CONCLVSIO.

Infernus damnatorum in viſceribus terræ ſitus eſt. Et videtur eſſe de fide tenenda; licet Soto veram tantum & oppoſitā temerariam dicat. multis enim locis Sacræ Scripturæ confirmatur. Nam limbus patrum eſt in viſceribus terræ, dicente Chriſto Ieſu de anima ſua, ſicut fuit Ionas &c. ita erit filius hominis in corde terræ & infernus limbo inferior eſt; vt conſtat Lucæ 16. de diuite epulone, qui eleuans oculos vidit Lazarum in ſinu Abrahæ, id eſt, in limbo.

Matth. cap. 12 Luc. 16.

CONCLVSIO.

Purgatorium, & limbus puerorum in inferioribus partibus terræ exiſtunt. Id enim canit Eccleſia libera Domine animas &c. de pœnis inferni, & de profundo lacu; vbi purgatorium, quia eſt in inferioribus partibus terrę infernus nominatur; perinde etiam & limbus, quia eſt locus punitionis, infernus appellatur. Ibi enim pueri cum ſolo peccato originali morientes pœna damni puniuntur.

II. Dubium. Quomodo ſe habent hæc receptacula reſpectu inferni damnatorum?

Tres ſunt opiniones. Prima Ric. quæ ſequenti concluſione continetur.

CONCLVSIO.

Infernus damnatorum in centro terræ eſt, mox ſuper infernum puerorum limbus, & ſuper limbum purgatorium, & ſuper purgatorium olim limbus patrum exiſtebat. Et ratio eſt quia quò magis animæ à Deo per gratiam diſtant, eò magis per receptaculum à Deo diſtare quoque videntur. Et cum ordine prædicto animæ à Deo per gratiam diſtent, diſtabunt etiam per loca.

Altera opinio eſt D. Thom. cuius eſt concluſio ſequens.

CONCLVSIO.

Iuxta infernum damnatorum non limbus paruulorum, ſed purga-

purgatorium existit. Cuius ratio est; quia animæ purgatorij igne, quemadmodum, & animæ damnatorum plectuntur.

Tertia opinio est quorundam doct. scilicet, purgatorium, & limbus, vel sunt ex vna parte inferni supra centrum, vt in quadam linea versus nos, vel antipodas, aut circundant infernum: atque ita respectu cuiuscunque superficiei terræ, supra infernum erunt.

II. Dubium. Estne modo locus, qui sinus Abrahæ dicatur vbi electi ab omni culpa, & pœna purgati; vt olim recipiantur?

CONCLVSIO.

Sinus Abrahæ fuit locus quidam, vbi animæ ab omni culpa, & pœna purgatæ requiescebant, qui & limbus patrum dictus est. Patet apud D. Lucam vbi Lazarum mendicum per Angelos ante aduentum Christi Iesu deportatum fuisse expresse habetur. *Luca cap. 16.*

CONCLVSIO.

Post aduentum Christi Ecclesia sinum Abrahæ cœlũ beatorum nominat. Dicit enim in quadam oratione pro defunctis: Deus cui omnia viuunt, &c. animam N. famuli tui per manus sanctorum Angelorum deducendam in sinum amici tui Abrahæ, id est, in cælum.

I. Diffic. An electorum animæ statim, vt sunt purgatæ post mortem in cœlum deducantur? *S. Tho. q. 7. art. 2.*

CONCLVSIO.

Quam primum anima à corpore separatur, sine mora in uno ex prædictis receptaculis collocatur. Nam de damnatis Lucæ 16. habetur mortuus est diues, & sepultus est in inferno *Luca cap. 16.* & apud Iob. ducunt in bonis dies suos & in puncto, id est, sine mora, ad infernum descendunt. Et de animabus purgatorij constat 2. Macha. cap. 12. sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, quorum animæ, si statim in purgatorium non deportarentur, non illico orationibus nostris indigerent. De paruulis cum solo originali morientibus, & de prædictis concors fuit semper Doctorum sentẽtia de animabus autem electorum, an in cœlum ante diem iudicij deducantur, fuit dubium. Et ideo notanda est conclusio sequens. *Iob. cap. 12.* *Macha. c. 12.*

CONCLVSIO.

Electorum animæ, quæ ex hac vita ab omni reatu pœnæ, & culpæ libere discendunt, & quæ in purgatorio vsque ad vltimum quadrantem soluerunt, statim ad perennem beatitudinem transportantur. Hæc est de fide. Et constat apud D. Lucã *Luca. cap. 23.*

vbi

vbi legitur dixiſſe Ieſum latroni: hodie mecum eris in Paradyſo, ibi enim per Paradyſum clara Dei viſio intelligitur. Vide apud patrem à Caſtro, vbi ſupra, multa ſacræ ſcripturæ teſtimonia.

CONCLVSIO.

Quamuis anima poſsit per ſe naturali virtute moueri, & in receptaculum ſibi definitum proficiſci, nihilominus tamen ab Angelis in cœlum, & in purgatorium, & à demonibus in infernum deducitur. Expreſſe conſtat de electis, & roprobis

Lucæ cap. 16. Lucæ 16. exemplo Lazari mendici, & diuitis epulonis. Et de animabus purgatorij, patet etiam. Quia amicorum eſt proprium, amicos, reos poſt remiſſam noxam ad carcerem ducere, vt quod reliquum eſt pœnæ luant, & omnino liberentur. Similiter Theologandum eſt de paruulis nondum baptizatis migrantibus ad limbum.

ERROR. Hac difficulta, confutatur error Armenorum, qui nullam animam ante diem iudicij eſſe beatam aſſeruerunt quem am-

Caute legendi. plexi ſunt B. Irenæus martyr in calce lib. 5. aduerſus hæreſes, & Theophylactus exponens locum Bea. Paul. ad Hæbr. 11. & hi omnes teſtimonio fidei probati, &c. & B. Berna. ſermone 3. & 4. in feſto omnium Sanctorum, qui omnes Sanctiſsimi Patres cum ſe iudicio ſacro ſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ ſubiecerint, non hæretici iudicantur. Tum etiam quia Eccleſia illo tempore nihil de hac re vnquam definierat. Cæterum peior fuit Græcorum error, qui ſicut negant beatitudinem dari iuſtis, ita etiam negant pœnam dari peccatoribus ante illum diem. Vide Patrem à Caſtro verbo beatitudo hæreſi 6.

Ric. art. 1. q. 3. *II. Diffic. Poſſuntne animæ ad hanc vitam redire?*

S. Th, q. 1. ar, 3. CONCLVSIO.

Animæ beatorum de lege, quando voluerint ad nos venire poſſunt. Beati enim habent quicquid volunt, & nihil mali volunt; vt B. Aug. docet. *D. Aug.*

CONCLVSIO.

Ceteræ animæ de lege, niſi ex peculiari Dei diſpenſatione

D. Aug. à ſuis receptaculis non exeunt. D. Aug. eſt in lib. de cura pro mortuis agẽda. Nã ſi animæ, inquit, defunctorum intereſſent &c. pia mater nulla nocte me ipſum deſereret, vt mecũ viueret, vnde colligit; de lege animas in purgatorio exiſtentes, ad nos minime redire; niſi ex ſpeciali Dei prouidentia. Et conſtat de

1. Reg. c. 28. Samuele, qui poſt mortem Sauli apparuit.

D. D. d. 45. San. Tho. q. 2. art. 2. Ric. art. 2. q. 1.

Art. II. Proſuntne defunctis viuorum ſuffragia?

CONCLVSIO.

Proſunt

Prosunt quidem, non ad augmentũ gratiæ, & gloriæ, sed ad pœnæ remissionem. Qua nemo præter Christum de condigno gratiam, & gloriam alteri mereri potest; vt ex superioribus constat, bene tamen pro altero satisfacere. Vnde dictum est sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis, id est, à pœna pro peccatis iam dimissis luenda soluantur. 2. Mach. c. 12.

II. Diffic. An viuorum suffragia non solum animabus purgatorij, verumetiam beatis, & damnatis, & in limbo existentibus prosint?

S. Tho. q. 2. art. 5. & 7. Ric. d. 46. art. 2. q. 4. Dur. d. 45. q. 2. Soto hac dist. q 2. art. 2.

Olim fuerint quinque opiniones affirmãtes suffragia damnatis quodammodo prodesse, quas Soto confutat.

CONCLVSIO.

Hæreticum est affirmare; viuorum suffragia de lege damnatis ad remissionem pœnæ aliquo modo, prodesse. Nam cum eorum pœna sit æterna, neque quoad extensionem, siue intensionem redimi poterit; aliter enim nõ esset pœna æterna.

CONCLVSIO.

Qui magna fide à Deo peteret, vt præter legem aliquem ab inferno liberaret, non peccaret mortaliter, vt enim non peccat, qui à Deo miraculum petit, vt salutem per naturam incurabilem assequatur; ita non peccaret, qui à Deo peteret, vt damnatum aliquem suscitaret, & ita conuerteretur; aut ibi pœniteret, & conuerteretur. Soto oppositum tenet.

CONCLVSIO.

Pro paruulis in limbo existentibus, non licet de lege orare. Sunt enim damnati, & extra charitatem.

CONCLVSIO.

Iniuriam facit beatis, qui pro illis preces effundit. Definita est in cap. maiores extra de Baptismo. vbi dicit Innocentius iniuriam facere martyri, qui pro illo orat.

III. Diffic. Quotnam sunt suffragiorum genera?

CONCLVSIO.

Quatuor sunt suffragiorum genera. Definita est in Cano. Animæ 17. q. 2. vbi dicit B. Grego. animæ defunctorũ quatuor modis soluuntur, vel oblationibus Sacerdotum, id est, per missæ sacrificium, vel orationibus sanctorum, vel amicorum eleemosynis, vel ieiunijs cognatorum. Sunt enim satisfactoria opera. *D. Grego.*

Hinc, cum receptio sacramenti sit meritoria, & satisfactoria virtute passionis Christi; poterit communicans ex opero operantis fructum animabus applicare. APPEN.

Ric.d.45. art. 5.q.4.

IIII. *Diffic. Defunctus, qui restitutionem hæredibus faciendam reliquit, si hæredes non restituant detinebitur ob hanc causam in purgatorio?*

CONCLVSIO.

Nequaquam detinebitur. Non enim est culpa sua, sed hæredum; & nemo in purgatorio pro culpa aliena detinetur.

CONCLVSIO.

Si defunctus restituere non potuit, & de peccato pœnituit, propter restitutionem in purgatorio nō detinebitur. Quia ad impossibile obligatur nemo.

V. Diffic. An Missa olim dicta, & nemini applicata, defunctis applicari possit. v.g. calebrauit Rector decies missam, & valorem illius nemini applicuit, poteritne postea illum alijs applicare?

CONCLVSIO.

Sacerdos missam præteritam futuris intētionibus haud applicare potest. Quod enim non est, non potest esse alterius causa, aut signum, cum causa, & effectus debeant esse simul, & missa, siue sacrificium præteritum iam non est. Sacerdos enim finito sacrificio iam non est, minister; atque ita non poterit eius sacrificij valorem alijs applicare.

Dubium. Potestne aliquis Sacerdos missam, quam tenetur Rector, aut Prior, siue Guardianus offerre &c. illo inconsulto cælebrare?

CONCLVSIO.

Poterit quidem. Quia iam applicat illas missas pro certa intentione, quam Rector, siue Prior, aut Guardianus &c. in suo libro habet; melius tamen est prius illos consulere.

Ric.d.45. art. 2.q.2. S.Tho. q 2. artic.1. & sequentibus.

Art. III. Suffragia pro vno defuncto oblata, possuntne omnibus prodesse?

CONCLVSIO.

Prosunt omnibus quoad diminutionem pœnæ, non quantum ad extensionem, sed quantum ad intentionem. Ratio est; quia cum sit finitæ satisfactionis, si pro vno offeratur, tota satisfactio non proderit alteri quantum ad extensionem, bene tamen quoad intentionem. Quia cum sint in charitate, gaudent quando pœna alicuius animæ per suffragia minuitur. quo gaudio tormentorum quantitas quoad intentionem extenuatur.

I. Diffic. An suffragia generalia prosint cuilibet animæ, ac si pro vna sola offerrentur?

Vide

Vide supra de valo e Missæ in prima parte.

II. Difficultas. An suffragia existentium in mortali defunctis prosint? Ric.ar.2 q.4. S.Tho.q.2.ar. 3.

Vide supra in q de ministro Eucharistiæ in prima parte.

CONCLVSIO.

Si nomine proprio offerat, nihil proderunt. Quia cùm sit opus mortuum, & non prosit facienti; multo minus alijs proderit. Si autem nomine Ecclesiæ vbi supra explicatum est.

CONCLVSIO.

Si offert eleemosynas nomine alicuius personæ, in gratia existentis, & mandantis illas dari, proderunt. Quia malitia ministri non potest nocere; & intentio præcipientis tempore, quo præcepit, fuit Deo accepta. Vnde etiam si tempore exequutionis mandans sit in peccato, proderunt.

I. Dubium. Quando testamentarij sunt negligentes in executione eleemosinarum, & missarum, quæ in testamento legantur prosuntne defunctis ante executionem?

CONCLVSIO.

Eleemosynæ non prosunt ante exhibitionem, neq; preces, quæ à pauperibus eleemosynas recipientibus offeruntur. Quia solum habent fructum ex opere operantis.

CONCLVSIO.

Neq; etiam missarum fructũ recipiunt. Quia talis fructus ex opere operato, & ratione deuotionis sacerdotis celebrãtis confertur; fructum autem deuotionis, siue intentionis defuncti hæc mandantis statim anima recipit. Non enim fructus hic testamentariorum negligentia impeditur. Hæc animaduertant confessores contra negligentes in exequutione testamentorum.

Art. IIII. Sintne Sancti à nobis orandi? DD.d.45. Ric. artic.1.q.2 S. Tho.q 1 ar.2. Du.q.4 Cast. verbo sancti.

CONCLVSIO.

Sancti sunt à nobis orandi. Hæc con. est de fide, & oppositum est hæreticum. Definita est in multis Concilijs Gangrensi, Aureliano, & alijs, & multis sacræ scripturæ authoritatibus constat. Quas pater à Castro egregie explicat.

CONCLVSIO.

Quando sanctis voluntas beneplaciti Dei, & eorũ, quæ erga nos Deus vult euenire reuelatur, vt quod nobis gratia, & gloria, & bona temporalia in ordine ad gratiam detur, sancti pro nobis orant, & exaudiuntur. Nam cum voluntas beneplaciti Dei sit infallibilis, erit quoque infallibilis sanctorum oratio, qua media instituit Deus suam diuinã voluntatem adimplere.

CONCLVSIO.

Quando sancti orant pro nobis sub conditione, non semper exaudiuntur. Propterea quod, non semper, quæ Deus voluntate beneplaciti vult, orant. Hoc modo orauit Christus Iesus in horto dicens, pater mi, si fieri potest, transeat à me &c. & non impetrauit. Non exaudiuntur sancti. Quia diuina voluntas non erat eis reuelata.

Math. cap. 26.

ERROR.

Hinc destruitur error cuiusdam Eustachij dicentis; non esse sanctos à nobis honorandos, & orãdos. Qui fuit in Cõcilio Gangrensi damnatus, cui varij hæretici adhæserũt, quos apud Patremà Castro expressos reperies. Nam si ab æterno Patre sancti honorantur, vt constat Ioan. 12. si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis est. Nos in terris honorare dedignabimur, presertim cùm honor exhibitus sanctis, Deo qui glorificatur in honore sanctorum, exhibeatur.

Ioan. cap. 12.

Psal. 88.

Ric. art. 7. q. 1.

I. Dubium. Animæ in purgatorio existentes agnoscunt, quæ apud nos in hac vita geruntur?

R. intelligunt orationes, quæ pro ipsis offeruntur per effectus. Quia sibi tormenta minui sentiunt, cognoscunt euentus suorum per reuelationem animarum, quæ à nobis ad purgatorium migrant, & per diuinam, atq; angelicam reuelationẽ. Hæc D. Aug. de cura mortuorum; vt Ric. refert.

D. Aug.

Scot. q. 1.

II. Dubium. Possuntne animæ separatæ intelligere rerum quidditates, vel, vt dicit Scotus, species intelligibiles acquirere?

Lege hoc loco Scotum, & quæ in floribus 2. lib. de cognitione Angelorum traduntur.

FLORES QVÆSTIONIS de Vniuersali Iudicio.

Cast. verb. iudicium. Ric. d. 47. art. 1. q. 7. S. Tho. q. 1. art. 2. q. 1. & à sequentibus ibi.

De hac q. disserit Magister sententiarum 46. 47. 48. dist.

Art. I. Suntne alij sancti cum Christo in die iudicij iudices futuri, tanquam assessores?

CONCLVSIO.

Apostoli simul cum christo Iesu vniuersas gentes iudicabunt. De fide est, & habetur apud Matth. in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

CONCLVSIO.

Math. cap. 19.

Cum Apostolis viri Apostolici, vtpote, religiosi, qui vitam aposto-

apostolicam, rerum omnium renuntiatione facta seruauerunt; nõ autem reliqui sancti nationes omnes iudicabunt. Hęc colligitur expresse Matth. 19. ex percontatione D. Petri, & Christi Iesu responsione. Dixit enim B. Petrus Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis, cui Christus Iesus respondit, vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis &c. & viri religiosi relictis omnibus ad imitationem Apostolorũ sequuti sunt Christum. *Matth. 19. S. Tho. in addi. & aliorũ est.*

Hinc, quamuis multi martyres futuri sint religiosis sanctiores: Christo tamen iudicanti non assidebunt. APPEN.

CONCLVSIO.

Iudicium Apostolis, & eorum imitatoribus permissum erit ministeriale. Quia vocetenus, vel reuelatione electis, & damnatis sententiam supremi, scilicet, iudicis manifestabunt. Quæ quidem apud D. Matth. posita est vbi dicitur esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Alioqui enim nulla esset Apostolis concessa prærogatiua, cum cæteri modi iudicandi, scilicet, per comparationem, & per assensum, futuri sint omnibus communes.

Art. II. An Christus Iesus in forma gloriosa; & immortali sit homines iudicaturus? *Ric. d. 48. ar. 1. q. 2. S. Tho. eadam d. ar. 2. et Scot. et Dur. q. 1.*

CONCLVSIO.

Christus Dominus venturus est in forma humana ad iudicandum. Quia dominorum proprium est seruos iudicare dicente B. Paul. tu quis es qui iudicas alienum seruum? & alibi, qui iudicat me Dominus est. Et Christus Iesus in quantum homo post passionem suam, cœli, & terræ dominium consequutus est. Vt idem B. Paul. docuit, dicens; Christus in hoc mortuus est, & resurrexit vt viuorum & mortuorum dominaretur. *Ad Rom. 14. 1. ad Cor. 4. Ad Rom. 14.*

CONCLVSIO.

Apparebitque cum corpore glorioso, vt in monte Thabor apparuit. Nam, vt in primo aduentu, non vt iudicaret mundum, sed, vt saluaretur mundus per ipsum, in forma humana patibili, & mortali, apparuit; ita in secundo aduentu iudicaturus viuos, & mortuos non in forma humana mortali, sed immortali, & gloriosa adueniet. *Matth. cap. 17. Ioan. cap. 3.*

CONCLVSIO.

Venietque simul cum potestate magna, & maiestate, & in Dei virtute. Dicitur. n. apud D. Matth. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, &c. Et iterum amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, &c. ibi per virtutem *Matth. cap. 25. & 26.*

Dei intelligitur ostensurum se Deum esse omnibus creaturis imperando.

CONCLVSIO.

Luca cap. 21. cap.13. Venturus quoque est in nubibus cœli. Apud D. Lucam, & apud B. Matth. expresse habetur, non, vt illis substententur, sed, vt splendorem, sui splēdidissimi corporis temperet, vt à malis videri possit. Quemadmodum nubes calorem, & splendorem Solis nobis temperant.

I. *Diffic. Videbuntne damnati Christi Iesu diuinitatem?*

CONCLVSIO.

D. Augu. 1. de Trini. cap. 13. Nequaquam videre poterunt. Hæc est D. Augu. dicentis, damnati illam Dei formam in qua Christus æqualis est patri, proculdubio non videbunt. Haberent namque gaudium beatificum, saltem ad tempus, quod fieri non potest. Quia est præmium.

II. *Diffic. An iudicium sit vocaliter, an mentaliter tantum futurum?*

dist. 47. Magister sententiarum vtranq; partem defendit. Ric. ibidem ex parte vocaliter, & ex parte mentaliter futurum esse asserit. Ricardo subscripsit Abulen. Matth. 25. q. 233.

CONCLVSIO.

Ad Rom. ca. 2. Accusatio, & defensio tam electorum, quam reproborum, mentaliter tantum peragentur. Patet ex B. Pau. gentes, quæ legem non habent, naturaliter, ea quæ legis sunt faciunt. &c. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorũ, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die cum iudicabit Dominus occulta hominum secundum Euangelium meum, per Iesum Christum. Vbi apertissime insinuat, cogitatione accusationem, & defensionem esse faciendam. Nã si voce hęc fierent immensum tempus fere esset necessarium.

CONCLVSIO.

Matth. cap. Mortuorum citatio ad iudicium, & iudicis sententia, quæ apud D. Matth. ponitur, non mentaliter tantum, verum, & vocaliter fient. Ratio est; quia quando scriptura sacra sine metaphoris potest declarari, non est metaphorice intelligenda,

Matth. 24. & de citatione Matth. 24. dicitur, mortuos esse ab Angelis voce tubæ citandos. Et cap 25. legitur iudicem malis dicturũ.

Ibidem. ca. 21. Ite maledicti &c. Et electis, venite, benedicti, &c. quæ omnia vocaliter fieri possunt. Nam ad hæc peragenda breuissimum tempus erit satis.

III. *Diffic. Separatio electorum à reprobis, estne localiter, an metaphorica intelligenda?*

Soto dicit intelligendam esse localiter. Origines vero super Matth. cap. 25. vt refert Abulensis ibidem, opinatus est per dexteram electorum intelligendam esse notitiam, quam electi suæ salutis habebunt, & per sinistram notitiam reproborum, qua se iuste damnatos esse intelligent. *d.47.q.2. art. 5. Ricar. eadẽ d. art.1.q.2. S. Tho.q.1.art.2. & Dur.q.1.*

CONCLVSIO.

Non localiter, sed methaphorice separatio illa intelligenda est. Constat ex B. Paul. vbi de electis ait. Nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Quibus verbis clarissime indicauit electos in aere, reprobos vero in terra futuros esse. Quamobrem differentia à dextris, & à sinistris non est localiter intelligenda. Cum electi sursum, & reprobi deorsum in terra futuri sint. *1. ad Thessal. cap.4.*

IIII. *Diffic. Finieturne iudicium per iudicis sententiam. Ite maledicti &c.*

CONCLVSIO.

Finietur quidem per illa verba. Ratio est; quia ibi exprimitur iustorum pœnitentia, & reproborum impœnitentia per omissionem pœnitentiæ exterioris, vtpote, eleemosynæ, quæ est causa remissionis peccatorum, Christo Iesu dicente date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. *Lucæ cap.11.*

V. Diffic. Mundus eritne per ignem purgandus? *Ric.d.47.art. 2.q.1.S.Thom. q.2.ar.2.Dur. q.3.*

Tempore iudicij elementa per ignem purgabuntur. Hæc colligitur ex sacra scriptura. Dicit enim B. Petrus aduẽiet dies Domini, sicut fur, in quo elementa calore soluentur. Nam cum elementa sint permista, erũt ad puritatem per ignem reuocanda. Purgatio siquidem per ignem fieri solet.

CONCLVSIO.

Ignis, cum sit elementum simpliciter purum, purgatione non indigebit; hic autem ignis inferior, quia mistus est, destruetur. Dicit namque D. Aug. 20. de ciuitate Dei cap. 18. solus ignis ascendet tunc super cacumina mõtium, quousque aquæ diluuij ascenderunt. *D. Aug 20. de Ciui. Dei c.18.*

CONCLVSIO.

Ignis, quo mundus purgabitur, eiusdem erit speciei cum igne elementari. Ratio est; quia diuersitas causæ efficientis non mutat specificam rei naturam. Nam homo ex propagatione, genitus est eiusdem speciei cum Adam, qui fuit creatus. *Aug.20. de ciuit. Dei cap.2. Scot.q.2.*

CONCLVSIO.

Erit autem talis ignis supernaturaliter genitus. Quemadmodum enim, fecit Deus in die diluuij, vt omnes generationes aquarum præter naturalem ordinem ad producundas

aquas conuenirent; ita fiet de igne illo. Nam producetur ab igne elementari, & à radijs Solis, habebitque mirabilem, & supernaturalem virtutem; propterea quod non solum ascendet, quod est ignis proprium; verum, & descendet, & circumquaque feretur.

CONCLVSIO.

Psal. 96. Ignis ille præcedet iudicium, & subsequetur. Nam dicitur in Psal. 96. ignis ante ipsum præcedet, &c.

CONCLVSIO.

Purgabitque electos, quibus aliquid purgandum restabat, reprobosque torquebit, & cum omnibus mundi sordibus illos in infernum detrudet. Hæc aperte videtur colligi, ex B. Paul. ita dicente, in reuelatione Domini &c. in flamma ignis dantis vindictam his, qui non nouerunt Deum, &c. *2. ad Thessal. cap. 1.*

Ric. d. 48. art. 2. q. 1. & vlti. S. Tho. q. 2. art. 1. & sequentibus. Dur. q. 3. Apoca. 21. ca. 2. Petri cap. 3.

Art. Vltimus. An mundus sit innouandus.

CONCLVSIO.

Post diem iudicij omnia corpora cœlestia, & elementa innouabuntur. Constat Apoc. 21. video cœlum nouum, & terram nouam. Et 2. Petri. 3. nouos cœlos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus. Quæ quidem renouatio non erit alicuius substantiæ creatio, sed alterius nouæ qualitatis productio supernaturalis, & non violenta.

CONCLVSIO.

Apoca. 10. Post diem iudicij cessabit cœlorum motus. Nam Apo. 10. habetur. Iurauit Angelus per viuentem in sæcula &c. quod postquam Angelus septimus cecinerit; vt mortui resurgant, tempus non erit vltra; quare neque cœlorum motus. Nam tempus motus primi mobilis est. Tum etiam, quia cessabit rerum generatio, ob quam cœli mouentur.

CONCLVSIO.

Remanebit Sol in Oriente, & Luna in Occidente. Quia in his locis fuerunt condita. Suntque præcipuæ cœlorum partes. Vel, vt Ricar. docet, in illo loco, in quo magis elementis expediet.

CONCLVSIO.

Isaiæ 30. Tunc corporum cœlestium lux augebitur. Nam Isaiæ 30. legitur. Erit tunc lux Lunæ, sicut lux Solis, &c. Vt sancti magis Deum collaudent.

CONCLVSIO.

Habebunt quoque elementa maiorem splendorem, quam nunc habent. Ratio est; nam, vt cœli erunt splendidiores, ita & elementa, quæ illis subijciuntur. Verum vnumquodque iuxta proportionem suæ naturæ. Nam, ignis, vt Luna fulgebit, aer, vt ignis, aqua vero erit crystallina, terra autem,

vt vitrum,

vt vitrum. Vt ex Isaia. cap. 65. Et Apoca. cap. 21. Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam &c. *Isaia.cap.65* *Apoca.cap.21.*

CONCLVSIO,

Omnia tunc præter elementa destruentur, vt aues, pisces, &c. Ratio est, quia homines illis non indigebunt. Et solum ad humanos vsus creata fuere. Elementa vero permanebunt, vt dictum est; propterea quod, sint de quidditate orbis.

Duæ fuerunt hæreses circa hâc quęstionem. Quidam enim dicebant nullum futurum esse iudicium. Alij autem dicebant iudicium vniuersale iam esse factum. Quas confutat Pater à Castro verbo iudicium contra hæreses. ERROR.

FLORES QVÆSTIONIS de Beatitudine.

Hac quæstione distinctio 49. Magistri explicatur. *D.Tho.1.2. q. 2.et sequen.et DD.d.49. S.Tho.q.3.Ricar.art.1.q.1. et 6.Shot.q.1. Duran.q.4.*

Art.1. An Beatitudo consistat in clara Dei visione?

VAriæ sunt opiniones, quas Aristoteles, & B. Tho. eruditissime tradiderunt.

Prima opinio dicit beatitudinem cõsistere in affluentia, & possessione diuitiarum, quam tenent filij huius sæculi. Beatum (inquit Dauid) dixerunt populum, cui hæc sunt. *Psal.143.*

Secunda opinio constituebat beatitudinem in honore, & reuerentia, quæ ab alijs exhibetur, quam amplectebãtur Pharisæi, qui amabant primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro. *Matth.cap.25*

Opinio tertia collocabat illam in fãma, & gloria humana.

Quarta opinio ponebat beatitudinem in potestate imperãdi alijs. Hæ omnes opiniones sunt falsæ; quia beatitudo est bonum per se sufficiens; vt author est Aristo. 1. Ethic. quale bonum habet, cui nihil deest. Et cum habentibus diuitias, honorem, famam, & imperium, multa deficiant, immerito beati appellantur. *Arist.1.Ethic.*

Quinta opinio asserit; beatitudinem positam esse in bonis corporis; vt in fortitudine, pulchritudine, & salute, &c. Quod est falsissimũ; quia homo fortitudine à Leone superatur, diuturnitate vitæ ab Elephãte, velocitate à Ceruo. vera autem beatitudine homo cætera animalia ineffabili intervallo excellit.

Sexta opinio asserit; beatitudinem positam esse in affluentia delitiarum. Hic est Saracenorum error; ex quo sequitur pecudes esse beatas, quod est ridiculum. Anima enim rationalis est capax boni infiniti, & delitiæ corporeæ sunt passiones limitatæ, ac diminutæ. Quapropter in illis non potest beatitudo consistere.

Opinio Catholica sequentibus conclusionibus explicatur.

CONCLVSIO.

Beatitudo obiectiua in aliquo bono creato, non consistit. Dicit enim Christus, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterũ. Vbi de bonis creatis, quæ non explẽt animam, cum sint finita loquebatur. Nam beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et qui non habet Deum, nõ habet omne bonum.

CONCLVSIO.

Ioan. cap. 17. Beatitudo obiectiua in solo bono increato sita est. Cõstat apud Ioan. cap. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum &c. Et alibi, qui replet in bonis desiderium tuum.

Psal. 102. Quia habenti Deum per claram visionem nihil desiderandum restat.

CONCLVSIO.

Beatitudo formalis, quæ est visio, & fruitio Dei, in aliquo bono creato posita est; quia consistit in visione animæ videntis Deum, & in eius fruitione, quæ est accidens finitum, & creatum.

1. Dubium. Poteritne anima videre Deum visione increata, qua Deus seipsum videt?

In 2. d. 7. q. ar. 1. Opinio quædam est affirmans, quam citant Gregorius, & Capreolus.

CONCLVSIO.

In 3. d. 14. q. 1. Impossibile est visionem, qua beatus videt Deum esse visionem Diuinam increatam. Nam tunc quicunque beatus comprehenderet Deum; sicut per eandem visionem comprehendit Deus seipsum. Quid? quod visio beatifica est causa formalis animæ, cuius causæ defectum Deus supplere haud potest.

1. Diffic. An formalis beatitudo sit intellectus operatio?

Sco. q. 1. & 4. Ric art. 1 q. 5. S. Tho. q. 3 art. 2. & 3. vbi supra. Tres sunt opiniones. Prima Henrici dicentis; esse illapsum Dei ad animam, quam vocat circumincessionem, id est, intimam Dei præsentialitatem ad animæ beati essentiam. Hanc confutat Scotus, ita, vt dicat Soto bene arguere.

Secunda opinio est Aureoli hac distinctione asserentis; beatitudinem in gaudio, & delectatione, quæ ex Diuina visione emanant consistere. Contra hanc agit S. Tho. in 1. difficultate sextam opinionem refutans.

Quæst. 4. Tertia opinio est Durandi, qui ait; beatitudinem non solam esse operationem, verumetiam statum omnium bonorum &c.

CONCLVSIO.

Bea-

Beatitudo propriè est operatio potentiarum scilicet, clara Dei visio, & eius fruitio. Ratio est, quia beatitudo est vltima hominis perfectio, qua maior excogitari non potest, & operatio circa Deum est vltima potentiæ perfectio. Dicitur enim 1. Ioannis 3 cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Definita quoque est in Clementina. Ad nostrum de hæreticis. *1. Ioan. 3.*

CONCLVSIO.

Operatio potẽtiæ sensitiuæ non est beatitudo essentialiter. quia Deus non potest cognosci potentia sensitiua, cùm sit spiritus, & sensus sola materialia cognoscat.

CONCLVSIO.

Bene tamen operatio potentiæ sensitiuæ, vt visio corporalis antecedenter, & consequenter ad beatitudinem pertinet. Ratio est, quia ad beatitudinẽ exigitur fides, quæ vt docet D. Paulus. est ex auditu Desideratur etiam Dei cognitio, quæ ex cognitione sensitiua creaturarum comparatur. Nam inuisibilia Dei à creatura mundi &c. Atq; etiam consequenter; nã post resurrectionem gloria animæ redundabit in corpus, & sensus corporei perficientur. *Rom. 10 cap.* *Rom. 1. & c.*

II. Diffic. Respectu huius operationis, quæ est formaliter beatitudo, habent se potentiæ paßiuè tantum, an etiam actiuè?

Duæ sunt opiniones: Prima Guilel. Ocham. quem sequitur Marsil. qui tenent, intellectum creatum nullã habere actiuitatem respectu beatitudinis. *in 1. d. 1. q. 2.* *in 3. q. 10. art. 3. hac dist.*

Contraria opinio est S Thomæ, & Scot. qui defendunt habere se actiuè.

CONCLVSIO. *Ric. arti. 5. q. 1. & 4.*

Intellectus creatus, lumine gloriæ informatus, respectu beatificæ visionis actiuè se habet: cùm visio ab intellectu tãquam à potentia, & ab essentia diuina tanquam ab obiecto producatur. Nam lumen gloriæ ponitur, vt intellectus obiecto proportionetur, & vires ad producendã beatificam visionem habeat; non autem ad recipiendam; quia intellectus passiuè ex puris naturalibus est infinitæ capacitatis. *Sco. in 3. d. 14.*

3. Diffic. An beatitudo sit potius intellectus, quàm voluntatis operatio?

Tres sunt opiniones: Prima D Bona. dicentis beatitudinẽ non esse actum vnius dumtaxat potentiæ, sed vtriusq; intellectus, nimirum, & voluntatis. *Hac d.*

Secunda opinio S Tho. asserentis; beatitudinem supponere pro intellectus operatione. *q. 3. art. 4.*

Sco.q.4.art.1. q.6.& 7.Ric. Tertia opinio est Sco. & Ric. affirmantium perfectam beatitudinem esse voluntatis operationem, scilicet, amorem erga Deum clare visum.

CONCLVSIO.

Beatitudo formalis supponit pro operatione voluntatis, id est, pro amore erga Deum clarè visum, connotando claram Dei visionem. Hæc conclusio Scoti, est varijs rationibus demonstranda. Et primum, actus amicitiæ est actus voluntatis, amor autem amicitiæ est actu visionis perfectior, tam in via, 1.Cor. cap.13. quia charitas fide, & spe minor est: quàm in patria, quia actus charitatis est Deo gratior, & acceptior. Est enim actus amicitiæ, quo Deus propter seipsum diligitur; atq. etiam si daremus per Dei omnipotentiam Petrum videre Deum, & non diligere illum, visio Petri tunc non esset à Deo accepta, Prouer. 8. neq; à Deo diligeretur; dicente scriptura, ego diligentes me, diligo. Et tandem censetur actus dilectionis perfectior actu visionis; quia visio ad dilectionem tanquam ad finem ordinatur; & finis ijs, quæ ad ipsum referuntur, perfectior est. D. Ansel. lib. cur Deus homo cap. 1. Nam vt dicit D. Anselmus lib. cur Deus homo cap. 1. Peruersus ordo est, velle amare propter intelligere, imo intelligendū est; vt amemus. Quare cùm actus charitatis sit perfectior actu intellectus, vt constat; quia voluntas potentia libera est, & beatitudo cùm sit vltima hominis perfectio, in operatione perfectissima, scilicet, in amore erga Deum clarè visum connotando claram visionem consistet.

Secūdo, Beatitudo est perfectissima vnio creaturæ ad Deū, & perfectior est vnio per amorem, quàm per visionem, & apprehensionem; propterea quod per unionē charitatis creatura sit vnus spiritus cum creatore. Qui enim adhæret Deo 2.Cor.5. vnus spiritus fit cum eo: vt B. Pau. docet, & D. Aug. qui apud D. Aug. 2.2.q. 23. art. 3. S. Thom. ita ait, charitas est virtus, quæ cùm nostra affectio rectissima est, coniungit nos Deo &c. & Aristo. quoq; dicit, Arist. amicitiam esse unam animam in duobus corporibus, & charitas hominis ad Deū perfectissima amicitia est. Dicēte Chri- Ioan. cap.15. sto Iesu, iam non dicam vos seruos, sed amicos meos. Quæ quidem vnio non fit per solam appræhensionem. Nam si aliquis per potentiā Dei absoluta videret Deū, & non diligeret illum, non esset beatus. Et tandem quia vt author est Aristoteles cap. 8.2. Topic. illud est melius, cuius priuatio est dete- Arist. 2. topic. cap. 8. rior, vt visus auditu melior est, quia cæcitas est surditate deterior. Priuatio autem dilectionis Dei in beatis esset deterior priuatione visionis; quia primum esset malum culpæ, cùm ex præcepto beati semper actualiter diligere teneantur. Secundum verò, vtpote priuatio visionis, esset malum pœnæ.

Soto.

Soto & Caie. respondent. veram esse Aristo. maximam, quãdo fit comparatio inter actus morales, non autem inter actus in genere bonitatis entitatiuæ, & hic (inquiunt) de bonitate entitatiua est sermo. Imo de bonitate morali, quia beatitudo est bonum morale, cum non sit homini naturalis, & sit operatio, vt supra diximus, & bonitas moralis in operationibus cõsistat. Quapropter nunc sermo est non de bonitate entitatiua istorum actuum, sed de morali. Quid? quod actus voluntatis, cum versetur circa bonum, intellectus vero circa verum, erit perfectior actu intellectus, & sanctitas, beatitudoque in actu voluntatis consistet. Propterea cum, præmium in patria respondeat meritis in via. Tunc enim reddet vnicuique secundũ opera eius; & meritum præcipue consistat in voluntatis operatione, in eadem profecto positum erit, & præmium, nempe beatitudo. Respondent oppositam opinionem defendentes; præmium voluntatis esse videre Deum, & iuxta quantitatem meritorum dari visionem. Hæc responsio ita refellitur. Volũtas magis diligit suum actum, id est amicitiam erga Deum, quam visionem. Si enim beatis daretur optio, potius eligerẽt visionis carentiam, quam vnum veniale peccatum committere; quamobrem magis beati amorem, quam visionem faciũt & ex consequenti amor præmium, & vltimis finis erit, cum finis vltimus sit, id quod magis & amatur, & desideratur. Adhæc, obiectum beatificum est Deus sub ratione summi boni, quia sub hac ratione est vltimus finis, vltra quem nihil desiderare possumus; & summum bonum est voluntatis obiectũ, ergo voluntatis operatio erit proprius actus circa hoc beatificum obiectum. Eiusdem enim potentiæ sunt actus, & obiectum. Nam falcissimum esset affirmare coloratum esse visus obiectum, & operationem circa coloratum esse alterius sensus. Respondent aduersarij; esse quidem vltimum finem voluntatis, cæterum voluntatem non consequi per suum actum hoc summum bonum, cum non sit potentia apprehensiua, sed per actum intellectus, id est, per claram visionem. Sed in hanc responsionem ita insurgo: facta obiecti beatifici appræhensione intellectus circa illud, non tanquam circa vltimum finem proprium, sed tamquam in vltimum finem voluntatis operatur, voluntas autem circa illud tamquam circa proprium obiectum versatur, ergo erit beatitudo actus magis proprius voluntatis, & ab ipsa potius, quam ab intellectu elicitus; cum tunc circa proprium obiectum operetur. Percũtaberis, quomodo intellectus accipit Deũ. Respõdeo. sub ratione boni veri, formãdo hãc propositionẽ; hoc est bonũ verũ, & nõ apparẽs, amabile super omnia. Matth. cap. 16 & ad Rom. ca. 2.

Et

Et voluntas, dices, quomodo in Deum fertur? Respondeo. Desiderando illi omne bonum. Item ordo Seraphin, qui excellit dilectione, est præstantior ordine Cherubin, qui excellit scientia, ergo in patria dilectio cognitione est præstātior, & in illa beatitudo, quæ est vltima hominis perfectio cōsistet. Postremo beatitudo formalis est actus, in quo quiescit anima qui ad alium actum non ordinatur, & cum visio ad amorem ordinetur, in amore, & non in visione erit animæ quies, id est formalis beatitudo constituenda.

Iam respondeamus, oportet, argumentis quibus contraria opinio roboratur. Primo obiiciunt locum beati Ioan. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum. &c. Secundo authoritatem B. Augu. dicentis, visio est tota merces. Tertia adducunt Aristotelem dicentem, fœlicitatem consistere in contemplatione rerum separatarum. Quarto eundem Aristo. citant affirmantem; beatitudinem esse bonum sufficiens; sola autem clara visio est bonum sufficiens. Ostende nobis patrem, dixit B. Philippus, & sufficit nobis; quare colligitur hinc apertissime beatitudinem esse solam Dei cognitionem, quæ est intellectus operatio. His quatuor authoritatibus vna solutione, vel altera satisfacere possumus. Quæ est Patris à Castro verbo beatitudo hæresi 4. Estq. primum animaduertendum, vitam æternam in sacris literis aliquando vocari fidem, qua ad vitam æternam peruenitur. Vt Ioā. 3. qui credit in filiū Dei habet vitam æternam. Non dicit habebit, sed habet, quæ est fides, & ita intelligendus est locus Ioan. 17. de fide viatoris quæ à Christo Iesu vita æterna nominatur. Quia certissima, & necessaria via est perueniendi ad vitam æternam. Hæc declaratio est B. Cyrilli, quem pater à Castro ibidem citat, illū omnino lege. Vel respondeo cum D. Bona. & Ric. clarā Dei visionem in sacra scriptura, & à Sanctis vitam æternā, & beatitudinem nominari, non quod sit sola visio præcipua beatitudinis pars, sed quia per solam visionem animæ huius status à beatis distiguuntur. Non enim comprehensores à viatorib' iustis per dilectionem distinguūtur, cum Deus charitate eiusdem rationis vtrobique diligatur (dicente. D. Paul. charitas nunquam excidit) sed differunt; quia nos ambulamus, per fidem, illi autem per spem, id est, per claram Dei visionem. Ita respondet D. Bona. Ad 2. vbi visio tota merces, id est, totum præmium beatificum esse dicitur. Propterea quod; in patria à visione incipit status; quemadmodum hic status à fide inchoatur. Inde tamē non sequitur dilectionē non esse præcipuam beatitudinem; hac solutione cæteris authoritatibus facilimè satisfacies.

Ioan. c. 17.
B. Aug. Arist
Ioan. 14.
Ioan. c. 3.
Ioan. c. 17.
1. Cor. cap. 13.
1. Cor. cap. 5.

Præ

Præterea argumentantur. Beatitudo est habere Deum præsentem, qui non habetur præsens per actum voluntatis, sed intellectus quia voluntas duas tantum habet operationes, nempe desiderium rei absentis, & delectationé rei præsentis. Prima non est beatitudo; quia Deus, quamdiu desideratur, non habetur neque secunda; quia delectatio voluntatis non facit Deum præsentem, sed præsupponit eius præsentiam per visionem intellectus. Respondeo minorem esse falsam. Nam præter desiderium, & delectationem, habet voluntas amorem, & gaudiũ præsens. Nam Sanctus Tho. affirmat beatos in patria habere perfectum dilectionis actum, id est, amorem rei præsentis, quem perfectam, & formalem beatitudinem esse diximus. Insurges. Beatitudo est assequutio vltimi finis, quæ fit tantum per actum intellectus, qui est potentia appræhensiua, & assequutiua, & non per actum voluntatis, quæ non appræhendit, sed appetit tantum, ergo &c. Respondeo. Beatitudine obiectiua per solum intellectus actum assequimur Deum, id est, habemus Deum præsentem per notitiam intuitiuam; at vero de beatitudine formali, de qua est modo sermo, minor est pernegand. Nam etiamsi voluntas sit potentia tantũ appetitiua, & non appræhendat obiectum beatificum; nihilominus tamen beatitudinem formalem, quæ est amor amicitiæ acquirit. quia, vt voluntas habet habitus acquisitas morales; ita quoque acquirit per proprium actum beatitudinem formalem, quæ est permanens per modum habitus, id est, difficulter, vel nunquam à subiecto separabilis. Tum, disputant in solutionem; visio beatifica est beatitudo formalis, ergo intellectus non solum assequitur beatitudinem obiectiuam, verum & formalem. Antecedens est falsum. Nam impossibile est formam aliquam inhærere subiecto, & non denominari subiectum à forma inhærente; vt parietem albedine esse affectum, & non denominari album; & cum anima rationalis possit videre Deum, & non esse beata, si Deus cum voluntate ad eliciendum amorem non concurreret, non erit profecto visio beatitudo formalis, quæ est nostra opinio.

Præter hæc, ita in contrarium agunt. Reprobi pœna dãni, id est; priuatione beatitudinis puniuntur, consistit igitur beatitudo in operatione solius intellectus, sequela patet. Nã, vel torquentur, quia visione, vel eius amore priuantur; temerarium autem esset dicere, quia non possunt diligere, esset enim actus perfectionis quare torquentur, quia priuantur visione diuina; quæ est beatitudo. Consequentia est neganda. Et ad confirmationem respondetur, damnatos puniri pœna damni id est, torqueri priuatione illius status beatifici, non cogitantes

tes consistatne beatitudo in amore, aut in visione. Veruntamẽ sit ita vt aliquis damnatus Theologus habeat Scoti opinionẽ. Si ille torqueretur priuatione amoris Dei clare visi, sequeretur illum amare Deum; quia illa affectio actus amoris est. Respondeo. Amaret Deũ amore concupiscẽtiæ, vt ebrius amat vinum qui amor est viciosus, quando in eo vltimus finis collocatur. Tum, finis sensibilis non habetur per actum potentiæ appetentis, sed appræhendentis; vt non apprehendimus pecuniam per amorem voluntatis, neque fiunt homines diuites per solum diuitiarum amorem, sed per potentiam appræhensiuam, scilicet, per manum, qua appræhendit diuitias; ergo à simili in diuitijs spiritualibus. Deus enim non habetur per actum voluntatis, sed per actum potentiæ appræhensiuæ, nempe, per intellectus visionem. Respondeo. Verum quidẽ est intellectum appræhendere obiectum, scilicet, Deum, non tamen inde sequitur animam per dilectionem voluntatis nõ vniri vltimo fini, quæ quidem vnio per amorem est perfectior obiecti assequutione.

1. Ioan. 3. Rursus obiciunt. Beati per beatitudinem efficiuntur Deo similes, cum apparuerit similes ei erimus; efficimur autem Deo similes per solam visionem, quæ est obiecti similitudo, ergo sola clara Dei visio erit beatitudo. Respondeo. Efficimur quidem Deo similes per beatitudinem minus principalem, quæ in visione consistit; at vero per magis principalem Deo; vt supra diximus, vnimur. Iterum sic impugnare conãtur Sco. conclusionem. Operatio volũtatis præsupponit beatitudinem, ergo non est beatitudo. Nam præsupponit præsentiam obiecti. i. illius præcognitionem; quare præcognitio illa erit beatitudo, quæ nihil aliud est, quam habere Deũ præsentem. Et confirmatur. Beatitudo voluntatis est eius vltimus finis, in quo eius desiderium quiescit, & talis est clara Dei visio. Nihil enim amplius, quam Deum videre, desiderant. Neganda est consequentia. Et ad probationem respondetur, assequutionem obiecti non esse principalem beatitudinem; sed esse solum appræhensionem obiecti beatifici, cuius præcognitio est necessaria; vt voluntas in Deum per amorem, qui est formalis beatitudo, feratur. Sic sublato quidem amore per Dei potentiam, & sola visione manente non esset beatus; vt supra diximus. Tum etiam, si vltimus finis voluntatis sumatur, non pro re, quæ est finis, qualis est Deus, sed pro operatione circa ipsum finem, visio intellectus non erit voluntatis erga Deum clare visum. Nam, vt in via finis præcepti est charitas; ita & in patria finis visionis est charitas.

Vltimo cum D. Bona. argumentor. Et probo beatitudinẽ in opera-

operatione vtriusque potentiæ existere per extrauagan. Benedictus Deus, quam refert Pater à Castro verbo beatitudo, hæresi 6. vbi definitur beatitudinem esse Dei visionem, & eius fruitionem, & non vnam tantum operationem. Totum concedo; hic tamen non disputamus, nisi quæ istarum operationum sit principalior, & in qua potius beatitudo consistat.

II. Dubium. Clara Dei visio estne intellectus practici, vel speculatiui operatio?

Ricardus hac distinctione respondet intellectum beati magis esse practicum, siue effectiuum, quam speculatiuum. Et ratio illius est; quia contemplatur Deum non solum propter scientiam, sed vt ipsum diligat quæ dilectio est operatio circa Deum. Ricardum sequitur Scotus. S.Tho. dicit simpliciter esse speculatiuum: quia principalior intellectus beati operatio, est speculatio, sed contra hanc rationem est proxima difficultas. *art.1.q.8.* *In prologo sententiarum.* 1.2.*q*.3 *ar*.3. *& Caiet. ibid.*

IIII. *Diffic. Estne fruitio voluntatis amor?*

Duæ sunt opiniones. D.Bona. Ric. & Sco. affirmant fruitionem esse actum elicitum à voluntate, scilicet, amorem amicitiæ. S.Tho. & alij asserunt esse potius delectationem, vel actum intellectus. Soto dicit vsque ad Sco. neminem dixisse amorem esse fruitionem: cum tamen id affirmauerint, Ric. & D.Bon. & Sco. fuerit dubius. Nam dicit fruitionem esse amorem, vel delectationem. *Scot. d.1. lib.1.* 1.2.*q*.11.*act*.1.

CONCLVSIO.

Fruitio in rigore sermonis sumpta non est actus à voluntate elicitus, sed à potentia apprehensiua, & ab appetitiua imperatus. Quia fruitio à fruor, idem est, quod fructus assequutio. Quæ quidem assequutio fit per apprehensiuam. Nam appetitiua solum concupiscit fructum.

Hinc, hæc propositio in rigore sermonis, scilicet, visio est fruitio est vera: vt Sanctus Tho. docet. Est enim assequutio fructus, id est, vltimi finis beatifici, estque voluntatis fructus, & assequitur illum per intellectus operationem. APPEN.

CONCLVSIO.

Si fruitio pro fructu accipiatur, actus à voluntate elicitus, id est, amicitiæ amor est. Quia fructus est vltimum quod ex re concupita expectatur. Qualis est actus amoris in patria. Nam post visionem obiecti beatifici sequitur amor, in quo quiescit voluntas. Dicit B. Aug. frui esse amore inhærere alicui rei propter seipsam. *B. August. de doctrina christiana.*

CONCLVSIO.

Fruitio aliquando non pro voluntatis, aut intellectus actu, sed

D. August. libro.1. de t. in. cap. 10. In Epistola ad Philemonẽ — sed pro delectatione, quæ ex assequutione rei concupitæ insurgit, accipitur. Constat ex D. Augu. dicente, hoc est plenũ gaudium nostrum, quo amplius non est maius, frui Trinitate. Vbi fruitionem gaudium appellat. Et ita intelligitur locus beati Pauli. Ego te fruar in Domino, i. gaudebo amore tuo secundum Deum. Non enim fruar, amabo ibi significat. Quia iam illum in Domino amabat.

APPEN. Hinc, sequitur veram esse Scoti opinionem, qui dicebat fruitionem sumi aliquando pro amore; quandoque vero pro delectatione, quæ ex amore emanat.

V. Diffic. An fruitio etiam brutis conueniat?

CONCLVSIO.

S. Thom. 1.2.q. 11. artic. 2. & Scot. q. 8. dist. 49. & in 1 d. 1 q. vltima. — Fruitio in rebus inanimatis non reperitur. Ratio est quia fruitio præsupponit finis assequutionem per proprium imperium & res inanimatæ suum finem per proprium imperium non assequuntur.

CONCLVSIO.

Est autem perfecte in creatura rationali fruitio. Propterea quod, fruitio perfecta præsupponit perfectam finis cognitionem, quam sola creatura rationalis consequitur. Quia cognoscit non solum finem vltimum, scilicet, Deum, tamquam bonum verum etiam boni definitionem.

CONCLVSIO.

Imperfecte vero in brutis locũ habere dicitur fruitio. Quia imperfecte finis cognoscitur. Bruta enim finem apprehendũt quidditatem autem finis cognoscere non possunt. Quæ duo ad perfectam cognitionem desiderantur.

S. Thom. art. 3 vbi supra, & Scot. in 1. d. q. 1. — *VI. Diffic. An fruitio sit tantum in vltimi finis assequutione?*

CONCLVSIO.

D. Aug. — Fruitio simpliciter sumpta de vltimo fine vero, apparente, aut præfixo esse potest. Constat ex Augu. dicente, fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit. quæ quidem simpliciter numquam, nisi in vltimo fine quiescit. Quamdiu enim aliquid expectat, non quiescit atque ita, vt simpliciter re fruatur in vltimo fine quiescere debet.

APPEN. Hinc, si finis vltimus fuerit, verus, scilicet, Deus Opt. Max. fruitio erit actus latriæ. V.g. amor, seu Dei dilectio.

Quando vero finis vltimus fuerit apparens, vel præfixus eius fruitio erit idolatriæ actus. Omnis enim fornicator aut immundus aut auarus, quod est idolorum seruitus, inquit B. Paul. Cuius rei ratio est quia huiusmodi peccatores in his peccatis vltimũ finem constituunt, & illa, tanquã Deũ, diligunt.

Ad Ephe. 5. cap.

CON-

CONCLVSIO.

Fruitio secundum quid est amor amicitiæ, quo plerumq; non solum Deum, verum & creaturas propter Deum diligimus. Hoc enim modo B. Paulus Philemonem diligebat, & sancti virtutes amabant. Et hoc modo sunt multæ authoritates, quæ oppositum sonare videntur, de fruitione secundum quid declarandæ. *in Epistola ad Philemonem.*

VII. Diffic. An peccãs mortaliter aliqua creatura fruatur?

Sensus. An peccator adeò diligat peccatũ, vt si daretur electio, potius eligeret Deum annihilari quàm à peccato cauere.

Duæ sunt opiniones: Prima Scot. & aliorum, scilicet, omnem peccatorem diligere creaturam plusquam Deum. Secunda est Adriani, qui illud negat. *in 1. d. 1. q. vltima.* *Quolib. 7. q. 3.*

CONCLVSIO.

Si fruitio pro amore erga vltimum finem sumatur, non omnis peccans creatura fruitur. Quia vltimum finem, & fœlicitatem in peccato non omnis peccator cõstituit, ita vt peccare potius, quàm Deum esse malit. Tales sunt qui zelo Dei indiscreto peccant; de quibus B. Paul. æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Tales sunt etiam, qui peccant spe veniæ; vt Adam peccauit. *Ad Rõ. c. 10.*

CONCLVSIO.

Omnis mortaliter peccans, vel simpliciter, vel secundum quid creatura frui dicitur. Simpliciter quidem, qui in creatura vltimum finem constituit. Contra quem D. Aug. ait, summa peruersitas est, frui vtendis, id est, diligere creaturam propter se, quæ est propter alium diligenda; ita vt in illa vltimus finis constituatur. *D. Aug.*

Secundum quid verò, fruitur creatura, qui amore sui illam amat. Nam duo inquit D. Aug. amores edificarunt duas ciuitates, & amor Dei, & &c. Hic autem in seipso vltimum finem non constituit; vt qui spe veniæ peccat. *D. Aug.*

III. Dubium. Peccans mortaliter qua creatura fruitur actúne peccati, an obiecto, vel supposito in seipso?

Scot. sequentem conclusionem defendit. *In 1. d. 1. q. vltima.*

CONCLVSIO.

Peccator non obiecto peccati, neq; ipso peccato, sed seipso fruitur. Ratio est, quia amor amicitiæ, qui est fruitio præcedit amorem concupiscentiæ, & peccator amore amicitiæ diligit seipsum; peccatum verò, & peccati obiectum amore cõcupiscentiæ amat.

Hinc, diligẽtes Deum inordinatè seipsis, & non Deo fruebantur. Tales fuerunt Apostolorum interfectores, & B. Paul. qui de *APPEN. Galat. 14.*

qui de seipso ita ait. Audistis enim conuersationem meam, aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coëtaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Vbi aperte testatur zelo, & amore paternarum traditionum, & proprij honoris, & zelo Dei indiscreto se Dei Ecclesiam fuisse persequutum.

APPEN. Hinc, qui se in ordinat morti pro desẽsione patriæ, & amicorum exponit, seipso, & non patria, aut amicis fruitur. Quia ignominiosum sibi esse existimat amicos non defendere.

APPEN. Idem dicendum est de illo, qui, vt miseriam fugiat, laqueo se suspendit, vel aliquo quouis modo interimit. Quia amore sui facit. Duo enim amores &c. Vt Aug. docet.

D. Aug.

S. Tho. 1. 2. q. 11 art. vltimo. Ric. d. 49 art. 1. q. 2.

VIII. Diffic. An fruamur non solum fine iam obtento, verum etiam sperato.

CONCLVSIO.

De vtroque fine est fruitio. Et ratio est; quia viatores iusti beati appellantur. Atque ita frui dicuntur. Fruitio enim idem est quod beatitudo, vel in spe, vel in re; beatitudo tamen in via improprie fruitio nominatur, propterea quod, appetitus donec appareat Deus Opt. Max. non satiabitur.

Psal. 16.

Art. II. Habetne homo naturalem appetitum beatitudinis in particulari, scilicet, videndi Deum?

Hac. d. 49. q°. 9. & 10. & q. 1. prologi Ric. art. 2. q. 2. Duran. q. 8.

Duæ sunt opiniones. Prima Caiet. negans. Secunda contraria Sco. quæ fuit olim D. Bona. & Ric. hac d. quos sequuntur Dur. & Soto.

CONCLVSIO.

Homo naturalem habet inclinationem ad Deum videndum. Est enim naturalis inclinatio aptitudo, siue potentiæ passiuæ ad formam, qua subiectum perficitur, & in qua quiescit. Quæ quidem inclinatio non est habitus distinctus à natura; sed ipsamet natura suæ perfectionis capax. Et homo cum vltimate perficiatur visione, & fruitione Diuinæ essentiæ, & in illa quiescat, naturaliter ad ipsam inclinabitur. Tum etiam, quia naturale dicitur, quod omnibus hominibus ratione vtẽtibus commune est. Et desiderium videndi Deum etiam infideles habent. Nam rogati an cupiant videre Deum, respondent, Vehementer desideramus.

CONCLVSIO.

Beatitudinis tamen consequutio est supernaturalis. Definita est in Clementina. Ad nostrum. de hæreticis. Verum de hac conclusione latius infra.

I. Diffic.

1. Diffic. An cognita beatitudine homo necessario habeat hunc actum volo beatitudinem?

Hic agitur de appetitu libero, & sunt de hac difficultate 3. opiniones. Prima Henrici, quem citat, & refutat. Scot. scilicet, beatitudinem in generali, quę nihil aliud est, quam velle bonum sufficiens, siue illa beatitudo in obiecto creato, siue increato constituatur, necessario voluntas habet eius volitionem; non tamen vult necessario istam beatitudinem in particulari, quæ in clara Dei visione consistit. *In 1. d. 1. q. 4. & hac. d. q. 9.*

Secunda opinio est S. Tho. qui duo dicit. Primum est beatitudinem in communi vult homo appetitu elicito quantum ad specificationem actus; non tamen quantum ad exercitium. 2. est, beatitudinis in particulari potest voluntas habere nolitionem, quia potest dicere, nolo videre Deum, sed frui semper vita præsenti. Tertia opinio est Scoti. Quæ solum differt à Sanct. Tho. pœnes beatitudinem in particulari consideratam. Dicit enim non posse habere volitionem in particulari beatitudinis, sed necessario velle illã quoad specificationem actus, nõ tamen quoad exercitium. Hęc est Scoti sententia licet alijs verbis opposita. *1. 2. q. 5. art. 8. & q. 10. ar. 1. & 2.*

CONCLVSIO.

Beatitudinem in communi secundum rationem generalem tantum cognitam quoad specificationem actus, licet non quoad exercitium homo necessario, optat, id est, necessario elicit hunc actũ, volo esse beatus, vt Scotus declarat. Ratio est, quia cum in beatitudine generali nulla appareat ratio malis, immo omnis boni necessario voluntas circa illam quoad specificationem actus operabitur, non tamen quoad exercitium. Quia cum sit libera, suam operationem suspendere, & ex cõsequenti nullum actum elicere poterit.

CONCLVSIO.

Circa beatitudinem in particulari, scilicet, claram Dei visionem potest homo habere hunc actum, nolo istam beatitudinem, vnde non necessariam, sed liberam omnino, & quantum ad actus specificationem, & quantum ad exercitium se habet. Nam potest homo vltimum finem in creatura constituere, illa fruendo, quæ teste B. August. est summa peruersitas & ex consequenti poterit nolitionem habere. Nullus siquidem duos vltimos fines habere potest. Hoc perditissimi hõies testantur. Quibus si daretur optio, potius vitam præsentem, quam futuram eligerent. *D. Aug.*

II. Diffic. An damnati natutalis beatitudinis appetitum habent?

CONCLVSIO.

Scotieſt ha: d. q.9.ad.2.

Habent quidem. Et ratio eſt; quia talis appetitus non eſt habitus, aut actus elicitus, ſed natura habens aptitudinem, & potentiam paſsiuam ad propriam perfectionem. Et hac de cauſa manente natura idem appetitus; & cæteræ propriæ paſsiones; vt riſibilitas, & cæte. manent.

III. Diffic. An habeant damnati actum elicitum beatitudinis.

CONCLVSIO.

Scot eſt vbi ſupra.

De facto actuale deſiderium beatitudinis, non abſolutum, ſed conditionatum habent, id eſt, vellent eſſe beati, ſi fieri poſſet. Ratio eſt; quia patiuntur pœnam damni, quæ eſt dolor priuationis, & beatitudinis, quem dolorem, & triſtitiam non paterentur, ſi volitionem conditionatam beatitudinis habere non poſſent. Quia nullus priuatione, aut carentia alicuius rei triſtatur, niſi rei, quam habere cupit.

IIII. Diffic. Actus, quem homo beatitudinis, in communi habet, eſtne liber, an naturalis?

Duæ ſunt opiniones. Prima Scot. vbi ſupra dicentis eſſe actum liberum. Secunda & contraria S. Tho. aſſerentis voluntatem reſpectu vltimi finis in communi non eſſe liberam, ſed naturalem tantum potentiam.

1.2.q.10. art. aſ 2.Ric d.49 art.2.quo.1.2. & 3.

CONCLVSIO.

Volitio beatitudinis in communi non eſt naturalis operatio ſed omnino libera. Probatur; quoniam voluntas libera libertate contradictionis, eſt abſolute libera, & cum voluntas eliciat hunc actum, ſcilicet, volo beatitudinem in cõmuni libera libertate contradictionis; quia poteſt elicere, aut non elicere, erit profecto omnino libera. Deinde liberè, & naturaliter operari contrariè opponuntur, & eidem potentiæ nullo modo conuenire poſſunt. Quia naturale agens eſt determinatum ad vnum oppoſitorum; liberum autem ad vtrum libet. Quam obrem ſi voluntas aliquo modo naturaliter operatur, habebit contrarios operandi modos, eritque determinata, & non determinata ad vnum oppoſitorum, quod implicat contradictionem. Tum confirmatur. Repræſentata beatitudine in communi, ſcilicet, bonum eſt hominem eſſe beatum, non autem hac, aut illa beatitudine, poteſt voluntas elicere, aut non elicere hunc actum, ſcilicet, volo eſſe beatus, ergo hic actus erit ſimpliciter liber. Nam tota voluntatis libertas eſt, quando appoſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, poteſt contradictorie elicere, aut non elicere actum, quamuis contrarie non poſsit. Iam in contrarium obijcio. Actus voluntatis eſt

tis est elicitus secundum inclinationem naturalem (vt ex superioribus constat) quare erit naturalis, & non liber. Respondeo. Est secundum quid naturalis; non autem absolute, vt ex probationibus conclusionis constat. Secũdo argumentantur. Potentia naturalis est ad vnum oppositorum determinata; voluntas autem determinatur ad hunc actũ, volo beatitudinem in communi, nec potest oppositum velle; ergo respectu huius actus erit potẽtia naturalis. Respondeo: Minor est fasla. Quia non determinatur natura respectu illius actus est potentia libera libertate contradictionis; vt ex dictis constat. Tertio respectu finis in communi non est consultatio, neque discursus, sed respectu mediorum; ergo neque in voluntate erit libertas respectu finis in communi; quia fundamentũ libertatis in voluntate est discursus in intellectu. Respondeo. Licet non sit deliberatio de fine, est tamen libertas saltem contradictionis, & fundamentum libertatis esse discursum in intellectu est falsum. Nam voluntas diuina est libera ad extra, & tamen non discurrit, sed vsus rationis circa discursum dicitur esse libertatis fundamentum. Vltimo ita agunt. Vt se habet intellectus respectu principiorum, ita voluntas respectu finis in communi, & cum intellectus necessario primis principijs assentiatur, & voluntas quoque necessario circa finem in communi operabitur. Respondeo. Maior simpliciter est falsa. Non enim ita se habent, vt vtrobique sit necessaria operatio, sed quia, vt intellectus colligit conclusionem ex principijs, & conclusioni propter principia præstat assensum; ita, & voluntas eligit media propter finis consequutionem.

V. Diffic. An homo ex puris naturalibus Deum videre poßit?

Id est, an intellectus separatus in gratia existens posit videre Deum ex solis viribus naturæ secluso lumine gloriæ; quemadmodum anima separata naturaliter Angelum videre potest. De fide tenendum est nullum intellectum creatum, quantumuis gratiæ plenum posse naturaliter videre Deum; quin per qualitatem supernaturalem ad hoc eleuetur. S. Tho. & Ric. tenent hanc esse causam, scilicet, quia omnis creatura est quodam modo materialis; Deus autem omnino immaterialis. Scoti ratio est, quia Deus ad extra est obiectum voluntarium, & non naturale, & ita non est in potestate intellectus creati naturaliter videre Deum, aut habere illum præsentem, quod idem est. Nam quod est in voluntate solius Dei, & non alicuius causæ secundæ, supernaturale est. Hæc est vis, & ratio Scoti; vt ex eius litera constat. Angelus autem

1.p.q̃.12 art. 4.& 1.2.q.5. art.5.Scot.q̃. 11.Ric.art.2. q.6.& ar.3.

q.2. in solutio

Re argumẽto-rum. vnus naturaliter alio, vel ab anima separata videtur; etiamsi videri nolit, non tamen obiectum increatum, cum sit voluntarium. Quia quicquid operatur ad extra, operatur contingenter, & voluntarie.

CONCLVSIO.

Ad. Philipp. 1. Ad Rom. 6. Matth. c. 11. Homo, & Angelus viribus naturæ, etiamsi in gratia existant beatitudinem consequi haud possunt. Inquit, enim B. Paul. per fidem salui facti estis, & hoc non ex vobis donum Dei est. Et iterum gratia Dei vita æterna; quare non ex naturę viribus. Et Matth. 11. nemo nouit filium, nisi pater &c. aut cui filius voluerit reuelare. Et oppositum est condemnatum in Clementina. Ad nostrum de hæreticis in 6.

VI. Diffic. An eßentia Dei ab intellectu creato per aliquam speciem, aut similitudinem videatur?

In 3. d. 14 art. 1. q 3. 1. p q. 12. art. 2. & q. 56. ar. 3. Sco. in 2. d. 3. q. 9. Ricard. varias affert opiniones. Duæ tamen sunt precipuæ. Vna Sancti Tho. qui dicit implicare contradictionem, vt De⁹ per aliquam speciem supplentem vicem obiecti, videatur. Altera est Scoti asserentis; posse dari speciem per quam Deus abstractiue, & distincte, non tamen perfecte cognoscatur. Hæc tamen opinio licet quibusdam primæ contraria videatur, non tamen est.

CONCLVSIO.

Rom. cap. 1. Scotus. Posibile est dari aliquam speciem quæ repræsentet naturaliter Deum, qua notitia distincta; non tamen quidditatiua de Deo habeatur. Constat ad Rom. 1. cap. vbi docet D. Paul. cognouisse gentes Deum singulariter sub ratione æterni, quæ est solius Dei proprietas. Nam dixit, inuisibilia Dei à creatura mundi per &c. Et in hoc sensu loquitur Scotus nunquam enim differuit, an posset dari species intelligibilis, per quam intellectus creatus quidditatiue, & essentialiter Deũ cognoscat; sed abstractiue & destincte tantum; atque ita non contradicit S. Tho. qui loquitur de notitia quidditatiua Dei, quæ est notitia eius existentiæ, & essentiæ.

CONCLVSIO.

Implicat etiam per diuinam potentiam dari aliquam speciem intelligibilem, quæ repræsentet Diuinam essentiam quidditatiue, & à qua visio beatifica partialiter producatur. Ratio est; quia materiale, qualis est species, non potest omnino immateriale representare scilicet, Deum. Et quia nulla causa secunda, vt est species, potest causæ primę supplere actiuitatem.

CONCLVSIO.

Essentia diuina immediate vnitur intellectui comprehensoris

foris ad beatificam visionem, producẽdam. Ratio est, quia notitia non à sola potentia cognoscendi; verumetiã ab obiecto producitur.

I. Dub. Essentia diuina potest inhærere creato intellectui, quando eidem vnitur?

R. aliqua duo dicuntur vniri, quando ex illis fit vnum quacunque vnitate; atque ita ex diuina essentia, intellectu creato fit vnum principiũ actiuum totale ex duobus partialibus, scilicet, ex intellectu, & essentia. Et nota essentiam diuinam nõ solum concurrere cum intellectu in genere causæ efficientis, verumetiam efficere intellectum secundum, id est constituere intellectum in actu, quia facit illum productiuum. Nam vt in nobis intellectus, & species constituunt memoriam secundã, de qua producitur notitia obiecti creati, ita diuina essentia quæ supplet vicem speciei, & intellectus creatus constituunt memoriam, à qua notitia beatifica producitur.

VII. Diffic. An intellectus creatus ad videndum Deum aliquo lumine creato supernaturali indigeat, vt notitiam beatificam producere poßit?

Variæ sunt opiniones. Prima est Scoti, quæ falso ab aliquibus intelligitur. Nam in 3. dixit intellectum creatum respectu notitiæ beatificæ si tantum mere pasiue se haberet, non indigere necessario lumine gloriæ; at vero cum se habeat actiue lumine gloriæ opus habet. Hæc est sententia Scoti illic, & hac dist. Durandus tres citat opiniones. Prima tenet intellectum creatum videre essentiam diuinam per speciem ex parte obiecti, & per lumen gloriæ ex parte potentiæ. Altera & prima in ordine neutrum requiri dicit. Et hanc amplectitur Durandus.

in 3. d. 14. q. 1. & 2. & in 4. d. 49. q. 12.

Vltima opinio est S. Tho. asserentis lumen gloriæ ex parte potentiæ desiderari; non tamen ex parte obiecti dari aliquam speciem.

In 1. q. 12. ar. 5 Ric. libr. 3. d. 14. et lib. 4. d. 49 art. 3. q. 2.

CONCLVSIO.

Non potest intellectus creatus essentiæ diuinæ producere notitiam, quæ sit eiusdem essentiæ intuitiua, nisi per lumen gloriæ eleuetur. Definita est per Concilium Viennense. De quo quidem lumine scriptum est in Apoc. claritas Dei illuminabat illam, scilicet, beatorum societatem Deum videntium. Quo lumine beati Dei formes, & Deo similes efficiuntur. Dicente Beato Ioanne cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est.

Apoc. cap. 21. 1. Ioan. cap. 3.

CONCLVSIO.

Sco. est contra Caiet. — Deus Opt. Max. potest actionem luminis gloriæ supplere, ita, vt intellectus mere passiue se habeat recipiendo ab eo notitiam beatificam, & per illam videat. Et ante probationem nota breuiter ex Scoto contra Thom. Aliud esse producere notitiam; aliud vero per illam operari. Nam fieri potest, vt intellectus operetur, & nullo modo notitiam producat. Prophetæ namque intelligebant per notitias à solo Deo infusas, quas nullatenus producebant. Relationem autem esse notitiæ productionem negabit nemo. Quod Sco. demonstrauit dicens ita, reuelans hanc, Deus est, trinus, & vnus, causat aliquā notitiam huius veritatis.

in I.d.2.q.7. · q.1.prologi.

Iam probatur conclusio. Aliud est intellectum esse productiuum notitiæ, aliud vero operatiuum &c. Ad operationem autem non requiritur lumen gloriæ, sed solū ad productionem, quod quāuis intellectus noster non haberet, tunc lumen gloriæ posset per notitiam operari. Minor constat. Quia per notitiam iam productam, & potentiæ inhærentem operatur, & intelligit naturaliter potentia ipsa. V. g. cœcus recepto visu à Christo naturaliter vidit, & prophetæ recepta reuelatione naturaliter intellexerunt. Non enim poterat intellectus tunc non intelligere; qua propter supernaturalis non consistit in operatione, sed in notitiæ productione. Nam, vt aliud est cœcum videre; aliud autem cœco visum præstare, ita in patria, aliud est notitiā producere, aliud autem videre. Primum enim est supernaturale, & secundum naturale. Deum autem istam actiuitatem luminis gloriæ posse supplere patet; cū possit cuiuscunque causæ secundæ supplere actiuitatem.

S.Tho.1.p.q.12.art.7. Scot. lib.3.d.14. vbi supra.

Art. III. Potestne intellectus creatus comprahendere Deum?

CONCLVSIO.

Si notitia appræhensiua pro cognitione, qua obiectum perfecte, quantum cognoscibile est, cognoscitur, sumatur, nullus intellectus creatus, sed solus Deus seipsum comprahendit. Quia cum sit infinita notitia, est infinita perfectionis cognoscibili, quam quidem nullus intellectus creatus habere potest. Quia non est maior visio intellectus creati, quam fuerit lumen gloriæ, & nullus intellectus creatus infinitum lumen gloriæ habet. Vnde dicitur magnus consilio & in comprehensibilis cogitatu.

Ierem. ca. 32.

CONCLVSIO.

Si notitia comprehensiua pro beatitudinis possesione capiatur, quicunq; beatus per intellectum Deū comprehendere dicitur, id est, habere Deum præsentem. Ait enim D. Paul. sic

2. Cor. cap. 9.

ſic currite vt comprehendatis. Eſt autem de ratione comprehẽſionis non ſolum viſio verumetiam poteſtas non amittendi beatitudinem. Vnde in Canticis dicitur. Tenui eum, nec dimittam. *Cantic.cap.3.*

Hinc B.Pau.in raptu videns Deum,non comprehendebat. APPEN.

Hinc comprehenſionem vnam eſſe de animæ dotibus intelligitur. Fidei namq; ſuccedit viſio, & charitati fruitio, & ſpei comprehenſio. Quæ eſt deſiderij adimpletio. APPEN. *2.Cor.12.*

I.Diffic.Vtrum ſit omnium æqualis beatitudo?

De fide tenẽdum eſt non eſſe omnium ſanctorum gloriam æqualem, modi tamen explicandi, cur cùm omnes in diuina eſſentia beatificentur, ſit vnus alio beatior ſunt diſtincti. Sco. namq; dicit formalem beatitudinem conſiſtere in amore erga Deum clarè viſum, & ex conſequenti affirmat inæqualitatẽ beatitudinis oriri ex inæqualitate charitatis. Nã ex eo, quod vnus beatus maiorem charitatem, quàm alius ſortiur, eo feruentius Deũ diligit, & eſt beatior: at verò S. Th. cõſtituens beatitudinem formalem in viſione dicit gradum beatitudinis ex gradibus luminis gloriæ oriri. Quanto enim aliquis beatus magis lumen gloriæ participat, tanto perfectiorem viſionem producit, & beatior eſt. *Ric.d.49.art. 2.qõ. 8. Scot. d.50.q.5.San. Tho.1.p.q.12. art. 6.& 1.2. q.5. art.2.*

CONCLVSIO.

In patria non erit æqualis omnium iuſtorum gloria:in domo enim patris mei (dixit Ieſus) manſiones multæ ſunt. Vbi diuerſitas mãſionum diuerſitatem graduum in gloria inſinuat. Definita eſt in Con. Flor. ſub Eugenio IIII. *Ioan.cap.14*

Hinc confutatur hæreſis Iouiniani, & Lutheri. ut refert Soto dicentium omnes Beatos eſſe in gloria æquales, in quã hæreſim copioſiſsimè Pater à Caſtro verbo beatitudo hæreſi 7. diſputat. *Lib.2. de natura et gratia Pater à Caſt.*

II. Diffic. Si Angelus, & anima rationalis habent æquales gradus luminis, & charitatis, habebuntne beatitudinem formalem, viſionem, ſcilicet, vel amorem æqualem.

Ricar. Scot. Caiet. & Dur. tenent animam Chriſti Ieſu, ſi ſe habeat effectiuè ad fruitionem, non habere ſummam fruitionem de poſsibili,quamuis habeat ſummam gratiam.Quæ opinio maximas patitur anguſtias S. Thom.oppoſitum tenet hac d. ar.2.q.8. *Sco.d.50. q 5. Ric d.49.ar. 2.qõ.8.S.Tho. 1.2.q.5.art.2. & in 3.p. qõ. 10.art.4.*

CONCLVSIO.

In caſu huius difficultatis æqualis erit vtriuſq; potentiæ beatificus actus. Ratio eſt, quia non poteſt intellectus creatus viribus naturæ elicere actum beatificum, & ex conſequenti, *Dur.in 3.diſt. 14. 1.ad vlti.*

neque eiusdem actus argumentum. Atque ita tota actiuitas erit à lumine gloriæ, siue à charitate. Alioquin enim sequeretur; gloriam non respondere meritis, sed naturali potentiæ, quod est erroneum; vt si Angelus, & anima haberent æquale lumen gloriæ, & charitatem æqualem, meritaque æqualia beatitudo formalis Angeli esset beatior; quia habet perfectiorem potentiam. Et ita virtuti naturali responderet gloria, quod est erroneum.

CONCLVSIO.

Si beatitudo formalis esset visio, non esset inæqualitas, eo quod videret vnus plura attributa diuina, quam alius. Nam tunc omnes beati æqualiter vident, quæ in Deo formaliter continentur. Videbimus (inquit B. Ioan) eum sicuti est, id est, cum omnibus quæ sunt de illius quidditate.

CONCLVSIO.

Neque consistit inæqualitas, quod vnus plures creaturas in Deo, quam alius, videat. Ratio est; quia creatura non est obiectum beatificum; quare erit maior beatitudo formalis, quando vnus clarius alio videbit Deum, si beatitudo est formalis visio; aut si est amor, qui feruentius diligit Deum, ille erit beatior.

III. *Diffic. An de facto, quilibet beatus videat in Verbo omnia, quæ formaliter, & eminenter in diuina essentia continentur?*

De hac re disputant Doctores hac d. & in 3. d. 14. & S. Tho. in 1. p. q. 12. artic. 8. Est autem maxima controuersia circa numerum creaturarum, quæ in Deo videntur. An si vnus plures creaturas, quam alius, ac vero singuli omnes cognoscant.

Quolib. 6. q. 4. Ricar. & reliqui vbi supra D. Aug. Prima opinio est Henrici asserentis singulos beatos videre in Verbo, quæ in Deo formaliter continentur; non autem quæ eminenter: cuiusmodi sunt creaturæ; Contrarium asserit D. Aug. dicens beatos videre creaturas visione matutina, id est, in verbo; quæ matutina nominatur; quia est clarior; & visione vespertina, id est, in proprio genere quæ, quia est minus clara, visio vespertina nominatur.

Hac. d. q. 3. Secunda opinio, quam citat Dur. affirmat; omnes beatos videre in verbo omnia, quæ in eo tam formaliter, quam eminenter continentur. Quæ etiam est contra D. August. in libr. *D. Aug.* de videndo Deum, qui docet Deum esse speculum voluntarium, & non repræsentare necessario omnes creaturas. Alioqui enim Deus beatis nihil reuelare posset, cum tamen Angeli superioris ordinis: vt in floribus secundi libri diximus, multa inferioribus reuelent.

Tertia

Tertia opinio est Duran. qui duo dicit. Primum, beatos videre in verbo quidditates omnium creaturarum naturalium, & supernaturalium, id est, supernaturaliter producibiliũ. quæ hactenus creata non sunt. Secundum est videre beatos in verbo aliquod singulare creatum solum in proprio genere.

Quarta opinio est Scot. quæ duabus propositionibus comprehenditur. Prima est, anima Christi Iesu videt habitualiter in verbo omnes creaturas non actualiter simul, sed successiue nunc plura, nunc pauciora non quod illa visio habitus sit; sed quia habitibus vtimur, quando volumus; & ita anima Christi per illam visionem beatificam videt, quas vult creaturas, & quando vult. *In 3. d. 14. q. 2*

Secunda propositio, cæteri beati non cognoscunt omnes creaturas in verbo, sed aliquas. Nam ita Scot. vbi supra in notabili; sed ista via &c. inquit. Dico quod verbum cuilibet beato est speculum repræsentans determinata, vltra quæ non potest velle ordinate, id est, secundum rectam rationem, videre alia; sed huic, scilicet, animæ Christi est speculũ repræsentans omnia ad modum supra dictum. Hactenus Sco. quia vt infra dicetur cunctas creaturas, & singulas hominum cogitationes, anima Christi videt; quia est futurus iudex omniũ & ad recte iudicandum omnes cognoscere debet. APPEN.

Hinc, sequitur falsissime accusatum fuisse Scotum à Soto, quod dixerit idem sensisse de anima Christi, & de anima cuiuscunque beati. *Hac d. q 3 ar. 3.* *Scot. liberatur*

Vltima opinio est S. Tho. asserẽtis; cæteros beatos à Christo videre in verbo aliquas creaturas, nullum tamen omnes, & quò aliquis beatus perfectius cognoscit Deum, eò plura in Deo videre. *1. p. q. 12. art. 8.*

CONCLVSIO.

Quicunque beatus videt omnia, quæ in Deo formaliter continentur. V. g. attributa quæ formaliter. i. quidditatiuè cõueniunt. Constat ex B. Ioan. dicente. Videbimus eum sicuti est. Ergo & omnia, quæ sunt in ipso quidditatiue. s. attributa omnia, & omnes relationes. Alioqui enim si beatos aliquod diuinum attributum lateret, non illum, sicuti est, viderent. *1. Ioan. 3.*

CONCLVSIO.

Quilibet beatus videt in verbo omnia, quæ eminenter cõtinentur. i. omnium rerum naturalium quidditates s. quid homo sit, & quid Angelus, &c. Non tamen rerum supernaturalium producibilium quidditatem. S. Tho est vbi supra art. 8. ad 4. Et ratio est quia in beatitudine omne naturale desiderium satiatur, est autẽ naturale desideriũ cuiuscũque intellectus creati omnium rerũ naturalium quidditates scire, quas si

ignoraret, non esset beatus quietus, nec adimpletum haberet desiderium. Vnde colligitur omnes beatos videre in verbo species omnium animalium, plantarum, metallorum &c.

CONCLVSIO.

Non omnes beati vident in verbo omnia singularia cunctarum specierum, seu formarum. Nam quilibet beatus tunc comprehenderet Deum, cum cognosceret omnes creaturas à Deo producibiles. Et ita cognosceret Deum perfectissime per notitiam infinitæ claritatis, quod implicat contradictionem. Hæc est contra secundam opinionem.

CONCLVSIO.

S.Thom. est vbi supra.

Quo aliquis est beatior, id est, clariorem habet Dei visionem; eò plura singularia in verbo videt. Ratio est; quia cognitio creaturarum in Deo est cognitio effectus in sua causa id est, cognoscere virtutem causæ; quæ habet effectum producendi. Et quanto aliquis est beatior, tantò clarius cognoscit virtutem, & potentiam Dei ad singulares effectus producendos, & conseruandos.

CONCLVSIO.

S.Tho. est 3.p. q.12. art.2.

Videt autem quilibet beatus, illa omnia, quæ ad ipsum spectant, i. quæ suæ curæ mandata, & commissa sunt. Hanc probat S. Tho. inductione, vt anima Christi Iesu videt omnia indiuidua, præterita, præsentia, & futura cuiuscunque speciei, & omnes omnium hominum cogitationes, & actiones. Quia est futurus iudex viuorum, & mortuorum, & vsus omnium rerum, quæ sub sole sunt, illi rationem redituri sumus. Et B. Petrus videt in verbo omnia singularia ad Ecclesiæ ministerium pertinentia. Quia illi mandata fuit Ecclesia. & similiter de Seraphico patre nostro Francisco, & B. Dominico respectu suorum ordinum theologandum est.

IIII. *Dif. An voluntas in patria naturaliter fruatur fine clare viso, & non libere, ita vt sit ad amandũ, & vt ignis, ad calefaciendum determinata?*

S.Th.1.p.q.82 art.2. Ric art. 2.q 2.& 5 d. 49. q̃.9 d.49.& in 1. d 1.q. 4.

S.Th partem affirmantem tenet, Contrariam vero Sco.

CONCLVSIO.

Voluntas in patria necessario diligit Deum. Quia de ratione beatitudinis est dilectio; & cum sit beata, supposita primũ beatitudine, necessario diligit Deum.

CONCLVSIO.

Voluntas amore elicito non diligit naturaliter Deum, sed libere libertate contradictionis. Hæc est Scoti. & rationibus aliquot confirmatur.

Prima. Ratio totalis & præcisa libertatis in via est, indeterminatio

minatio voluntatis ad vtrumq. oppositorum; in patria autem similiter est ad amandum, & non amandum determinata, ergo voluntas &c.

Minor ita probatur; in via ideo voluntas dicitur libera, & indeterminata, quia Deus potest illā ad opposita mouere, sed de potentia absoluta, potest Deus mouere voluntatem beati vt amare, & ab amore cessare velit: ergo potest amare, & nō amare, & ex consequenti est ad vtrumq. oppositorum indeterminata. Obiicies non potest de lege Deus in Patria non mouere voluntatem ad amandum, voluntas igitur de lege naturaliter amat.

Respondeo. Et simul conclusionem confirmo. Voluntas viatoris confirmata in gratia de lege non potest non moueri à Deo in amorem ipsius Dei, quamdiu sub præcepto Deum amare tenetur, nihilominus libere amat: quia in sensu diuiso & de potentia absoluta potest Deus non concurrere cum infirmato ad amandum, & ita, non amabit similiter in patria potest Deus secundum absolutam potentiam non mouere voluntatem comprӕhensoris ad amorem. Qua propter, quādo amat libere amat. Deinde in sensu diuiso, & de potentia remota hæc ab omnibus conceditur, scilicet, beatus potest peccare, & non amare Deum ergo tunc quando amat, libere amat. In via pro instanti, quo voluntas amat, non potest non amare. Quia omne quod est, quamdiu est, necesse est esse. Et nihilominus libere dicitur amare, quia in sensu diuiso potest non amare. Et in patria similiter potest in sensu diuiso non amare, ergo quando amat, libere amat. Præterea actus amoris in patria, aut est naturalis ex parte obiecti, scilicet. Dei clare visi, aut ex parte potentiæ non primum, quia Deus claré visus est obiectum voluntarium, ad extra, nihil operatur necessario, sed libere. Neque secundum quia idem est principium eliciens amorem in patria, & in via, nempe, voluntas per charitatem informata, & cū in via libere, & in patria quoque libere operabitur. Nam vtrobiq. est idem principium, nempe, voluntas eliciens amorem. Respondet Caiet. Deus clare visus est obiectum beatificum, in quo apparet omnis ratio boni, & nulla mali atque ita voluntas non libere sed necessario illum amat. Verum respondeo, & confirmo conclusionem. In Deo cognitio per fidem nulla ratio mali imo omnis boni ratio apparet, & tamen libere amatur, etiam à viatore in gratia confirmato, & non ob aliud, nisi quia eius volūtas potest de potentia Dei absola moueri ad oppositum, & voluntas comprehensoris similiter potest moueri, vt velit ab amore cessare ergo quamuis Deum clare videat, libere amat. 1. p. vbi sup.

Tan-

Tandem; tunc voluntas est libera, quando positis omnibus requisitis ad amandum. potest non amare, & voluntas in patria est huiusmodi; quia hæc de inesse est possibilis, scilicet, voluntas in patria, non amat, quamuis sit falsa, vt aduersarij concedunt: ergo sua de possibili est vera, scilicet, potest non amare. Propterea quod, veritas propositionis de possibili regulatur per possibilitatem suæ de inesse; vt Aristoteles docet. Dices deficit motio diuina, quæ inter requisita ad agendum recensetur. Contra. In via quando volūtas tenetur amare, libere abstinet ab amore, quamuis motio Diuina deficiat: ergo similiter, & in patria.

Arist. in prioribus.

CONCLVSIO.

Voluntas in patria non est libera libertate contrarietatis ad amorem, vel odium in Deum. Ratio est; quia nulla apparet ratio mali in Deo, quæ est odij causa.

Restat: vt argumentis aduersariorum respondeamus. Primo ita agunt, Deus est vltimus finis voluntatis, quem per claram visionem assequitur: ergo postea quam illum assequitur, naturaliter, & non libere in eius amore quiescit; ita vt nullo modo possit habere appetitum ad oppositum, scilicet, ad cessandum à Diuino amore. Consequentia confirmatur à simili de quacunque alia natura. v.g. lapis vbi iam consequutus est centrum, ibi naturaliter quiescit; Deus autem est vltimus finis, & quasi centrum voluntatis, ergo cum iam voluntas fuerit assequuta Deum per intellectus appræhensionem naturaliter, & non libere in eius amore conquiescit.

Neganda est consequentia, & similitudo: quia cæteræ naturæ, suis finibus optentis: naturaliter illis adhærent: vt lapis centro: quia secundum suas formas sunt ad vnum oppositorū determinatæ: at vero voluntas etiam in patria, est ad vtrumque oppositorum indeterminata: quemadmodum, & in via. Quia vtrobiq. potest moueri à Deo ad actus oppositos. Secūdo obiiciunt. Causa præcisa ob quam voluntas in via non naturaliter, sed libere diligit est: quia habet difficultatem in amando propter prauam homins inclinationem ad malum, & quia turbatur erga plurima, quamuis Deum fide cognoscat, sed in patria nullum est impedimentum, quominus semper amare possit: ergo non poterit non amare. Negatur antecedens, & consequentia. Ratio. n. ob quam vtrobiq. voluntas est libera, hæc est. s. quia determinatur secundum suam formam ad opposita, ita: vt Deo mouente, possit in vtrumq. oppositorum quemadmodum ex dictis constat.

Tertio ita argumentantur, Deus est infinitæ bonitatis: ergo quando

quando aperte videtur, naturaliter diligitur, atq; ita non erit in potestate voluntatis, non amare Deum. Est enim obiectum voluntatis bonum, in quo nulla ratio mali apparet, scilicet, Deus clarè visus. Huius argumenti responsio in 4. probatione secundæ conclusionis continetur. Et denuo respondetur; Nam vt voluntas viatoris confirmati in gratia propter indeterminationem voluntatis ad opposita potest in sensu diuiso non amare, ita & in patria.

Quarto sic disputant. Voluntas in patria est determinata ad vnum oppositorum, scilicet, ad amorem, ergo naturaliter amat. Consequentia patet, posito discrimine inter agens naturale, & liberum. Antecedens vero ita probatur, quandocũque intellectus est determinatus ad vnum, propterea quod homo non vtitur ratione; vt furiosus, vel quia non ratiocinatur inter opposita, tunc voluntas est determinata ad vnum. sed in patria intellectus ratiocinatur circa amorem finis, quia ratiocinatio est cõsultatio circa opposita, quæ non est de amore finis; sed mediorum; ergo si intellectus non ratiocinatur circa amorem finis, voluntas nunquam erit libera. Et confirmo. Quia præcisum fundamentum libertatis in voluntate, est ratiocinatio in intellectu. Nego antecedẽs: Et ad probationẽ dico voluntatem esse liberam, non solum propter ratiocinationem, verumetiam, quia ratione vtitur: præsertim loquendo de libertate contradictionis. Et ideo quamuis in patria nõ sit libera libertate cõtrarietatis in amorem, & odium in Deum; potest tamen in sensu diuisio cessare ab amore, & per cõsequens quando amat liberè amat.

Quinto ita insurgunt. Impossibile est beatum habere hunc actum, scilicet, nolo esse beatus; ergo non potest non semper amare. Consequentia patet. Quia amor, vel est formalis beatitudo, vel saltem de quidditate beatitudinis. Respondeo, distinguendo consequens. Nam in sensu composito totum concedo; in sensu autem diuiso negatur consequentia. Quia potest Deus non mouere voluntatem ad amorem, & ita voluntas beati ab amore cessabit. Tandem ita argumentantur. Deus clarè visus est obiectum beatificum, & vltimus finis voluntatis apprehensus per intellectum; ergo voluntas non potest non amare Deum: Consequentia probatur ex Aristotele. Nam, vt se habet intellectus respectu principiorum; ita & voluntas respectu vltimi finis: sed intellectus, facta apprehensione principiorum, non potest non illis assentiri; ergo voluntas apprehenso vltimo fine per intellectum, non poterit non amare illum. R. Quemadmodum intellectus naturaliter assentitur principijs; ita voluntas naturaliter *Arist.*

turaliter

S.Tho.1.2. qõ. 4.art.3.& d. 49.in 4.qõ.4 art.5. q.1. & sequentibus. Ric.art.3.q.7 & 8.

turaliter fertur in amorem finis, quod quidem est verũ quantum ad specificationem actus non tamen quo ad exercitium.

Art. IIII. An sint animæ dotes tres tantum, visio, scilicet, comprehensio, & fruitio?

CONCLVSIO.

Tres prædictæ sunt animæ dotes. Nam dotes vocantur munera, quæ sponsis dantur, & animabus Christo per fidem desponsatis, & per charitatem vnitis, dantur tria præfata dona, quæ μεταφορικῶς dotes nominantur.

Metaphoricos.

Art. V. An sint quatuor tantum corporis dotes?

CONCLVSIO.

S.Tho. vbi supra. Ric. art.4 q.1.

De fide tenendum est quatuor tantum esse corporis dotes. Hanc conclusionem apertissime B. Paul. 1. Cor 15. insinuauit. Vbi de resurrectione mortuorum ait. Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione &c. Vbi corpora gloriosa futura esse impassibilia, clara, subtilia, & agilia indicauit.

1. Cor. 15.

1. Diffic. Suntne futura corpora beatorum post finale iudicium impassibilia?

Art. 4. q. 3. Sco. q. 13.

Ricardus hac distinctione quatuor citat opiniones.

CONCLVSIO.

Erunt corpora beatorum in patria non solum incorruptibilia vt damnatorum corpora verumetiam impassibilia. Dicit enim B. Paul. oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem &c. Et Apo 21. absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum. Vbi sacra scriptura, omnem passionem realem à corporibus sanctorum relegandam esse testatur.

1. Cor. 3.

Apoc. cap. 21.

CONCLVSIO.

Hæc impassibilitas solum erit donum supernaturale, non ab intrinseco corporibus gloriosis inhærens, sed tantum per diuinam voluntatem, non concurrentem cum causis secundis vt in corpora beatorum agere possint. Quia cum sint corpora materialia, & habeant primas qualitates, erunt ab intrinseco passibilia, qua propter impassibilitas erit bonũ supernaturale ab extrinseco proueniens, scilicet, quia Deus ratione status illa perpetuo conseruabit.

CONCLVSIO.

Impassibilitas hæc erit in omnibus æqualis. Et ratio est, quia significat priuationem, quæ non recipit magis, & minus cum non sit entitas positiua, sed pura negatio.

1. Dubium. Eruntne impassibilia intentionali actione?

Art. 3. q. 1.

D. Bona. hac d. opinatur præter visum, & tactum, cæteros sensus in

ſenſus in patria nullatenus eſſe operaturos. At vero Ricardus, S. Thom. & Scot. existimant omnes ſenſus ſuas operationes habituros, etiam guſtũ, de quo minus probabile eſſe videtur. *Art. 4. q. 3.*

CONCLVSIO.

Vnaquequé potentia ſenſitiua ſuam habebit propriam operationem. Et ratio eſt: quia ibi corpus, atque eius omnes potentiæ erunt perfectiſsimæ, quæ quidem ſuis operationibus, id eſt, quando ſunt in actu, perficiuntur.

11. *Diffic. An corpora beatorum ſint futura ſubtilia?*

Omnes Doctores cum Apoſtolo ſanctorum corpora ſpiritualia, id eſt, ſubtilia inſtar ſpiritus futura eſſe confitentur. Sunt tamen duæ opiniones circa effectum ſubtilitatis. Nam D. Bonau. hac d. & Scot. putant præcipuum effectum futurũ eſſe, cuiuſcunque corporis penetrationem. At vero Sanctus Thom. & Ric. eadem diſt. tenent, quod quamuis corpus glorioſum poſsit ſimul cum corpore non glorioſo exiſtere; non tamen virtute ſubtilitatis, ſed alia virtute nempe diuina. *1. Cor. 15.* *q. 14.* *ar. 4. q. 5. & 6.*

Dur. vero d. 44. q. 6. arbitratur duo corpora, etiam per potentiam diuinam in eodem loco exiſtere non poſſe. Legendus tamen caute eſt. Nam dicit, primum latus vaſis virginei dilatatum fuiſſe, & inde Chriſtum exijſſe. Et ſepulchrum tempore, quo reſurrexit fuiſſe apertum, atque etiam fores, quando ad diſcipulos poſt reſurrectionem fuit ingreſſus. Cum Euangeliſta Ianuis clauſis ingreſſum fuiſſe dicat. *Durand. caute legendus.* *Ioan. cap. 20.*

CONCLVSIO.

Corpora beatorum erunt ſubtilia. Hoc enim docuit B. Paul. dicens, ſeminatur corpus animale, & ſurget ſpirituale, id eſt, ſubtile, & penetratiuum. Tum etiam, quia futura ſunt nobiliſſima, & corpus quo ſubtilius: vt ignis reſpectu aliorum elementorum, eò nobilius. *1. Cor. 15.*

CONCLVSIO.

Corpora beatorum non dicuntur ſubtilia præ nimia raritate: vt ignis, ſed ab effectu. Propterea quod, virtute diuina habent potentiam penetrandi, id eſt, penitus intrandi ad quemcunque locum, non expellendo corpus in illo præexiſtens.

CONCLVSIO.

Corpora beatorum ratione ſubtilitatis in eodem loco cum quocunque alio corpore coexiſtere poterunt. Patet exemplo Chriſti Ieſu, qui poſt reſurrectionem clauſo ſepulchro eſt egreſſus, & ianuis clauſis ad diſcipulos ingreſſus. *Ioan. cap. 20.*

CONCLVSIO.

Corpus glorioſum penetrare aliud corpus, non eſt illud diuidere, ſed in eodem loco cum illo abſque vtriuſque diuiſione

coexistere. Ratio est; quia corpora gloriosa Christi Iesu, & sanctissimæ matris suæ sunt in cœlo empyreo, & tamen non diuidunt illud cum sit incorruptibile.

CONCLVSIO.

Quamuis de lege, & supernaturaliter corpus gloriosum eodem loco cum corpore non glorioso coexistere posit: non tamen duo corpora gloriosa se poterunt penetrare. Quia hoc priuilegium corporibus gloriosis conceditur; vt habeant super corpora non gloriosa imperium, quo super corpus gloriosum vti nequeunt.

CONCLVSIO.

Hæc subtilitas corporibus beatorum debetur. Quia ab anima beata informantur. Dotes enim corporum ex animæ beatitudine redundant. Quod nihil aliud est, quam quod datur corpori propter animæ beatæ merita, siue obsequia; vt Scot. declarat.

Hæreses. Hinc, refutantur tres errores. Primus affirmantium: corpora esse in animas conuertenda, atque ita futura esse subtilia. Secundus asserentium: esse futura rara, ita, vt præ nimia subtilitate posint quodcunque corpus penetrare.

Et tertius fuit dicentium: posse gloriosa corpora alia penetrare corpora. Quia in potestate illorum erit condensari ad tam minimam vsque quantitatem: vt posint poros alterius corporis subintrare. Contra hos omnes inuehitur Pater à Castro, verbo Resurrectio.

Ric. art. 4. q. 7 III. *Diffic. Suntne corpora gloriosa futura agilia?*

Dur. d. 44. q. 7

CONCLVSIO.

1. Cor. 15. Sunt quidem agilia futura. Vt constat ex B. Paulo dicente; seminatur in infirmitate, surget in virtute: est autem infirmitas

Sapientiæ c. 1. animæ imbecillitas, qua corpus vincere nequit. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam. Et tunc resurget in virtute, id est, in magna fortitudine, ita, vt quocunque voluerit transportare posit.

DD. vbi supra II. *Dubium. Vnde nam hac agilitas orietur?*

Ric. hac dist. opinatur ex quadam qualitate in corpore glorioso existente oriri.

CONCLVSIO.

Agilitas corporis gloriosi ex plena, atque integra subiectione corporis ad animam ortum habet. Nam, vt anima est subdita Deo: ita etiam corpus animæ subiectum erit: vt sine aliqua resistentia ad eius imperium moueatur.

IIII. *Diffic. Corpora beatorum mouebunturne alio motu quam progreßiuo?*

V.G. po-

V. G. poteruntne moueri instar auis simul, & non pars post partem, opinio Dur. est, vt tantum progressiue moueantur. Scoti opinio tenet non moueri organice.

CONCLVSIO.

Mouebuntur secundum differentiam locorum organice, & non organice. Nam ascendentes, aut descendentes, non organice mouebuntur; vt constat ex ascensione Christi Iesu post resurrectionem. Non enim in aere sunt gradus, vt gradatim ascendant. Dextrorsum, aut sinistrorsum organice mouebuntur de ambulantes, cœlumque, aut aerem præ nimia subtilitate penetrantes.

V. Diffic. Poteruntne in instanti moueri? *Ric. in 3. d. 22. & in 4. art. 4 q. 8.*

CONCLVSIO.

Non in instanti, sed in tempore imperceptibili mouebuntur. Quia impossibile est naturaliter, idem corpus simul in pluribus locis existere & existeret quidem, si in instanti moueretur. Simul enim in termino à quo, & ad quem esset. *Scot dist. 49. q 15. Ric. art. 4. q. 6.*

VI. Diffic. Habebuntne corpora beatorum claritatis dotem?

V. g. eruntne fulgida, & lucida? Opinio Dur. tenet; futura esse luminosa, sicut corpus rarum, & speculum, quod est luminis receptiuum.

CONCLVSIO.

De fide tenendum est beatorum corpora futura esse lucida, id est, habētia lucem; quemadmodum Sol, & ignis habent. Dicitur enim Matth. 13. tunc fulgebunt iusti, sicut Sol, in regno patris eorum.

III. Dubium. Vnde nam hac lux orietur?

Duæ sunt opiniones. Prima S. Tho. asserentis redundare ex luce animæ in corpus, vt lux Solis in Lunam redundat. Contraria opinio est Ricardi.

CONCLVSIO.

Fulgor hic, & lux in corporibus gloriosis existens à Deo creatur. Nam cū lux sit qualitas positiua, & nō appareat, vnde in corporibus gloriosis producatur, à solo Deo produci fatendū est. Redundabit tamē hæc claritas ex animæ beatitudine ad hunc sensum, scilicet, quia statui beatorum ex lege debetur.

IIII. Dubium. Corpora beatorum habebunt colorem, eruntne peruia?

Ricar. & Scot. opinantur non esse futura peruia, transparentia; vt chrystallum. At vero S. Tho. futura esse transparentia, & miraculosa defendit.

CONCLVSIO.

Corpora beatorum sunt futura opaca. Quia omne lucidum est opacum. Hoc enim corpus luminosum, vt aer, à corpore lucido, scilicet, igne distat.

CONCLVSIO.

Habebunt etiam colorem. Quia color ad decorem pertinet corporum, nec lucido repugnat. Vitrum enim aliquando pallidum, & rubeum est, & luminis receptiuum, vt in fenestris vitreis templorum apparet.

VII. Diffic. Oculus gloriosus poteritne videre naturaliter corporis gloriosi fulgorem?

S. Thom. affirmat. Ric. vero negat.

CONCLVSIO.

Oculus non gloriosus naturaliter corpus gloriosum videre non poterit, nisi beatus suum fulgorem temperet. Discipuli enim (vt Ricardus docet) post resurrectionem corporis Christi Iesu fulgorem non viderunt. Quia nō potuissent eius splendorem pati. Excellens namque sensibile corrumpit sensum.

CONCLVSIO.

Splendor corporis gloriosi erit Solis splendore præstātior. Quia cum Sol factus sit propter homines, æquum est; vt iustus sit Sole splendidior; non tamen corpus cuius libet beati tantū splendorem habebit, quantum totum corpus solare habet; nec in tanta distantia illuminabit. Est enim immense maius corpus solare, & in maiori quanto maior est virtus.

CONCLVSIO.

Non in omnibus beatis erit æqualis splendor, sed pro meritorum quantitate. Nam cum splendor, siue claritas, & agilitas sint in prædicamento qualitatis, recipiunt magis, & minus: & ideo erunt inæquales iuxta meritorum inæqualitatem.

S. Tho. d. 49 q. 5. art. 1. Ricar. ar. 5. q. 2. & 3.

Art. VI. An Aureola sit in patria accidentale præmium.

CONCLVSIO.

Præter essentialem beatitudinem, beati in patria accidentale præmium habebunt. Et ratio est; quia omnes beati gaudebunt in visione Christi Iesu, & Reginæ cœlorum, sanctorumque Angelorum, & Apostolorum & in assumptione suorum corporum, atque in contemplatione creaturarū in proprio genere &c. Quæ omnia gaudia essentiali beatitudini superadduntur. Nam beatitudo accidētalis est gaudium accidentale in alicuius creaturæ contemplatione consistens.

CONCLVSIO.

Non omnes beati, sed aliqui tantum Aureolam habebunt. Quia Aureola est gaudium accidentale de aliquo facto insigni con-

gni contra hostes spirituales, scilicet, de martyrio, virginitate, & doctrina. Et non omnes sancti hæc habent. Non enim omnes hanc victoriam sunt consequuti.

CONCLVSIO.

In patria aliqui sancti habebunt fructus; non tamen omnes. Propterea quod, fructus est gaudium accidentale de aliquo genere continentiæ virginalis, scilicet, vidualis, vel coniugalis, & non omnes aliquem istorum graduum obseruaret.

S.Tho. vbi sup. art. 5. q. 1. et sequentibus, & Ric. vbi supra.

1. *Diffic. Suntne tantum tres Aureolæ Virginitatis, scilicet, Martyrij, & Doctoratus?*

CONCLVSIO.

Tres prædictę dumtaxat sunt; Quia Aureola est corona, quę propter insignem contra hostes victoriam debetur. Et tres animæ hostes per hæc superantur. Nam caro per virginitatem perpetuam vincitur. Mundus per martyrium calcatur. Et diaboli astutiæ per doctrinam dissoluuntur.

CONCLVSIO.

In Christo Iesu non est Aureola ponenda. Nullum enim præmium diminutum, sed excellens, cui omnia subijciuntur, est Christo Domino ascribendum.

CONCLVSIO.

Neque in Angelis sunt Aureolæ collocandæ. Non enim vigines, vel martyres, vel doctores sunt.

CONCLVSIO.

In corporibus viginum, martyrum, atque doctorum erunt insignia quædam, quibus huiusmodi Aureolas in anima habere præseferent. Ratio est; quia, vt gaudium essentiale in corpus per quatuor dotes resultat, ita & accidentale in insignia corporalia redundabit. Virgines siquidem in capite aliquam coronulam albam, martires rubeam, & doctores viridem gestabunt.

QVÆSTIO DE MISERIA DAMNATORVM.

Hac quæstione distinctio. 50. Magistri exponetur.

Art. Vnicus. An ignis torquens damnatos sit corporeus? *DD. d. 44. Ric. q. 9. & 10. ar. 2. Du. q. 2. et 3.*

Variæ sunt opiniones. Auicenna. sola tristitia maximè torqueri dixit, quod est contra Euangelium, vbi dicitur. Ite maledicti in ignem æternum. Quidam autem Philosophi asseruerunt torqueri pœna sensus veluti in somno ab imaginationibus ignis. Hæc etiam est falsissima opinio, vt infra patebit. Tertia autem opinio affirmabat animas separatas corporibus cœlestibus vniri, atque ita ab igne pati. *Matth. 25.*

CONCLVSIO.

Matth.cap.25 Ignis inferni est corporeus, & ab initio mundi creatus. Matth. enim 25. legitur. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Qui quidem ignis si non esset corporeus, sequeretur diuinam scripturam, vt terreret nos supposuisse falsum: quod nullatenus est dicendum. Et cum locus hic de corporali igne intelligi posit, non erit de metaphorico declarandus.

CONCLVSIO.

D. Aug. Ille ignis eiusdem speciei est cum elementali. Nam, vt aquę quæ super cœlos sunt, teste D. Augu. apud. Ric. hic, cum istis aquis eiusdem speciei sunt; ita à simili ignis, qui sub terra est, eiusdem speciei cum nostro igne, erit.

CONCLVSIO.

Mar.cap.9. Ille ignis incorruptibilis, & inextinguibilis est. Conclusio est de fide. Nam apud D. Marc. habetur bonum est tibi debilem &c. Vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguitur.

DD. vbi supr. 1. *Diffic. Anima separata, & spiritus maligni patiunturne ab igne corporeo gehennali?*

Ric. art. 7. Sco. q. 1. Sco. & Ricar. varias referunt opiniones. Quarum prima dicebat spiritum apprehendere ignem sibi disconuenientem; & ideo à propria imaginatione torqueri.

Quol. 8. q. 38. Secunda est Henrici affirmantis malignis spiritibus infundi quendam habitum spiritualem, ratione cuius ab igne patiuntur.

Tertia asserebat torqueri perpetua ignis consideratione, & contemplatione.

Quarta docet vere, & realiter ab igne pati, quo Deus tanquam iustrumento diuinæ iustitię vtitur.

Quinta, quæ est fere cõmunis tenet torqueri. Quia ibi nolentes detinentur. Et ad alium locũ se conferre haud possunt.

CONCLVSIO.

Maligni spiritus, & animæ separatæ in igne gehennali, vt in carcere, ita continentur, vt illis inde recedere non liceat. Psal. 16. Patet ex Psalm. 16. vbi dicitur. Eduxit eos Dominus de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit. Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Vbi per vectes ferreos, ignis detinens animas, siue in purgatorio, siue in inferno intelligitur.

CONCLVSIO.

Patiuntur quoque tristitiam non solum propter inuoluntariam detentionem in igne, verumetiam quam sentirent, si essent

essent, corporibus cōiunctę, & corpora cremarentur. Colligitur conclusio ex Euangelio de diuite epulone, qui in illa flamma cruciabatur. Nam permittente Deo talem tristitiam patiebatur, ac si vere flamma ignis hominis viuentis linguam combureret. *Lucæ.16.*

I. *Dubium. Quomodo ignis ille post iudicij diem corpora torquebit?*

CONCLVSIO.

De fide tenendum est damnatorum corpora futura esse incorruptibila. Nam Apocal. 9. legitur. Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. *Apoc.9.*

CONCLVSIO.

Ignis ille concurrente Deo damnatos torquebit; non autem corrumpet. Constat ex dictis.

II. *Dubium. Ignis in corporibus damnatorum generabitne calorem?*

Scot. hac dist. tenet ignem infernalem non agere actione reali, sed intentionali. Quia species ignis sibi similes penetrabunt ossa vsque ad sensum tactus, & ita torquebuntur. Contraria opinio est Magistri Vega.

CONCLVSIO.

Corpora calefacient, & patientur actione reali, ab igne imprimimente in illis nimium calorem, nec tamen consumētur; propterea quod Deus suspendet ignis actiuitatem, quominus corpora corrumpat.

III. *Dubium. Damnati cruciabunturne pœna ignis tantum?*

Dur.d.50.q.1. S.Thom.ibid. q.2.art.3 q.1. et sequentibus Ric.d.44.art. 2.q.9.& 10.

CONCLVSIO.

Non illa tantum, sed & pœna damni torquebuntur. Nā intellectus amissione tanti boni, scilicet, visionis beatificæ torquebitur voluntas acerrimo diuinæ iustitiæ odio. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Et memoria recordatione bonorum præsertim fortunæ, & peccatorum quatenus tanti supplicij causa fuerunt & irascibilis potentia metu perpetuitatis tormentorum &c. de qua re lege D. Bon. & Scot. hac dist. *Psal.75.*

IIII. *Dubium. Estne grauior pœna damni, an sensus?*

CONCLVSIO.

Grauior est pœna damni, & tristitia inde proueniens. Pœna enim damni non solum est in se mala, verumetiam est causa pœnæ sensus. Nam, vt visio diuina & fruitio est omnium bonorum radix; ita & priuatio eiusdem visionis est omnium malorum fons, & origo.

V. Dubium. Poteruntne damnati studiosas, & laudabiles habere intellectus, aut voluntatis operationes?

CONCLVSIO.

Damnati possunt recordari scientiarum acquisitarum, & reuelationum, si quas habuerunt. Habetur. n. Luce 16. recordare fili, quoniam recepisti bona in vita tua, & Sapien. 5. quid profuit nobis superbia &c. Et cum horum recordentur, nihil prohibet, quin etiam scientiarum recordari posfint.

Lucæ 16.
Sapien. 5.

CONCLVSIO.

Contemplabuntur quoque Deum, non tanquam omnium bonorum fontem, sed tanquam omnium malorum vindicem, & Christiani recordabuntur mysteriorum fidei, quæ omnia erunt maioris tristitiæ causa. Quia ad salutem illis non profuerunt.

CONCLVSIO.

Voluntas naturalis damnatorum est recta. Quoniam est ipsamet anima à Deo creata, & ad bonum apta de qua D. Dyonis. lib. 4. de Diuinis nominibus ait. Dæmones bonum, & optimum concupiscunt, id est, habent naturalem inclinationem ad bonum.

D. Dyoni.

CONCLVSIO.

Damnati, quamuis, posfint habere actus elicitos bonos ex obiecto, & ex genere, id est, ratione materiæ; non tamen possunt elicere actus simpliciter bonos moraliter, id est, ratione finis, & intentionis. Patet exemplo diuitis epulonis, qui non zelo charitatis, sed amore proprio suorum damnationem nolebat.

Lucæ 16.

CONCLVSIO.

Damnati sub ratione boni, non veri, sed apparentis operantur. Non enim appetunt aliquid, quia laudabile, & veritati consentaneum est, sed in Dei odium, & ad eius iustitiam impediendam.

CONCLVSIO.

Damnati non possunt suis propinquis bonum aliquod spirituale desiderare. Ratio est: quia sunt omnino in malo obstinati, & nihil boni sub hac ratione appetere possunt. Diues enim hoc appetebat, ne sibi pœna accidentalis in inferno augeretnr.

Lucæ 16.

CONCLVSIO.

Melius, & optabilius est damnatis, non esse in rerum natura, quam in inferno existere. Dixit enim Christus de Iuda: bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille. Ricardi est contra Scotum hac. dist. q. 1.

Matth. 26.

VI. Dubium

VI. Dubium. Videntne beati pœnas damnatorum, & damnati beatorum gloriam?

Ric.d.50.ar.3 q.3.Scot.q̃o.3. S.Tho.q.2.art. 4.q 1. & sequen.Dur.q.3

CONCLVSIO.

Beati damnatorum pœnam ad propriæ gloriæ augmentum vident. Quia illas euaserunt, & vident per reuelationem in proprio genere, vel in verbo per visionem beatificam.

CONCLVSIO.

Sic autem videntes non contristabuntur. Quia non est ibi tristitiæ locus.

CONCLVSIO.

Imo lætabuntur non in odium malorum, sed in gloriam Dei, cuius iustitia in punitione malorum resplendet. Dicit enim psaltes. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. Psal.57.

CONCLVSIO.

Damnati in die iudicij videbunt in corporibus gloriosis electos. Dicitur enim Sapientiæ. 5. videntes turbabuntur timore horribili &c. Sapien. cap.5.

CONCLVSIO.

Gloriam autem animæ non videbunt intuitiue, sed tantum per fidem. Dœmones enim credunt, & contremiscunt in maiorem ipsorum tristitiam.

Vltimum Dubium. Post diem iudicij augebiturne beatorum gloria, & damnatorum pœna?

R. essentialis gloria non augebitur; bene tamen accidentalis, similiter tristitia damnatorum essentialis non augebitur, quamuis augeatur dolor propter tormenta corporum. Pœna tamen accidentalis ex multitudine damnatorum augmentum suscipiet.

Hactenus de floribus super quartum librum sententiarum, ad laudem, & gloriam sanctissimæ Trinitatis, atque indiuiduæ vnitatis, & in honorem immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, & Beati Iosephi, & Seraphici patris mei Francisci.

Omnia quæ in hac secunda, & quæ in prima parte continentur, sacrosanctæ matris Ecclesiæ Romanæ censuræ: & cuiusuis periti hominis iudicio subyciuntur.

FINIS.

INDEX QVÆSTIONVM, ARticulorum, difficultatum, ac dubiorum, quæ in hac secunda parte explicantur.

FLORES QVAESTIONIS DE CLAVIBVS.

Quæstio de clauibus.

FLORES QVAESTIONIS DE INDVLGENTIIS.

V. Diffic.

FLORES DE EXCOMMVNICATIONE.

Quæstio vnica.

IIII. Diffic

FLORES QVAESTIONIS DE CORREPTIONE FRATERNA.

VI. Diffic.

FLORES QVAESTIONIS DE VOTO. 33

IX. Dif.

I. Dubium.

I. Diffic.

QVAESTIO, QVIS TENEATVR ad restitutionem.

Quæstio de restitutione facienda propter negligentiam Ecclesiasticorum.

3. Dubium.

4. Dubium.

FLORES QVAESTIONIS DE receptaculis animarum post hanc vitam, & de suffragijs, deque sanctorum orationibus.

1. Diffic.

Art. 2.

Quæstio

Quæstio de miseria damnatorum.

F I N I S.

Hic liber est vtilis studiosis omnibus Theologiæ.

VValterus vander steghen S. Theo. Licentiatus Canonicus Antwerpiensis.

Sacerdos licite potest celebrare antequam peragat Matu-
tinas cum laudibus iunctas ita Diana tract 14 de celeb.
Miss. qui hanc doctrinam sine ullo scrupulo in ipsa praxi
suadet amplectendam. Bonaci disp 4 q. ult. pun 9 nu 8
Layman lib. 4 tract 5 cap 7 nu 5 Dela croix et alij apud
Dianam citati. Ratio Quia non potest censeri, esse tan-
tam connexionem inter matutinum et missam ut aliquis
pervertens earum ordinem incurrat culpam lethalem. ut
ait Sylvius 3 par quaest 8 ar 2 siquidem Matutinum
quemadmodum et aliae horae canonicae institutum est ad hoc, ut per
illud exhibeatur cultus soli Deo debitus. Sacrificium vero
missae est quidem a Christo Dno institutum ut quotidiana memo-
ria et recordatio passionis suae pro hominibus susceptae fiat. Deinde ut ait

---

S. Paulus: Ubi nulla est lex, ibi nulla potest esse praevaricatio
legis et consequenter neque peccatum. Sed consuetudo
praemittendi officium Matutinum non habet vim et ratiõem perfe-
ctae legis. Ergo non praemittendo Matutinum ante missam non
erit praevaricatio legis, et consequenter peccatum. Minor est
Magistri Soto Lib 10 de Iustitia q 5 ar 4 siquidem nullum
esse praeceptum graviter obligans ad dictas preces peragendas
ante ~~matutinum~~ missam. Hoc tenet Lozana, Spatonius,
et alij Neoterici. Dicitur tamen aliquando hoc ad summum fieri cum
peccato veniali. Scilicet si hoc sacerdos faciat sine ulla
causa rationabili, aut etiam respectu ipsius animi non bene
dispositi ac devoti. Nota Aliter censendum est de Sacris
conventualibus quae iuxta sententiam Magistri Soto
~~citi~~

Deus charitas est: qui manet in
charitate in Deo manet, et Deus
in eo. R. Et nos manemus in ipso

Non est melius nisi letari et facere bonum
in vita sua. Sapient. inquit
Qui timet Deum faciet bona, Et os impij eperit iniquitates.

Omnium virtutum fundamentum est humilitas
quam secuta Beatissima Virgo M. regem cælorum
in utero suo gestare meruit. ita ut quem
Cœli capere non possent, ipsa circumdedit
utero suo. & Et laus Deo.

Vid. fol 156







